EX BIBLIOTHECA
AUGUSTINIANA
MONTIS ILICINI
Anno 1787.

15.6.38

LXXV
XLVIII
QVILIC

Digitized by Google

Digitized by Google

CONFESSARIVS
MANVDVCTVS
AD SACRUM POENITENTIAE TRIBUNAL.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONFESSARIVS MANVDVCTVS AD SACRUM PÆNITENTIÆ TRIBUNAL.

Ita ut Univerſa quæ ad tantum Sacramentum ritè adminiſtrandum ſunt neceſſaria, in compendiaria, ſed facili, ac dilucida Methodo oculis ſubiecta cernens; per arduos, varioſque Dubiorum anfractus inoffenſo decurrat pede.

In hac Secunda Impreſſione Notabiliter auctus, præcipuè in commodum Ordinandorum.

OPUS

REVERENDISSIMI PATRIS

IOSEPHI MARIAE QVILICI A LVCA

Sac. Theol. Mag. Collegiati Doctoris, Congr. Mant. Carmelitæ, olim Gen. Vicarij Examinat. Synodalis. &c.

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO D.

CÆSARI BARTHOLOMÆI

CATHEDRAL. LUCANÆ ARCHIPRESBYTERO

DICATVM.

LUCÆ,

Typis Mareſcandoli. MDCCI *De Superiorum Licentia*

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO D.
DOMINO
CAESARI BARTHOLOMAEI
Eccleſiæ Lucanæ Archipresbytero

F. JOSEPH MARIA QUILICI
fælicitatem precatur.

CONFESSARIUS hic meus AD SACRUM POENITENTIAE TRIBUNAL MANUDUCTUS

auctior iterum prodit in lucem. Verum quia cæcus, hoc eſt mei, rerumque mearum amãs non adeo ſum, ut quamplurima illi adhuc deeſſe non intelligam: amplius aliquod a præclara magni Nominis umbra fuit additamentum quærendum, ut quod ei Author ſcribens conferre non valuit, Patroni, cui inſcribitur, cumulatiſſimè ſuppleret Authoritas; Tua inquam, Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Domine. Nemo ſiquidem qui te norit, Opus hoc, qualecumque illud ſit, invido, vel canino dente diſcerpet. Habet, habet profectò meus Liber in fronte, quod Cerva illa tam celebris geſtabat in collo: CAESARIS ſum, nemo me tangat. *Ut tuum ergo accipe, amplectere, fove, tuere ea ingenuæ mentis indole, ſerenitate vultus, comitate morum [ut de cæteris animi tui dotibus penitùs ſileam] quibus me totum in tui obſequium devinciens, totum me in tuum vindicaſti. Hinc eſt quod quodcumque ex me tibi humillimè exhibeam*

beam, non meum aliquid offeram: *ſed* quæ ſunt CÆSARIS CÆSARI reddam. *Vale.*

Lucæ in Conventu S. Petri Cælicolæ nuncupato. Prid. Idus Novemb. Anno Salut. reparatæ MDCCI.

Digitized by Google

Nos Fr. Ioannes Maria Benagli à Bergamo Sac. Theol. Mag. & Doct. necnon totius Congr. Mantuanę Regul. & Antiq. Obſerv. Ord. Carmel. Vic. Gen.

CUm opus, cui Titulus eſt. CONFESSARIUS MANUDUCTUS, labore, ſtudio, & docto calamo elaboratum à Reverendiſs. Patre Magiſtro, & Doctore, P. Graviſſimo, & noſtræ Cōgregat. Vice Vic. Ioſeph Maria Quilici, uſui Confeſſariorum apprimè accommodatum agnoverimus, tenore præſentium typis demandari concedimus, ſi ita iis ad quos ſpectat videbitur.

In quorum, &c.

Dat. Lucę in Carmelo Noſtro S. Petri Cigoli die 28. Ianuar. 1701.

Fr. Ioannes Maria Benagli Vic. Gen.

Mag. Fr. Theodorus Reggiani Soc. & Secret.

PRæclarum hoc, & nunquam pro dignitate laudatum Opus inſcriptum: CONFESSARIUS MANUDUCTUS AD SACRUM POENITENTIAE TRIBUNAL a Sapientiſſimo Magiſtro, Reverendiſſimoque P. Ioſeph Maria Quilici elucubratum, ſicut iam olim, jubente Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Ioſepho Arnulphinio Eminentiſſimi, ac Reverendiſsimi Domini Francisci Cardinalis Bonviſi felic. record. tunc Generali Vicario, ſumma animi voluptate perlectum in prima impreſsione probaveram; ita nunc, mandante eodem Illuſtriſsimo, ac Reverendiſsimo Domino Capitulari Vicario, Typis rurſus, doctiſsimis Additamentis auctum, publico bono dandum cenſeo, ſi ita ijs ad quos attinet viſum fuerit.

Lucę in hac noſtra Domo Lucenſi S. Mariæ ad Cortem Rolandingam nuncupatę die 25. Novemb. Anni 1701.

Ludovic. Marracci Congr. Cler. Regul. Mat. Dei

IMPRIMATVR.

Ioſeph Arnulphini Vic.Gen. Capitular. Lûcenſ.

Lælius Manſi pro Perill.Off. ſuper Iurisd. Præpoſ.

Digitized by Google

AD CONFESSARIVM.

EPIGRAMMA.

HOc libro pete Myſta ſacrum ſecure Tribunal,
Tu ſontes, hic te, ducet *ad aſtra* manu.

Quæ in multis Præcepta leges, hic ſolus habebit,
Auctor enim quod ineſt pluribus, unus habet.

AD AVCTOREM.

EPIGRAMMA.

TE Cathedræ doctum, facundum Roſtra vocarunt
Te facilem dicunt, qui tua ſcripta legunt.

At liber hic unus vere omnia nomina claudit;
Nam pius, ac doctus, clarus, & altus abis.

Digitized by Google

INDEX
QVAESTIONVM, ET ARTICVLORVM

FVndamentum totius Operis. pag.1.
Quæſtio 1. De Iuriſdictione Confeſſarij. 13
Art. 1 An Miniſter Pænitentiæ debeat eſſe approbatus. ibid.
Art. 2 Quibus caſibus Sacerdos non approbatus poſſit eſſe Miniſter Pænitentiæ 20
Queſtio 2. De probitate Miniſtri huius Sacram. Pænitentiæ. 32
Art. Vnicus Quomodo bonitas Miniſtri requiratur. ibid.
Queſtio. 3. De notitia, & prudentia Confeſſ. 34
Art. Vnic. De quibus debeat habere notitiam Confeſſ. ibid.
Quæſt. 4. De notitia Confeſſ. in ordinẽ ad Cenſuras. 38
Art. 1. Quæ Scientia requiratur in ordinem ad Cenſurat in commun. ibid.
Art. 2. Quotuplex ſit Cenſura, & quid ſit Excommunic. 43

Ar-

Digitized by Google

Art.3. *De notitia excommunicationum, & earum abſolutione.* 65
Art.4. *De Excommunicatione pro revelandis delictis.* 85
Art.5. *De Suſpenſione.* 93
Art.6. *De Depoſitione, & Degradatione.* 98
Art.7. *De Interdicto.* 101
Art.8. *De Irregularitate.* 107
Quęſtio 5. *De Scientia circa peccata reſervata.* 112
Art.1. *Quid ſit reſervatio Caſus, & qui poſſit reſervare.* ibid.
Art. 2. *De praxi circa Caſus reſervatos.* 115
Art.3. *De pænis abſolventium ſinę facultate à reſervatis.* 123
Art.4. *De Prȩlatis Regul. circa abſolutionem a reſervatis Cenſuris, & commutationem Votorum iuxta eorum Privilegia.* 125
Qu. 6. *De notitia mortalis, & venialis peccati.* 142
Art. Vnic. *Quomodo cognoſcatur mortale, & veniale.* ibid.
Qu. 7. *De Scientia circumſtantiarum.* 148
Art.1. *Quid, & quotuplex ſit circumſtantia* ibid.
Art.2. *Quæ circumſtantię ſint neceſſariò confitendæ.* 153
Qu. 8 *De notitia reſtitutionis.* 161
Art.1. *Quid ſit reſtitutio, & qui teneantur ad eam.* ibid.
Art. 2. *Homicida, Adulter, Stuprator, Detractor, Inducens ad peccatum, avocans à Religione, an, & quomodo teneantur ad reſtitutionem.* 117

Art3. *De obligatione reſtitut.ex re accepta, ſeù iniuſtè retenta.* 197
Art.4. *De obligat reſtitut ex contract.* 204
Art.5. *Cui, quid, quando, & quo ordine reſti- dum ſit* 219
Art. Vlt. *Quid excuſet à reſtitutione facienda.* 225
Qu.9. *De Scientia ad dandam abſolutionem & iterandam Confeſſionem.* 229
Art.1. *Quæ ſint impedimenta abſolutionis* ibid.
Art.2. *Quando debet iterari Confeſſio.* 237
Qu. 10. *De Scientia ad dandam, commutan- damve ſatisfactionem.* 241
Art. 1. *An ſit neceſſe imponere ſatisfactio- nem.* ibid.
Art.2. *Quanta ſatisfactio ſit imponenda, & an pænitentes teneantur eam acceptare.* 246
Art. 3. *De commutatione ſatisfactionis.* 260
Art.4. *Quomodo, & quando adimplenda ſit ſatisfactio.* 266
Qu. 11. *De ſigillo Confeſſionis.* 270
Art.1. *Quid ſit ſigillum, & quando obliget.* ibid
Art. 2. *Ex qua Confeſſ. oriatur ſigillum, & ad quæ ſe extendat* 276
Art. 3. *Quomodo violetur ſigillum Confeſſ.* 280
Art.4. *Qui teneantur ad ſigillum.* 288
Qu.12. *De interrogationibus.* 291
Art.1. *An Confeſſ. teneatur interrogare pœni- tentem.* ibid.
Art.2. *Quomodo ſit interrogandus pænitens* 293
Qu.13. *De Virtutibus Theologalibus.* 298
Art. 1. *De Fide.* ibid
Art.2. *De Spe.* 302

Art.

Art 3. *De Charitate.* 305
Qu.14. *De Quatuor Virtutibus Cardinalib.* 308
Art. 1. *De Iuſtitia.* *ibid.*
Art. 2. *De Fortitudine.* 317
Art. 3. *De Temperantia.* 320
Art. 3 *De Prudentia.* 326
Qu.15. *De Septem Peccat. Capitalibus.* 332
Arl· *De Superbia.* *ibid*
Art.2 *De Avaritia.* 335. Art.3. *De Luxuria*. 337
Art.4. *De Ira.* 338. Art. 6. *De Gula.* 341
Art.6. *De Invidia.* 344
Art.7. *De Acedia.* 346
Qu.16. *De Præceptis Decal.* 347
Art.1. *De Primo Præcepto.* *ibid*
Art.2. *De Secundo Pręcepto.* 366
Art.3 *Dę Tertio Præcepto.* 388
Art.4. *De Quarto Præcepto.* 394
Art.5. *De Quinto Pręcepto.* 403
Art.6. *De Sexto Præcepto.* 409
Art.7. *De Septimo Præcepto.* 419
Art.8. *De Octavo Pręcepto.* 426
Art. Ult. *De Nono, & Decimo Præcepto.* 436
Qu.17. *De Præceptis Ecclesię.* 438
Art.Vnic. *De his Præceptis.* *ibid*
Qu. 18. *De Sacramento Ordinis.* 495
Art..1. *De Sacramento Ordinis in univerſali* *ibid*
Art.2. *Quinam ſint inhabiles &c.* 502
Art.3. *De Prima Tonſura &c.* 507
Art.4. *De Sacro Subdiaconatus Ord.* 514
Art.5. *De Sacro Diaconutus Ord.* 519
Art.6. *De Sacro Præsbiterat. Ord.* 523
Art.Vlt. *Vtrum Epiſcopatus ſit Ordo.* 539
Qu.Ultima *Miſcell. variar. Difficultat.* 542

CIRCA ERRATA

Quæ in hoc Opus irrepſerunt, lege tu benigne Lector iuxta correctionem, quę eſt in fine Libri.

Nota etiam quod in rebus claris non citavi Auctores, ne nimis augeretur volumen. In rebus controverſis, non omnes, ſed quantum ſufficit ad notitiam legentis, ut illos videndo poſsit alias citationes invenire. Omnia brevitatis gratia. Vale.

FUNDAMENTUM
TOTIUS OPERIS.

1 PRo fundamento totius operis ſupponendum eſt, ſeptem eſſe Sacramenta novæ legis. Eſt de Fide. Trid. *ſeſs.* 7. *Can.* 1. Sacramentum à D. Thoma 3. *par. queſt.* 60. *art.* 2 rectè definitur. Eſt ſignum ſenſibile, & practicum, rei Sacræ Sanctificantis Homines, Res enim quæ nos ſanctificat eſt Gratia. Compendioſa definitio, & tenenda. Vide Collegium Salmaticenſe *de Sacramentis in genere cap.* 1. *quid ſit Sacramentum.* Gratia eſt qualitas ſupernaturalis, quæ nos ſanctificat, & reddit Deo gratos.

2 Sacramenta ſunt ſeptem; Sic enim fuit voluntas Chriſti. Sed quia eſt agens ſecundum rectitudinem rationis, congruitas ſeptenarii numeri deſumitur à proportione, quam habet vita ſpiritualis ad corporalem. Vide D. Thomam 3. *parte quæſt.* 65. *art.* 1. *&* 4. *contra Gent. cap.* 58. & ſicut in Corporali ſunt ſeptem Status, item in Spirituali ſeptem Sacramenta, cuilibet ſtatui correſpondentia.

3 Sunt ſeptem ego dicerem, quia Chriſtus cum ſit Agens prudentiſſimum, non debebat multiplicare

entia ſine neceſſitate, cum id neque natura faciat; proviſum enim æquè fuit omni tempore, Hominum neceſſitati per ſeptem tantùm Sacramenta. Naſcẽtibus, Creſcentinus, Conſiſtentibus, Decreſcentibus, & Morientibus, ut patet: Unde non fuit neceſſitas, imò nec congruentia multiplicandi Sacramenta.

4 De fide eſt omnia Sacramenta novæ legis fuiſſe à Chriſto Domino immediatè inſtituta. Triden. *ſeſ.* 6. *can.* 1. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Chriſto inſtituta, anathema ſit*, tribuit enĩ ſolam promulgationem extremæ Unctionis D. Iacobo *ſeſ.* 14 *can.* 1. Nec Eccleſia poteſt mutare eſſentialia Sacramentorum, utpotè à Chriſto inſtituta, ſed tantum cæremonias accidentales.

5 Hinc nota quod fuerunt inſtituta à Chriſto, ut Homine per poteſtatem, quam vocant Theologi poteſtatem excellentiæ; à Chriſto, ut Deo, ut à cauſa primaria, & principali. Quam tamen poteſtatem excellentiæ quantum ad ſubſtantiam poterat Deus puræ Creaturæ de potentia abſoluta communicare non tamen quoad omnem perfectionem, & modum, quo erat in Chriſto; & ſic tunc pura Creatura potuiſſet inſtituere Sacramenta, ex commiſſione, & ordinatioue Dei. Lugo *de Sacramentis diſp.* 7. *ſect.* 2. *Suarez* 3. *par. diſp.* 12. *ſect.* 2. *& alij*.

6 In multis differunt noſtra, à Sacramentis veteris legis, ſed ſufficiat pro nunc ſcire, quod ſcripſit S. Auguſtinus contra Fauſtum 19. *cap.* 13. *Sacramenta novæ legis ſunt virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora*. Continent enim gratiam, quã ſignificant, eamque conferunt, ſi non ponatur obex.

Con-

Concilium Floren. *in Decreto de unione Arme*, & *Trident. ſeſſ. 7. de Sacramentis Can* 6. & iſta gratiam conferunt ex opere operato; illa cauſabāt ex opere operantis, nempe iuxta diſpoſitionem ſuſcipientis.

7 In uſu verò, & applicatione Sacramentorum veteris legis, Deus gratiam conferebat iuxta diſpoſitionem ſuſcipientis ea.

8 Sacramenta novæ legis, quæ dicuntur mortuorum ut Baptiſmus, & Pænitentia, per ſe cauſant primam gratiam, & faciunt de attrito contritum; cętera quinque ſecundam gratiam, nempe augumentum gratiæ; ſed an per accidens etiam iſta quinque poſsint conferre primam gratiam, quando nempe aliquis ea recipiens, putat invincibiliter ſe eſſe in gratia, quia adhibuit omnem diligentiam humanam ad hoc. Reſpondeo affirmative cum S. Thoma, & eius diſcipulis 3. *par. quæſt.* 72 *ad* 2. Præter iſtam gratiam, quodlibet Sacramentum confert particularem gratiam, quæ addit aliquid ſupra gratiam virtutum, & donorum receptorum.

9 Baptiſmus enim, ſeu ut melius dicam, gratia Baptiſmalis, prout eſt per ſe huius Sacramenti effectus, omnem culpam actualem, & originalem removet: quare nulla iniungenda eſt pænitentia pro peccatis; illuminat animam, minuit concupiſcentiam, dat robur, ut Chriſtum imitemur. Gratia particularis, & Sacramentalis confirmationis, confert ſpeciale robur ad confitendum ubique nomen, & Crucem Ieſu Chriſti Gratia Sacramentalis Euchariſtiæ tribuit fervorem charitatis, robur in virtutibus, refectionem ſpiritualis dulcedinis &c. vide Bacconem Doctorem meum Reſolutum *in* 4. *diſtinct.* 9. *q.* 1. *art.* 1. ubi etiam

aliqua ſcitu digna reperies. In Pęnitentia, dat fortitudinem ad reſiſtendum tentationibus, perſeverantiam in bono &c. In extrema unctione reliquias peccatorum delet, ſanat mentem, & Corpus ſi expedit, dat fortitudinem ad reſiſtendum Dæmoni &c. In Ordine, dat quod ſimus digni Chriſti Miniſtri adminiſtrando ea, quæ ſunt propria noſtri Ordinis &c. In Matrimonio, confert pacem inter Coniugatos, vires ad toleranda onera Coniugij, & uno verbo, gratia Sacramentalis addit ſupra gratiam virtutum, & donorum, auxilium ſpeciale ad proprium actum exequendum, ad quem per ſe ordinatur quodlibet Sacramentum. Quomodo autem addatur non eſt hic locus talis diſputationis. Vide Suarez 3. *par. diſp.* 7. *ſect.* 3. *num.* 3. *p. quæſt.* 62. *art.* 2.

10 Quatuor requirũtur ab intrinſeco ad validitatem Sacramentorum, nempè debita materia, debita forma, debita intentio, & debitus Miniſter, & ſufficit intentio virtualis, quę remanet ex actuali, non interrupta per voluntatem contrariam, ut ſic me clariùs explicem, faciendi quod Chriſtus inſtituit, vel faciendi; quod intendit Eccleſia. Non ſufficit habitualis, cum iſta non ſit actus humanus, liber, & voluntarius; nã eſt etiam in fatuis, ebrijs, & dormiẽtibus.

11 In Sacramento Penitentiæ, de quo particularitèr ad praxim, & utilitatem Confeſsarij tractare intendo, Materia remota ſunt peccata, ut deteſtanda, & ſi erũt peccata mortalia, dicetur materia neceſsaria, ſi venialia, ſufficiens, quia ſufficit hæc materia, ut ſuper ipſam cadat abſolutio Sacerdotis. Proxima materia ſunt actus pænitentis, ſcilicèt contritio, confeſſio, & ſatisfactio, quæ eſt pars integralis, quia ſine

iſta

iſta, poteſt eſſe validum Sacramentum; Contritio autem, & Confeſſio ſunt partes eſſentiales; ſine quibus nullo modo poteſt conſiſtere Sacramentum. Loco confeſſionis in caſu neceſſitatis, ut in Muto, & Moribundo deſtituto loquela, ſufficit aliquod ſignũ ſenſibile. Forma eſt hæc, Ego te abſolvo a peccatis tuis, & ſufficit te abſolvo, & licèt peccata eſſent iam remiſsa per contritionẽ, adhuc verba abſolutionis intelliguntur in propria ſignificatione, quia eadẽ iniuria, & peccatum poteſt pluries remitti, cum novo dolore. Et in moralibus poteſt ſolvi etiam qui nõ eſt ligatus, & ſufficit quod vinculum preceſſerit, nam etiam in Iudicio humano pluries Reus abſolvitur, ſi pluries eius cauſa ad Iudicem deferatur. Vide quæ paulò poſt dicemus ex Baccone. Addendæ tamen ſunt aliȩ preces, & pronuncianda tota forma, niſi aliqua rationabili cauſa preces omittantur, ut in frequentibus Confeſſionibus, in die magnæ feſtivitatis accidere ſolet; Sed etiam tunc ſaltem tota forma, qua utitur S.Mater Eccleſia pronuncianda eſt.

12 An autem dolor debeat præcedere Confeſſionẽ; an ſufficiat quod præcedat abſolutionem, lis eſt ſub Iudice probabilior ſententia, ſaltem probabilitate extrinſeca eſt, quod ſufficiat præcedere abſolutionẽ, dummodo ante illam, fiat ſenſibilis aliquo ſigno, ut tunſione pectoris, aut inclinatione capitis, ſeu expectando abſolutionem, tunc enim dolor fit ſenſibilis, & refertur ad præteritam confeſſionem. Vide hic Collegium Salmaticenſe noſtrum, ubi multa reperies. Conſulendum tamen in praxi dolorem debere præcedere confeſſionem. Hoc enim tutius eſt. Vide hic Lezanam noſtrum. *verbo Abſolutio.*

13 Fuit hoc Sacramentum ut dictum eſt inſtitutum à Chriſto, non ut aliqui malè ſenſerunt à Deo,ſtatim poſt peccatum *Adæ* , quando illum interrogavit *Adā ubi es?* ut ſuum peccatum confiteretur . Nec quando Ioſue præcepit Acham , ut crimen ſuum confiteretur *Ioſue ſeptimo.* Nec pariter quando à Iacobo Apoſtolo promulgatum fuit *cap.* 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra* ; Sed quando Ioannis 20. Chriſtus dixit Apoſtolis : *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiſeritis peccata remittuntur &c.* & eſt ore regulariter confitendum. Vide Ioannem de Baccone, Doctorem noſtrum Reſolutum,*in* 4.*diſtinct.*15.*queſt.*2.

14 Sed adeſt pulcherrimum dubium ; Nam congruum erat quod hoc Sacramentum inſtitueretur ante ſuſceptionem Euchariſtiæ in ultima Cœna , ut Apoſtoli iuſtificarentur , & nobis daretur exemplum ſic faciendi , & non poſt Reſurrectionem. Sed reſponde quod Apoſtoli ſi fuiſſent in peccato , poterant iuſtificari per actum contritionis, cum de confeſsione tunc non eſſet præceptum,& magis congruum fuit,ut poſt reſurrectionem inſtitueretur , quia tunc magis apta erat promulgatio , acceptatio, & Apoſtolorum prædicatio in ordinē præcipuè ad hoc Sacramētum,quod grave videtur Hominibus Chriſtianis; igitur reſuſcitatus Ieſus Chriſtus in Maieſtate , hoc Sacramentum inſtituit tempore opportuniori, ad illud acceptandū, & predicandum . Hic notet Confeſsarius quod ſi pęnitenti videatur durum , Hominibus pandere occulta facinora , illum animet conſideratione , quod pœna æterna , hoc pudore , hoc Sacramento , in temporalem convertitur propter auxilia enumerata , à confeſsione provenientia . Quare prudens Confeſſarius

rius non reddat Confeſſionem odioſam, importunis interrogationibus, reprehenſionibus immoderatjs, pęnitentijs imprudentibus, neque eam tam facilem, ut detur audacia peccandi, ſed quæ ſunt neceſsaria illibatè cuſtodiat, quæ ſunt ſuperflua, prudenter omittat. In medio enim conſiſtit virtus.

25 Miniſter huius Sacramenti eſt ſolus Sacerdos, & qui ritè nõ eſſet ordinatus Sacerdos, non acciperet poteſtatem remittendi peccata, per illa verba Chriſti, *quorum remiſeritis peccata &c.* ſed deberet prius ſuppleri, quod defuiſſet eſſentiale in ordinatione Sacerdotali, & denuò accipere poteſtatem. Solis enim Apoſtolis, & eorum in Sacerdotali ordine ſucceſſoribus, dictum eſt à Chriſtu Ieſu, *quorum remiſeritis peccata &c.* ita verba illa. Sancti Patres communiter intellexerunt; Vide præ cæteris D. Ambroſiũ *lib.* 1. *de Pœniten.cap.*2. D. Auguſtinum *lib.*2.*cont.Epiſt. Parmen.c.*12. D. Leonem *Epiſt.*91. *ad Theodorum.* Eſt definitum in multis Concil. Trid.*ſeſſ.*14.*cap.*6.*can.*10 Qui Miniſter, ut validè, & licitè poſſit adminiſtrare hoc Sacramentum, debet habere multas conditiones, de quibus ſaltem principalioribus diſcurremus, qua occaſione tangemus multa ſpectantia ad Pænitentem.

26 Onus certe grave, officium confeſſarij, & ſi cæcus cæco ductum præbebit, ambo cadent in foveam; quare Sanctæ recordationis Pius V. benè dicebat. *Da mihi bonos Confeſſarios, & doctos, & ecce Mundus reformatus.*

27 Pænitentia inſuper poteſt dupliciter conſiderari, ut virtus eſt, & ut Sacramentum. Ut Virtus. Eſt dolor ſupernataralis de peccatis commiſsis, qui dolor,

ſi erit perfectus, & dolor amoris propter Deum, ſummè dilectum, erit contritio, ſi erit dolor includens amorem, ſed ex motivo timoris, ſupernaturalis tamen, efficax, & univerſalis cum propoſito nõ peccandi, erit attritio, quæ eſt ſufficiens ad confeſſionem, dummodo ſit vera attritio, & non putata, licèt ſit ſemper ſuadenda contritio præſertim in articulo mortis, non utique pro validitate Sacramenti, nam certè validum eſt. Triden. *ſeſ.* 14. *cap.* 4. Sed cum moribundus non ſit certus de ſua attritione neceſſaria ad Sacramentum, debet eligere ad ſecuritatem contritionem Charitate formatam, præcipuè cum non habeat omnimodam certitudinem de valore ſui Baptiſmi, Neque de valore, & intentione Sacerdotis illũ abſolventis; & tunc tutior pars eſt amplectenda ob ſecuritatem ſalutis.

18 Hic nota, quod ſufficit unicus actus doloris ſuper omnia peccata in generali, non ſuper ſingula, dummodo non fiat comparatio inter peccata graviora, & minus gravia, nam tunc tenemur maiori deteſtatioue deteſtari atrociora, quia adeſt motivum maioris deteſtationis.

19 Quod ſufficiat attritio naturalis eſt propoſitio 57. damnata ſub Innocentio XI.

Doctor meus de Baccone Reſolut. *in* 4. *Diſtinct.* 15. *Art.* 3. quærit, quare ſi peccatum deletur per cõtritionem, adhuc oporteat illud confiteri, quid ergò deletur in confeſsione? Reſpondet Doctor ex Ugone quod debet confiteri, nam ſi non confiteretur tempore debito, novum peccatum mortale committeretur. Iterùm alijs citatis reſpondet, quod omnis, qui peccat aſtringitur duplici vinculo, unum eſt quo

aſtrin-

aſtringitur apud Deum, & illud eſt remiſſum per contritionem, aliud quo ligatur apud Eccleſiam, & hoc relaxatur per confeſſionem, ſatisfactionem, & abſolutionem. Reſpondet tertio; quod adhuc debet fieri, confeſſio, ut iuſtitia ſervetur, erga Deum, & Prælatos Eccleſiæ, nam iſti ſunt membra eius.

20 Pænitentia ut Sacramentum definitur. Eſt actus Hominis exterior propriorum peccatorum, cum ſui accuſatione in foro ſpirituali, & ſecretò manifeſtativus. Vide Toletum *lib.3.de Inſt.Sacerd.*

21 Collegium Salmaticenſe noſtrum, non approbat definitionem virtutis pænitentiæ, nempè quod ſit dolor de peccatis commiſſis, quia in hoc dolore, niſi aliquid addatur, non intelligitur alia virtus diſtincta à Charitate; nam ea virtus, quæ inclinat ad diligendum bonum alterius, inclinat etiam ad habendum odio malum ipſius, quarè duas affert definitiones, quarum brevior. Eſt virtus, offerens Deo debitam ſatisfactionem. & dolorem pro peccatis. Tradit inſuper hanc definitionem contritionis. Eſt deteſtatio, & dolor ſuper omnia de peccato commiſſo, quatenus eſt offenſa, iniuria Dei, & propter Deum ſummè dilectum, intentione abolendi, & reſarciendi illam, cum propoſito non peccandi de cætero. *Tract.6.cap.1.punct.4.* Sed de hoc noſtrum non eſt diſputare.

22 Quæres ſi quis confiteretur ſua peccata Angelo, in Corpore aſſumpto, & Angelus eum abſolveret, eſſet ne benè abſolutus?

23 Dicendum negativè de potentia ordinaria Dei, secùs de abſoluta; nam potentia Dei, non eſt alligata Sacramentis; poteſt enim quidquid ex parte rei non

im-

implicat contradictionem, quare ſemper ex parte ſua, eſt omnipotens. Si tamen daretur caſus quod Angelus abſolveret Pænitentem, cum ſit Nuntius veritatis totum feciſse, credendum eſt, ex Dei ordinatione; ideoque deberet credi eſse validam abſolutionem, nec etiam ſub conditione repetendam; idem dic de Anima Sancta à Corpore ſeparata; Non tamen in hoc credendum eſt, Diabolo, cum ſit Pater mendacij, nec eo utitur Deus in ſimilibus Miniſterijs.

24 Regulariter tamen ſolus Homo eſt Miniſter Sacramentorum, Nam Eccleſia eſt humana, & viſibilis; ergo conveniens eſt, per ſolos Homines, & Miniſtros viſibiles gubernari. Inſuper forma prolata Sacramentorum debet per veram locutionem proferri; Hæc autem ſolis Hominibns competit. Angeli enim licet in Corporibus aſsumptis poſsint facere Sonum aliquem, ſimilem locutioni, propriè tamen non loquuntur, nam propria locutio eſt actus vitalis, & vitaliter loquentis; locutio autem Angeli per Corpus aſſumptum, eſt motus Corporis non viventis. D.Thoma 1.*par.quæſt*.5.*art*.3.*ad* 4.eſt communis.

Sed quæres pro cõplemento, Titius moritur repẽtè in gratia, ſed cũ peccato veniali, ad quod habebat cõplacentiam actualem, quando ergo quoad culpam remitteretur hoc veniale? Nam ſine remiſsione iſtius nunquam Deum videret.

25 Dicendum immediatè remitti poſt mortem per actum Charitatis in Deum, repugnantem venialibus commiſſis in hac vita, ſed ille motus dilectionis non eſt poſt hanc vitam meritorius, ſed tollit impedimẽtum venialis culpæ, non tamen meretur diminutionem

nem

nem pænę; & hoc ex Dei privilegio, ut tollatur impedimentum ſuæ viſionis. Gabriel noſter à S. Vincentio *de Sac.Pæniten.diſp.*2. & alij communiter.

26 Sed quæres pro praxi Miniſtrorum Sacramenti Pænitentiæ, & aliorum Sacrementorum. An materia, & forma Sacramentorum debeat ſimul tempore exiſtere ad hoc, ut validè Sacramenta conficiantur?

Dicendum hoc iudicandum eſſe ex natura cuiuſlibet Sacramenti: In Sacramento enim Pænitentiæ cum forma nō ſignificet applicationem materiæ, ſed per modum Iudicij proferatur, cum in Iudicio non requiratur, ut ſententia Iudicis eodem tempore cum accuſatione rei coniungatur, ſufficit ut ſit inter formam, & materiam moralis coniunctio.

In Euchariſtia debet materia coniungi formæ, nā Pronomen demonſtrativum *hoc*, vel *hic* talem coniunctionem requirit.

In cæteris autem Sacramentis tutior, & in praxi ſequenda eſt ſententia, quæ aſſerit materiam,& formam re ipſa debere coniungi, ſaltem ut priuſquam materiæ applicatio terminetur prolatio formæ inchoetur vel viceverſa Gloſ.*in cap.* [*detrahet*] *cauſ.* 1. *quæſt.*1. Scotus, Paludanus, Navar.& alij, quos citat & ſequitur Vivald. in Candelabro aur. 1. *par. tit.* 1. *n.* 15. Quare in Baptiſmo antequam finiatur ablutio, quæ eſt materia proxima talis Sacramenti neceſſe eſt ut forma Baptiſmi inchoetur; idem dic de alijs Sacramentis. Hæc enim opinio omninò in praxi eſt tenenda, eſt enim tutior, & agitur de validitate Sacramentorum.

27 Quæres ultimo an poſſit ìpendi abſolutio Sacramentalis ſub conditione? Di-

Dicendum poſſe his caſibus. Audi verba præciſa noſtri Salmat. Collegij *tract.6.cap.* 1.Sacram.in genere *punct.*3.

Et quidem ſi conditio ſit de præterito, vel de præſenti, conſtat inter DD. abſolutionem ſub conditione datã validam eſſe ſi conditio poſita ſit, quia nec ſuſpendit ſenſum, neque efficit aliud, quod obſtare poſſit, valori abſolutionis. Ita Suarez, Vaſq. Peſantius, Reginald. Filiuccius, Molfeſius, & alij, quos adducit, & ſequitur Bonac. *quæſt.* 4.*cit punct.*3. *num.* 1. Cardinalis Lugo de Sacram. Pænitentiæ *diſp.* 13. *ſect.*5. *num.*107. Dicaſtillus *diſp. dub.*3.*num.*81. Noſter Gabriel.à Ş.Vinc. *de Sacram. Pænit. diſp.* 3.*quæſt.*4. Antonius à Spiritu Sancto *num.* 39. *& omnes. Imò licebit etiam illam addere ſive expreſſam verbis, ſivè mente conceptam in quibusdam occaſionibus, in quibus id faciendi rationabilis cauſa eſt. Vt contingit quando Confeſſor dubitat, an verba abſolutionis protulerit, poteſt enim tunc validè, & licitè abſolvere ſub conditione. Si iã non ſis abſolutus.* Imo dico ego, debet. *Item dubitatur an puer, vel phreneticus omninò particeps rationis confeſſus fuerit poteſt apponere conditionem, aut mente concipere; Si poſſum, aut ſi capax es. Similitèr quando dubitat, an ea, quæ pænitens confitetur, ſint peccata, poteſt validè, & licitè ſub conditione abſolvere, ſi quæ, confeſſus es, peccata ſunt.*

Et in ſimilibus varijs caſibus, qui poſsunt occurrere, ita DD. citati.

Si autem conditio ſit de futuro, invalidum reddit Sacramentum 'ut v.g. te abſolvo ſi cras reſtitueris, nã talis conditio ſuſpenderet ſignificationem formæ, & effectum. Eſt opinio communis. Imò Petrus de Ledeſma

deſma *tract. de Pœnit. cap.* 3. dicit Sacerdotem ſic abſolventem graviſsimum Sacrilegium committere. v.g. ego te abſolvo ſi reſtitueris rem ablatam intra octo dies.

Quod mihi videtur certiſsimum.

QVÆST. I.

De Iuriſdictione quam debet habere Confeſſarius.

ART. I.

An Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ debeat eſſe approbatus?

SOlus ergo Sacerdos Miniſter eſt huius Sacramenti, ut diximus, non tamen ſtatim poteſt illud adminiſtrare, & a peccatis abſolvere, etiam ſi ſit Regularis, ſed requiritur *Iuriſdictio*; quæ datur poſt debitam approbationem. Quæ eſt publicum iudicium de ſufficientia Perſonę ad audiédas confeſſiones. Trid. *ſeſ.* 23. *cap.* 15. *de reform.* Quare Theologi rectè diſtingunt inter poteſtatem ordinis, & iuriſdictionis; quæ debet dari ab Epiſcopo Sacerdoti approbato, & ſine qua invalidum eſt Sacra-

cramentum Pœnitentiæ, nam fit per modum iudicij, & ſine iurisdictione nullus eſt Iudex. Poteſtas igitur Ordinis eſt tantùm remota, & indeterminata, quæ per ſe in actum exire non poteſt. Perficitur autem,& determinatur per poteſtatem iurisdictionis, à Chriſto vel ab Eccleſia collatæ, ſive erga omnes, ſive erga certos determinatos fideles,ſeu non habent executionem ſuæ poteſtatis, niſi approbati, ut loquar cum reſoluto Baccone meo *in 3.ſen. diſt.* 15. *quæſt.*3 *art.*2.

2 Nomine Epiſcopi intelliguntur etiam Prælati habentes iurisdictionem Epiſcopalem, qni omnes peccant ſi Sacerdoti idoneo, præſertim Regulari ſine iuſta cauſa negent approbationem. Iſti tamen [& loquor de Regularibus] licèt ſint manifeſtè idonei, & ſine cauſa reijciantur (Quidquid dicat Leander *diſp.*11.*qn.*83. Pro ſe citatis multis Auctoribus)non remanent approbati, & invalida eſſet Confeſſio ipſis facta. Videndus tamen omninò noſter P. Iacobus à S.Antonio *Conſultationes canonicę*,qui acerrimè tuetur varia Privilegia Regularium.

3 Peccant tamen qui negant approbationem (ut dixi) hæc enim approbatio non eſt gratia,ſeu favor, ſed actus iuſtitiæ, & iuridica declaratio, quæ debet ſtare ad modum iuſtæ ſententiæ;quare fit iniuria cuilibet Sacerdoti ſi iniuſtè, & ſine cauſa repellatur. Lugo *num.*64. Conich Laiman, quos refert, & ſequitur Dicaſtillus *num.*297.quæ approbatio ſi ſine iuſta cauſa iam conceſſa revocetur, eſt invalida revocatio, cum verè ſit approbatus; Unde adhuc poterit confeſſiones audire. Lugo *num.*62. hic Dicaſtillus *num.* 299. Palaus *punct.* 18. 8. 4. *num.* 6. eſset enim

ſen-

ſententia iniuſta, nec poteſt auferri ius Confeſſori. Secus dicendum eſt de iuſta revocatione.

4 Dicendum. Igitur Miniſtrum huius Sacramenti debere approbari a ſuo legitimo Superiore, ad hoc ut habeat debitam iurisdictionem. Inſuper hæc approbatio poteſt fieri cum reſtrictione ad certum genus perſonarum, locum, & tempus determinatum, cum tamen iuſta cauſa, loquendo præſertim de regularibus aliòquin enim Epiſcopus peccaret graviſſime tenet tamen iſta reſtrictio Paſſerinus *tom.2.de ſtatibus quæſt.* 187.*art.*1.*num.*286. Suarez *de pen.diſp.* 28.*ſect.*7.*num.*6. Iacobus à S. Antonio ubi ſupra omninò videndus, reddit enim validas rationes, eſſet in præiudicium Sanctæ Sedis privilegia concedentis regularibus quæ ab Epiſcopis, non poſſunt tolli, limitari, nec interpretari pro libito, in dubijs. Ipſum vide, quæ non expirat morte concedentis; nam iſta delegatio iurisdictionis eſt gratia.

5 Sed hic vide Collegium Salmaticenſe noſtrum, quod negat talem limitationem poſſe fieri, citata declaratione Sacræ Cong. apud Barboſam, & auctoritate multorum Doctorum de Privilegijs. Reg. *tract.* 18.*cap.*4. Vide etiam ibi *punct.* 2. quod non pertinet ad Epiſcopum inquirere de moribus Religioſorum, ſed credere debet eorum Prælatis. Dummodo non ſit dubium aut ſuſpicio evidens in contrarium. Sed de primo dubito, & de ſecnndo nihil affirmo.

6 Iſta igitur iurisdictio eſt duplex, ordinaria, & delegata, de qua hactenus. Ordinariam habet Papa in toto Orbe. Epiſcopi, & qui habent iurisdictionē Epiſcopalem in tota Diœceſi Parochi in ſua Parœcia.

7 Que-

7 Quæres I. An ad miniſtrandum hoc Sacramentũ ſufficiat iuriſdictio delegata, dubia, vel probabilis?
8 Dicendum. Quod ſi iuriſdictio delegata merè ſit dubia negativè in neutram partem inclinans,nõ poſſe Confeſſarium ea uti, niſi in caſu magnæ neceſsitatis, quando aliud remedium non adeſt.Hìc caſus magnæ neceſsitatis eſt, ſi Sacerdos deberet ex neceſsitate celebrare, aut Pænitens neceſsitaretur ad communicandum, aut diù nõ eſſet cõfeſſus,et præuideret per longum tempus se non habiturum copiam Confeſsoris, tunc Confeſſarius dubitans de ſua iuriſdictione poteſt abſolvere,cum particula ſi poſſum, cum onere tamen denuò confitendi Sacerdoti certo de ſua iuriſdictione(quidquid de hoc onere ſentiant aliqui] & licet ſit durum onus iterum confitendi, poteſt illud liberè, imò debet ſuſcipere Pænitens propter ſecuritatem ſuæ conſcientiæ. Talis enim abſolutio non fit temerè, poteſt enim prodeſse, & non obeſſe,'nec tunc fit iniuria Sacramento; In tali caſu cogat ſe Pænitens ad actum contritionis eliciendum. Vide Colleg. noſtrum Salma. *de Sac.in gener. tract. 6. cap.* 11 *punct.*5.
9 Qui autem habet probabilem opinionem ſuæ Iuriſdictionis, ſi adeſt alius Sacerdos,qui habeat iuriſdictionem certam non poteſt abſolvere, nec Pœnitens ſciens poteſt illi confiteri.
10 Quando autem iuriſdictio communitèr iudicetur probabilis, poteſt Sacerdos ea uti, & Pænitens tutò ſe illi confiteri, relicta parte alioquin certa; nàm eo caſu Pontifex eam concedit, ſcit enim hanc opinionem, nec prohibet, ſed permittit; quod valet etiam in abſolutione reſervatorum. Sanchez *libr.* 3.
de

de Matrim.diſp.23.*num*.13.Nota etiam quod quando communis eſt error, & adeſt titulus coloratus; tunc Eccleſiam tribuere iuriſdictionem propter publicam utilitatem, tutam eſſe Sententiam, ut v. g. quando quis communiter tenetur Paſtor, aut creditur habere iuriſdictionem, communi errore, & titulo colorato; tunc Pœnitens verè remanet abſolutus. Suarez *diſp*.26.*ſect*.6Lugo *diſp*.19.*ſect*.2.*nu*.29.

11 Quæres ſecundo An ad audiendas confeſsiones Religioſorum requiratur approbatio Epiſcopi, an ſufficiat conſenſus Prælati Religionis pænitentis illius qui confitetur?

Dicendum. Sufficere conſenſum Prælati illius Religionis, ſubditus cuius confitetur, ratio eſt quia Cõcilium Tridentinũ reſtringit ſuum Decretum ad audiendas Confeſsiones, etiam Sacerdotum Seculariũ; & Regulares relinquit diſpoſitioni ſuorum Statutorum, quare illis ſtandum eſt. Dicaſtillus *diſput*. 10. *dub*.9.*num*.257. Ad audiendas tamen Confeſsiones Sacerdotum ſecularium, ut licitè, & validè fiant, requiritur approbatio Epiſcoporum, ſeu Prælatorum, habentes iuriſdictionem Epiſcopalem, ut ſunt quidã Abbates, Capitulum Sede vacante, non autem Provinciales, ſeu Generales Ordinum, eſt communis. Hæc approbatio cum ſit actus iuriſdictionis Epiſcopalis, per modum ſententiæ, non poteſt fieri ab Epiſcopo excommunicato vitando, aut ſuſpenſo ab Officio, & iuriſdictione. Averſa *quæſt*.16.*ſeſs*.6.Leander *diſp*.11.*qu*.53. citat Sotum Silveſtrum, Victoriã, Ledeſmam, Gutierez, & Suarez contra alios, putãtes talem approbationem non eſse actum Iuriſdictionis Epiſcopalis, ſed teſtimonium probativum ſuffi-

cientiæ Sacerdotis.

12 Quęres tertio. An iſta approbatio ita debeat dari gratis, ut deficiente iſta conditione, non ſolum reddatur illicita, ſed etiam irrita?

Dicendum. Certè illicitam eſse, ſed adhuc validam, nam nullibi patet quod reddatur invalida, ſicut collatio ſimoniaca Beneficiorũ eſt invalida. Hoc enim eſt expreſsum in iure, cum autem de hac nihil exprimatur in iure, valor actus ſemper præſumitur. Palaus *num. 6.* Lugus *num. 26.* Leander R*eſp. 11. quæſt* 80. & alij.

13 Quæres quarto. An Religioſus qui ſine licentia ſui Prælati recipit ab Epiſcopo petitam approbationem ad excipiendas Confeſſiones Sæcularium, peccet mortaliter?

Abſolutè dicendum peccare mortaliter, ex hoc enim varia inſurgunt incommoda in Religione niſi hoc fieret ex licentia tacita in viris doctis, & provectis. Leander *diſc. 11. quæſt. 76.* Peregrinus ad ſuas Conſtit. 1. *par. cap. 5. par. 5.* Noſter Gabriel à S. Vin. Vide Colleg. Salm. *tract. 6. cap. 12. num.* 109. De Sacramentis in genere. Vide etiam P. Magiſtrum Albertum *Schacchinum noſtrum in quæſt. Miſcellaneis q.* 16. à quo debeat præſentari Regularis?

14 Illud tamen certiſsimum, quod tales, qui non ſunt præſentati, aut licentiati à ſuis Prælatis non gaudent privilegijs Pontificis circa caſus, quibus gaudent Confeſsarij Regulares; Unde à multis non poſsunt abſolvere, ſicut alij Regulares.

15 Nota tandem quod Confeſsarius approbatus pro defectu ætatis ad audiendas ſolum confeſſiones virorum, aut ſolum Ruſticorum, & puerorum, non poteſt

teſt virtute Bullæ Cruciatæ, Iubilæi, aut ſimilis privilegij eligi ab alijs indifferenter in confeſſariũ. Suarez *diſp.* 28. *ſect. num.* 19. Vide Leandrum *diſp.* 11. *qu.* 68. qui alios citat, & eſt probabilior ſententia. Hic obiter nota quod Regulares exempti non accipiunt ab Epiſcopis iurisdictionẽ abſolvendi Sæculares, ſed à Sede Apoſtolica, ſuppoſita approbatione Epiſcopi, & ſui Prælati Regularis. Deſumitur ex Clem. *Dudum* §. *ſtatuimus de ſepult.* & adeſt declaratio Congregationis Concilij teſte Fagnano *in cap. omnis de pænit. & remiſſ. nu.* 74. & patet, nam poſſunt abſolvere à cenſuris Papæ reſervatis, & caſibus [exceptis excipiendis] quam amplam iurisdictionem Epiſcopus loci dare non poteſt Laim. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 10. *nu.* 19. *Reifeſtenvel theol. moral. tract.* 14. *de Sacram. diſt.* 8. *qu.* 2.

ART. II.

An detur caſus in quibus Sacerdos non approbatus poſſit audire Confeſſiones?

1 Collegium Salmaticẽſe noſtrum hic, puncto ſecundo habet præciſa hæc verba. Primò quilibet Sacerdos iuriſdictionem habet in foro pœnitentiæ ſuper peccata venialia tantum?ità Doctores omnes: & tanquam certa communitèr reputatur, teſte Averſa *quæſt.* 16. *de Miniſtr. Sacram. Pænit ſect.* 3. & ſatis patet ex communi omnium ſenſu, ex ipſo uſu, & praxi fidelium, ac Sacerdotum. Hactenus Collegium noſtrum.

An autem hæc iuriſdictio illis competat iure Divino, an ex Eccleſiæ conceſſione. Lis eſt ſub Iudice. Vaſquez *quæſt.* 91. *art.* 1. *dub.* 6. & alij volunt illis competere iure Divino; alij, ut Suarez, de Lugo, *diſp.* 18. *ſect.* 3. Bonaccina ex conceſſione Eccleſiæ.

2 Notat tamen Caietan. *tom.* 1. *Opuſc. tract.* 7. *quæ.* 1. quod ſtante hac ſententia, non poſſet ſimplex Sacerdos abſolvere extra mortis articulum, ab excomm. minori ob ſola peccata venialia contracta; quia ad hoc requiritur particularis iuriſdictio Eccleſiæ. Præterea hanc facultatem multi extendunt ad abſolvenda mortalia, iam legitimè confeſſa. Vide Granados

de

de Pœnitentia *tract.* 10.*num.*6. Alij ad mortalia invincibiliter oblita, quæ indirectè in tali caſu abſolverentur;quæ tamen ſi memoriæ occurrerent,iterum deberent confiteri habenti iurisdictionem, Suarez *diſp.*31.*ſect.*2.*nu.*8. Vide lector diverſitatem uſque adeò progredi, ut Valerus apud Dianam *tom.*2.*tract* 16.*reſolut.*44.dicat poſſe in tali caſu abſolvere a peccatis mortalibus in confeſſione oblitis, & indirectè abſolutis, de quibus tunc venit recordatio, licet ſine fundamento. Quare miror hanc ſententiam multis, & ferè omnibus demptis Fabro, Bega, Bordono *in Conſ.Regular.tom.*1.*reſol.*36. *quæſt.*20.*num.*57. *Ludou. à Cruce in Bull.Cruc. diſt.*1.*apud Dian.par.* 8. *tract.* 1. *Reſol.*86. placuiſſe, probabilem, imo probabiliorem iudicaſse, quæ tamen nunquam placuit, nec mihi viſa eſt habere probabilitatem, niſi extrinſecâ ratione tantorum virorum venerabilium. Nam Sacerdos nõn approbatus caret iurisdictione; nec Concilia, nec Textus aliquis de tali auctoritate, aut cõſuetudine loquuntur, & totum gratis dicitur,& contra ſenſum Tridentini Concilij; & dato hoc inſurgerent gravia inconvenientia. Nam ſi illis competeret talis facultas iure Divino, nec a Pontifice poſſet ab eis tolli, ut dixerunt Paludanus, Sotus, Caietanus, Ledeſma, Vaſquez. Vide *Dianam par.*8.*tract.*1.*reſol.* 55. ſaltem ego dico ab omnibus Sacerdotibus, & addit Vaſquez *quæſt.*91.*art.*1.*dubio* 6. non poſſe tolli per excommunicationem, dato quod eſset conceſsa talis facultas iure Divino Sacerdotibus. Si iſta iuriſdictio poſtea data eſset ab Eccleſia nullus Prælatus inferior Papa,poſset illam ſuſpendere, ut benè infert Granado, quare quilibet Sacerdos poſset audire con-

confeſſiones; & ſe exponere, prudens, Senex, & Iuvenis invitis Epiſcopis, & diſcernere inter venialia, & mortalia, quod non eſt ita facilè; & ecce gubernium Eccleſiæ cum confuſione, quod nec etiam imaginari debet nunquam ſic fuiſse.

Scio P. Ioannem de Cardenas, Bordonum, Fabrum, Ludovicum à Cruce à ſe pro iſta parte relatos imprudentiæ taxare tanquam communi iudicio contrarios, quod certè omitti de viris doctis debebatur. Nam dicit Proſper Fagnanus de opinione probabili citatis Comitolo, Ioanne Maiori, & alijs, quod non ſemper habendus eſt oculus ad multitudinem dicentium iuxta illud Exod. 23. *Ne ſequaris turbam ad faciendum iudicium*. Vide ipſum. Quare tunc eſsent imprudentes quando à communi diſcederent ſine ſufficienti ratione.

3 Unde prudentiſſimè ſic ſtatuit Sacr. Congregatio Cardinalium interpetrum Concilij Tridentini in Decreto Datum Romæ 12. *Februarij* 1679. *& publicato die* 15. *Februarij* 1679. *Non permittant* (Ideſt Epiſcopi) *ut venialium Confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti, nō approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario*.

De delinquentibus autem ſic loquitur. *Quicumque Sacerdotes ſecus fecerint, ſciant Deo Optimo Maximo rationē reddituros eſſe, neque defuturam Epiſcoporū iuſtam animadverſionem in contra facientes, etiam* Re*gulares, etiam Societatis* Ieſu, *& facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinarijs per hoc Decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter attributa*. Quarè non eſt cur ad cōtraria argumenta reſpondeamus. Et ideo contraria opinio pace tantorum DD. mihi non placet, eos tamen ſummopere veneror. Unicus, ergo caſus, in quo

Sa-

Sacerdos non approbatus habet iuriſdictionem abſolvendi eſt in articulo, & periculo mortis; Sed in tali caſu ſi eſſet facilis aditus ſine periculo, tamen pænitentis, ad Superiorem, deberet petere approbationem. In hoc tamen non ſit nimis ſcrupuloſus Sacerdos, quia Concilium Tridentinum concedit facultatem abſolvendi, ut dicemus, nec perturbandus Pœnitens, qui de tali abſentia contriſtaretur; ideo dico, ſi eſſet facilis aditus ad Superiorem, quod tutius eſſet.

4 Controvertunt tamen Doctores, an idem ſit in materia de qua loquimur, articulus, & periculum mortis; nam Concilium loquitur de articulo mortis. Sciatis, quod in periculo mortis dicuntur eſſe infirmi gravi infirmitate laborantes, nec expectanda eſt certitudo mortis. Item damnati ad mortem, qui vulgo dicuntur, quod ſunt in Cappella; Banniti qui impùnè ubique poſſunt occidi; Remigantes in longa, et periculoſa navigatione, & hi, ſi ſunt in mortali tenentur ſub mortali confiteri, antequam illam aggrediantur ratione Charitatis erga animam ſuam. Quādo imminet pugna Navalis, ſeu Campalis, & tandē primo parturientes, & illæ, quæ habent partus periculoſos. Omnes iſti dicuntur, in periculo mortis; & ut verbis paucis me expediam. Articulus mortis eſt ille, in quo certo moraliter mors imminet. Periculum ſub dubio, vel timore probabili.

Canus, Sotus, Covaruuias, quos citat Vaſquez *queſt. 93. art. 1. dubio* 5. & alij dicunt in periculo mortis ſimplicem Sacerdotem non poſſe abſolvere.

Communior tamen ſententia, quam iudico omninò ſequendam, præcipuè ad removendos ſcrupu-

los Sacerdotum, & pęnitentium, dicit articulum, & periculum mortis in præſenti materia pro eodem accipi; ideoque ſimplicem Sacerdotem, & in articulo, & in periculo mortis, poſſe ſinę nova approbatione, & iuriſdictione, tutò abſolvere. Ita Sylveſter, Navarrus, Medina, Paludanus, Suarez *diſp*. 26. *ſect*. 4. *num*. 43. & eſt opinio recepta.

Probatur: quia licet quoad vocem; periculum, & articulus differant; ex uſu tamen Eccleſiaſtico, in materia præſenti pro eodem accipitur; ideoque ſimplex Sacerdos, & in articulo, & in periculo mortis poteſt ſine nova approbatione, & iuriſdictione tutò abſolvere. Conſtat *ex cap. ſi quis ſuadente* 7. *quæſt*. 4. *& cap. eos qui de ſen. Excom. in* 6. Probatur. Ratione, nam neceſsitas, quæ eſt cauſa huius conceſsionis, eſt tam in articulo, quam in periculo, & morale periculum debet caveri.

5 Ad hoc tamen ut periculum, & Articulus mortis æquiparentur, neceſſe eſt ut periculum prudenter timeatur, & probabiliter ſequatur. Secundò ut cogente morali neceſſitate in illud periculum pænitens debeat incidere. Ut v. g. ex cauſa urgenti periculoſam Navigationem, ſeu bellum aggredi pęnitẽti neceſse ſit, non quando poteſt differri bellum, & navigatio ſine gravi incommodo, tunc non dicitur is conſtitutus in periculo mortis, ſed ipſe ſponte ſua ſe conſtituit. *Sanch. tom*. 1. *in Decal. lib*. 2. *cap*. 13. *nu*. 3. & alij bonæ notæ Scriptores.

6 Sed emergunt aliqua dubia. Primum. An Sacerdos non approbatus in articulo, ſeu periculo mortis poſſit abſolvere præſente approbato? Aliqui affirmant, aliqui negant, utraque ſententia eſt proba-

ba-

babilis. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. dicit quod omnes Sacerdotes in tali caſu quoslibet pænitentes à quibuſvis peccatis, et cenſuris abſolvere poſſunt. Ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Eſt enim hæc approbatio in favorem Pænitentis, quia tunc libentiùs fortaſſe confiteretur non approbato ab Epiſcopo, quæ conſolatio in eo ſtatu non videtur deneganda, probabilitèr morituro, à benignitate Sanctæ Matris Eccleſię.

7 Quare Sacerdos etiam excommunicatus denunciatus, Hæreticus, ſchiſmaticus, in articulo mortis habet authoritatem abſolvendi. Sanchez *lib.* 2. *in ſum. cap.* 13. & alij multi, ſed ut benè notant, in tali caſu præferendus eſt ſimplex Sacerdos omnibus; ſuſpenſus, & interdictus, irregulari; Irregularis præferendus eſt excommunicato denuuciato; Excommunicatus, Degradato, & Degradatus Hęretico. Et Sacerdos excommunicatus abſolvens in articulo mortis non fit irregularis. Barboſa in collectaneis.

Nota quod ſi adeſt periculum perverſionis in Pænitente, cum v.g. non ſit in Fide multum tutus, Hęreticus Sacerdos non eſt admittendus ad audiendam talem Confeſſionem. Doctor tamen noſter Reſolutus ubi ſupra ſimpliciter negat Hæreticum, & Excommunicatum poſſe confeſſiones excipere; ſed videtur aſſerere hoc ex aliorum ſententia.

8 Hic obiter nota, quod ſi Sacerdos eſt excommunicatus non toleratus, ſine extrema neceſsitate non eſt inducendus ad adminiſtranda sacramenta ſine peccato mortali; & in illo caſu poterit ſe iuſtificare per actum Contritionis: ſi tamen eſt toleratus poterit induci ſine extrema neceſsitate, & tunc pari-

riter poterit iuſtificari per contritionem. Nam Concilium Conſtantienſe concedit excommunicatis toleratis invitatis, communicationem cum fidelibus, etiam in Sacramentis. Vide Mendozam *ſect.* 18. §. 249.*par.*5.*tom.*7.*reſol.*4.

9 Nota ſecundò, quod pænitens in articulo, & periculo Mortis poteſt abſolvi, nedum à reſervatis, ſed etiam à qualibet excommunicatione, etiam cõtenta in Bulla Cœnæ; quod ſi convaluerit, iterum non debet abſolvi à reſervatis ab habente facultatẽ, nam in articulo Mortis ceſſavit reſervatio, ideoque directè fuit abſolutus. Ab excommunicatione verò quia abſolvitur cum onere ſe pręſentandi Superiori, ut cautum eſt, *in Cap.eos qui de ſen. excom. in* 6. ut ſe oſtendat abſolutum, & obedientem ad maiorem pænitentiam [ſi hoc expediens iudicatum fuerit] ſuſcipiendam, ſi non ſe illi pręſentat reincidit in eamdem ſpecie cenſuram, pariter reſervatam, & hoc valet, etiam ſi ſatisfeciſſet parti lęſæ: dummodò non habeat impedimentum perpetuum ſe præſentandi, vel ſit abſolutus virtute Bullæ, aut Iubilęi. Ita in dicto *cap.eos qui* Diana *tom.*5.*tract.*3.*reſol.* 66. & alij quos citat; à qua excommunicatione verè antea erat abſolutus ſicut à reſervatis, ſed in eandem ſpecie reincidit ex iuris diſpoſitione, non ſolum propter primam cauſam, ſed etiam ob inobedientiam commiſſam à pœnitente. Suarez de cenſuris *diſp.* 3.*ſect.*1. *nu.* 6.

Idem enim effectus naturaliter non poteſt redire: quare eſt nova cenſura pariter reſervata. Bonac.*diſp.* 1.*de cen.in com.quæſt.*3.*punct.*4.*num.*16. Si verò articulus neceſſitatis urgeat, nec poſſit dare cautionem, & præſtare Iuramentum ſe preſentandi Superiori, &

de

dedit ſigna contritionis abſolvatur, quia ad impoſſibile nemo tenetur, & eſt ſepeliendus in loco ſacro; ſicuti ſi dediſſet ſigna contritionis, nec eſset abſolutus ob abſentiam confeſsoris, vel quid ſimile, abſolvatur poſt mortem ab habente facultatem, deinde ſepeliatur in loco ſacro. Idem dic de Hæretico, qui dedit ſigna contritionis, & propter aliquam neceſſitatem non fuit ſolemniter reconciliatus. & nota quod iſta ſigna contritionis probantur per unum Teſtem fide dignum, quia nulli fit præiudicium. Vide Toletum *lib.* 1. de inſtructione Sacerdotis *cap.* 16.

10 Nota pariter quod ſi poteſt fieri, ab excommunicatione non abſolvitur, niſi ſatisfactione præmiſsa, ſi eſt facienda. *Clem.* 1. *de Hæret.* aliòquin data cautione per fideiuſsores, vel per iuramentum abſolvatur, & ſi etiam hæc fieri non poſsent, quia urgeret neceſſitas, abſolvatur iuxta dicta.

11 Quæres primo quid dicendum de ijs, quibus adeſt periculum probabile amentię, & de captivis, qui detinentur abſque ulla, vel exigua ſpe liberationis apud infideles, an poſſint abſolvi à quolibet Sacerdote?

Dicendum poſse, nam periculum amentiæ in tali caſu, eſt quaſi periculum Mortis in ordinem ad confeſsionem. Idem dicendum de captivis, imò de iſtis abſolutè teneo quod cum habent copiam Sacerdotis, etiamſi habeant ſpem liberationis, debere abſolvi; nam talis liberatio eſt multis periculis ſubiecta; & aliundè captivus per multum tempus non fuit confeſsus propter carentiam Confeſsoris; & hoc ex præſumpta voluntate Summi Pontificis, cupientis iuxta munus ſuum præbere omnia auxilia poſſibilia, nedum tem-

temporalia, ſed magis ſpiritualia talibus captivis. Eſt enim non parva conſolatio confeſsio, pro illo miſerabili ſtatu, difficiliter enim, præcipuè ſimpliciores eliciunt actum Contritionis; imò neſciunt valorem, & efficaciam ipſius. Vide Collegium Salmaticenſe noſtrum.

12 Hic pro praxi nota; quod ſi moribundus debet facere reſtitutionem famæ, vel pecuniæ, & hoc Confeſsori imponat, debet adhibere teſtes, ut Cõfeſsario credatur; quod ſi noluerit, non eſt abſolvẽdus, tanquam malè diſpoſitus.

13 Notet etiam, quod ſi urget periculum ut moribundus moriatur non abſoluta confeſsione, audito uno peccato abſolvatur, & poſtea, ſi tempus ſuperfuerit terminetur confeſsio.

14 Quæres ſecundo. An Parochus poſsit exponere Parochum alterius Diæceſis, ad audiendas cõfeſsiones ſuorum ſubditorum, licèt non ſit approbatus ab Epiſcopo ſuæ Diæceſis?

Doctor meus Reſolutus *in* 4. *diſtinct.* 15. *art.* 2. ex aliorum tamen ſententia, docuit ſimplicem Sacerdotem de licentia Parochi poſse audire confeſsionem ſubditorum illius Parochi; Vide apud illum rationes. Hodie tamen poſt Tridentinum [quidquid fuerit illis temporibus] non poteſt admitti hæc ſententia, & adeſt ſuper hoc propoſitio damnata. Sed dubium eſt, an ſaltem possit Parochus ad hoc admittere Parochum alterius Diæceſis, ſeu Sacerdotem ab alieno Epiſcopo approbatum, nam iſti ſunt verè approbati, & Parochus habet unum titulum à Concilio requiſiſitum ad audiendas Confeſsiones. Vaſquez *in* 3. *par. tom.* 4. *quæſt.* 93. *art.* 3. *dub.* 4. *num.* 1. & alij affirmant.

Vide

Vide Dianam Verbo Parochus *num.* 15. Ego tamen talem Sent. in praxi non tenendam iudico, cum Trullench *in Cruc.lib.*1. §.7.*dub.*3. *num.*15.*par.*5.*tit.*4.12. *reſol.*48.

15 Pro praxi obſerva, quod Sacerdos in articulo, ſeu periculo mortis, non debet vi facultatis Tridentini abſolvere ab irregularitate, neque a ſuſpenſione Ordinis, Officij, ſeu Beneficij; Hæc non impediunt receptionem Sacramentorum, nec Eccleſiaſticam ſepulturam. Nota ſecundò quod deficiente Sacerdote in Mortis Articulo, Clericus, qui habet ſolum primam Tonſuram, poteſt abſolvere ab excommunicatione, imò quòd poſſit etiam laicus, ad hoc ut ſepeliatur in Sacro, Eſt opinio multorum. Vide noſtrum Patrem Caſſianum *à S.Elia*, *verbo abſolvo*, nam præſumitur facultas demandata à pia Matre Eccleſia, ſaltem ſub conditione, ſi poſſum.

Nota Tertiò quod non eſt abſolvendus moribundus, qui poteſt facere ſtatim reſtitutionem, & illam faciendam vult Hæredibus demandare. Vide Villalobos *tom.*2.*tract.*3.*diffic.*27.*num.*3. Tenetur enim reſtituere ſtatim ac poſſit.

16 Nota quarto, quod debet abſolvi moribundus, qui ſenſibus deſtitutus nullum dedit ſignum cōtritionis, etiam ſi conſtet eſſe in Mortali, quia regulariter non tam citò quis deſtituitur ſenſibus, ut non poſſit aliquem actum attritionis elicere, ſub conditione tamen. Tamburinus Meth. *exp.confeſſ.lib.*2.*cap.*10.§.1.*num.*12. quod tamen in bona Theologia, vix poteſt ſalvari; ex pia tamen Eccleſiæ Matris permiſſione, conſulo faciendum, & regulariter fit, ut ſaltem dubio Medicamento provideatur ſaluti morien-

rientis. Sed quia dolor debet manifeſtari aliquo ſigno ſenſibili, quod ſtet loco Confeſſionis.

Dicendum. Quod cum piè poſſit præſumi, aliqua, licet breviſſima mora, hoc exibuiſſe, melius ſub hac formalitate impenditur conditionata abſolutio; & ſalvatur ſaltem dubia materia Sacramenti, in tam extrema neceſſitate ſufficiens, ſicut licet in extrema neceſſitate conferre Baptiſmum in materia dubia.

17 Nota quintò, quod etiam in mortis articulo non poteſt nutibus, vel Scriptura à Muto Sacerdote impendi abſolutio, nam forma debet conſiſtere in verbis, ex Triden. *Seſſ.* 14. *cap.* 3. Lezana verb. Abſolutio.

18 Nota ſextò, quod cum periculo vitæ tenetur Sacerdos audire confeſsionem illius, quem timet nō habere contritionem, ſaltem ut limitat Navarr. *cap.* 24. *num.* 9. ſi ille moribundus exiſtat in mortali, & omninò ignoret tunc ſibi neceſſariam eſſe contritionem, aut omnino neſcit quid ſit contritio. Et ego dico quod ſi eſſet probabile periculum Mortis Confeſſarij, quia puta inimicus morientis minaretur illam accedenti ad moribundum, non teneri in illo caſu, quia nihil ſubeundo mortem proficeretSacerdos; & potius eſſet cauſa maioris mali.

19 Nota ſeptimò. Quod in articulo mortis cum aliter moraliter non poſſit, ſufficit Confeſſio integra formaliter; non materialiter, unde audito uno peccato poteſt abſolvi, nec moribundus tenetur confiteri per Interpretem, niſi dubitet de ſua contritione, tunc enim tutior pars eſt eligenda, ne ſe exponat periculo damnationis; conſulendum tamen ut

ſemper

ſemper cum aliter non poteſt, confiteatur etiam per interpretem, ſecundum rationem, iam dictam.

20 Quomodo poſſit, per mediam horam, & ultra relinquere Sacrum, Sacerdos celebrans, ſervante interim aliquo Euchariſtiam, dum neceſſitas audiendi confeſſionem moribundi urget. Vide Dianam *par.5.tract.3.reſol.*70. Nota tamen quod in hoc caſu ſi nimis in longum protraheretur confeſſio, unde ad Miſſam abſolvendam cogeretur redire Sacerdos, nec eſſet finita Confeſſio moribundi, illum deberet abſolvere ab omnibus peccatis expreſſis, & indirectè ab exprimendis in alia confeſſione, poſt peractum Sacrificium congruo tamen tempore. Et tunc confeſſio eſſet integra formaliter.

21 Hic obiter nota quod mortem ſibi optare, ut eripiatur à moleſtiſſima ægritudine, ſeu magna animi afflictione non eſt mortale. Sotus *in* 4. *diſt.* 50 *poſt* 5. *concl.* & alij, ſecus ſi malum non ſit notabile, nec poſſit præponderari morti; excuſantur tamen Mulierculæ ex nimia animi puſillanimitate, ſaltem à mortali.

22 De conſtitutis in articulo Mortis, reſpectu aliorum Sacramentorum, vide noſtrum Caſſianum *in Arbore omn. opin. moral. verb. Art. mortis, qui copiosè multa tangit.*

QVÆ-

QVÆST. II.

DE PROBITATE MINISTRI

ART. VNICVS

Quomodo ad Miniſtrationem huius Sacramenti requiratur probitas Miniſtri?

1 CErtum eſt probitatem, & Sanctitatem Miniſtri non eſse neceſſariam per ſe ad valorem, et validitatem Sacramenti, neque impedire ſuſcipentem ad effectum gratiæ recipiendum, ſi ſuſcipiat ſine obice. Triden. *Seſſ.* 7 *Can.* 1:. Sed ut loquamur de Miniſtro Confeſſionis, requiritur in eo ſtatus gratiæ, vt licitè adminiſtret, ſicuti etiam requiritur in cæteris Sacramentis.

2 Controvertunt tamen Auctores. An ſtatus gratiæ requiratur ſub mortali, toto tempore dum audit confeſſiones, an ſolum ſufficiat dum profert formam abſolutionis. Suarez *diſp.* 28. *ſect.* 1. *num.* 3. affirmat quod requiratur, quando incipit audire cõfeſſionem; excuſat tamen qui bona fide, aliqua neceſſitate compulſus, inciperet audire confeſsionem,

cum

ſum ſpe eliciendi actum contritionis, ante abſolutionem, & in rei veritate in hoc moralem adhibuit diligentiam, cui favere videtur Noſter Franciſcus Bonæſpei *diſp.*10.*num.*12. Alij autem magis probabilitèr dicunt ſufficere, quod ſit in gratia in actu abſolutionis, quia tunc conficit Sacramentum. Ita Hẽriquez, Diana *parte* 1, *tract.* 7. *reſol.* 47. Lugus, & alij multi; quia tunc conficit Sacramentum, & non dum audit peccata; quibus libentiſſimè me ſuſcribo. Semper mihi multum diſplicuit ſine gravi ratione, illud odioſiſſimum, & duriſſimum verbum, *Eſt peccatum mortale*; ad quod delendum unigenitus Patris, factus homo ſanguinem ſuum fudit in pretium, & lavacrum.

3 Preter ſtatum gratiæ; requiritur probitas vitæ (non ſub mortali) mortificatio ſenſuum, præcipuè obſervando caſtitatem; (nam qui alios ſanctificare debent ipſi puriores inveniantur. Movent enim magis exempla, quam verba; Undè *S.* Dioniſius *Cap.* 3. de cœleſti Hierarchia dicit *Purgatores oportet magnitudinem purgationis alijs tradere propria caſtitate*, qui habet charitatem in corde, facilè alios inflammat. Hic Concilium Colonienſe. *Cap.* 33. *Magnopepere, neceſſarium iudicamus, ut Sacerdos, qui à Confeſſionibus eſt, ſit integer, eruditus, ac ſilentij tenax, alioquin ſi ad quæſtum intentus ſit, ſi pertinaciter blandiatur, ſi intricatam cõſcientiam extricare neſciat* (vidè hic neceſſitatem ſcientiæ) *ſi denique, vel ebrioſus, vel iracundus; vel levis, ſecreti minimè tenax, diſſipandis magis, quam paſcendis Ovibus videtur idoneus.* Vide ergo quantum intereſt, ut Confeſſarius polleat probitate vitæ, ut alios poſſit facere probros. Sic

Sanćti, qui hoc munus exercuerunt, ut maximè S. Philippus Nerius, & Franciſcus Saleſius, ſua probitate in Pœnitentibus ingentes fructus fecere.

QVÆST. III.

DE SCIENTIA, NOTITIA, ET PRUDENTIA CONFESSARII.

ART. I.

De quibus debeat habere notitiam, & Scientiam, Confeſſarius?

1 DIcendum, debere Confeſſarium habere notitiam de excommunicatione, & delictis, quibus annexa eſt excommunicatio, de alijs cenſuris, & quomodo incurrantur; de peccatis reſervatis, de propoſitionibus damnatis. Debet ſcire differentiam inter peccatum veniale, & mortale, circumſtantias neceſſariò confitendas; Quæ peccata ut abſolvãtur requirant reſtitutionem famę, aut pecuniæ, Cõtra-

tractus licitos, & illicitos; impedimenta abſolutionis; Neceſſitatem repetendi confeſſiones. Modum dandi, & commutandi pęnitentias. Neceſſitatem ſervandi ſigillum. Interrogandi pœnitentem. Et licet non opus ſit hęc tam exactè omnia ſcire, debet tamen confeſſarius ſaltem principia noſcere, & in confuſo intelligere(licet multa debeat clarè, & diſtinctè) ut prudentèr poſſit dubitare, &, ſalvo Sacramentali Sigillo, alios doctiores conſulere.

2. *Iſta* tamen Scientia pro pœnitentium qualitate, locorum diverſitate, debet eſſe maior, & poteſt eſſe minor. Unde concludendum, Confeſſarium ad minus debere eſſe nō mediocriter inſtructum, & peritum, nam exponitur commodo omnium pænitentiū, & cuilibet debet apta monita dare ſalutis, aliòquin grave eſt periculum, ut multis erroribus, & *S*acrilegijs exponatur cum gravi proprię, & alienæ conſcientiæ detrimento. Arduum Miniſterium, ſed Deo multum acceptum. Debet enim eſſe Iudex, Doctor, Medicus, & Paſtor. Vide ergo ad hæc munera ęquè, imò mediocriter præſtanda, quid requiratur. Si autem ex ignorantia abſolvit quem abſolvere non poteſt, dupliciter peccat; ignorantia circa ſuum officium, & indebitè abſolvendo; circa Sacramentum. De Lugo *diſt.* 16. Pro quiete tamen, ſuę conſcientię, ſciat Confeſſarius, quòd non debet iudicare pænitentem ſcientia Divina, ſed illum abſolvere auctoritate Divina. Undè.

3. Noto pro praxi quod quando Confeſſarius debet dare Conſilium de futuro, aut imponenda eſt reſtitutio, ſeu faciendus contractus dubius, vel quid ſimile, ſi confeſſarius non poteſt per ſe ipſum

reſolvere ob defectum Scientiæ, debet inducere pænitentem, ut promittat conſulere Viros doctos, & ſtare eorum conſilio, quod ſi cordatè promittat, illũ poteſt abſolvere. Noſtrum Collegium. De Lugo hic.

4 Noto ſecundo pro pænitente. Quod ſi iſte ex induſtria quæreret confeſſarium imperitum, qui neſciret fungi ſuo officio, faceret irritam confeſſionẽ, deberetque illam repetere. Averſa *quæſt.* 18. *ſect.* 19

5 Noto Tertiò. Pro Prælatis, & examinatoribus approbantibus imperitos. Quod excuſantur à culpa, quando magis idonei haberi non poſſunt. Debet enim arari Bobus ſuis, & melius eſt Ovibus ſubvenire tali Confeſsario, quam deſtitutas omni remedio, relinquere. Infertur quod qui iubetur confeſſiones audire, aut audit, neceſſitate compulſus, debet deponere dubium de ſua aptitudine, & confiſus in Dei providentia, cum Charitate munus ſuum exercere. In tali caſu obſervo quod tunc Epiſcopus [meo videri] tenetur ſub mortali per ſe, vel per alios docere Sacerdotes ea, quæ ſunt neceſſaria ad tale Sacramentum licitè, & validè exercendum; nam cum omni ſollicitudine, debet ex proprio munere prædicare, docẽdo neceſſaria ad ſalutẽ. Hic expẽde quã ſit neceſſaria Theologia in Epiſcopo, præcipuè in certis Dœceſibus, in quibus difficulter viri docti inveniuntur.

6 Quæres an requiratur maior ſcientia in eo, qui ſe ſponte ingerit, quam in eo, qui ex obedientia, cõfeſſiones audit?

Dicendum maiorem requiri in eo, qui ſe ſpontè ingerit, *Ipſe certè ſe iudicavit idoneum, qui popoſcit,* ut

ut loquar cum S. Ambrogio de filio prodigo lib. 7. Comment. in C. 15. Lucæ. Noſter Gabriel à S. Vincentio *diſp. 9. quæſt. 7. ex S. Antonino.*

7 Circa prudentiam Confeſſarij, quæ reducitur ad ſapientiam æternorum, experientia patebit, quod debet eſse multa in conſilijs, in interrogationibus, in dandis, & commutandis pęnitentijs, in faciendis reſtitutionibus, in diſpenſando in votis, ſi habet auctoritatem, in captandis animis peccatorum. Debet enim fieri non minus Charitate, quam prudentia omnibus omnia, ut omnes lucrifaciat. Prudentia ex mente Ciceronis *lib.* 2. Rhetor. *Eſt rerum bonarum, ac malarum ſcientia.* Ex D Thoma *ſecunda ſecundæ quæſt.* 47. *art.* 13. *Prudentia vera, & perfecta eſt, qua conciliamus, iudicamus, & præcipimus quæ ad bonum finē totius vitæ humanæ pertinent, & ſolis bonis convenit.*

Virtutes non ſunt virtutes, niſi à prudentia dirigantur. Vide Doctorem meum Reſolutum de Baccone *in* 3. *diſtinct.* 36. *art* 1. 2. *&* 3. qui multas paucis dicit, & collige quam neceſsaria ſit Cōfeſsarijs. Ideò Chriſtus in ſola inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum &c.* Nam præcipuè in hoc Sacramento requiritur directio Spiritus Sancti in donis ſuis, quorum unum ex præcipuis ſapientia eſt. Unde Eccleſ. 8. *Tempus, & reſponſionē cor ſapientis intelligit, &* 4. *in lingua, ſapientia diſcernitur, & ſenſus, & doctrina, & ſcientia in verbo ſenſati.*

QVÆST. IV

DE SCIENTIA CONFESSARII IN ORDINEM AD CENSURAS.

ART. I.

Quæ ſcientia requiratur in ordinem ad cenſuras in univerſali?

1 TRactatus de cenſuris multas continet difficultates, nec poſſunt noſtra claudi brevitate (remittendo lectores ad Auctores, præcipuè Toletum *de Inſtit. Sacerd.* Lezanam noſtrum *in primo, & ſecundo tomo ſummæ, & in tertio Verbo, Abſolutio, Bulla Cenæ, Bulla Cruciatæ, Caſus Reſervati, Cenſuræ; Confeſſarius, præcipuè pro Regularibus*, ubi multa more ſuo doctè, ſolideque diſcutit, & ſolvit. Collegium noſtrum Salmaticenſe Hic. Ioannem Reſolutum Doctorem meum *in ſent.* 4. *diſt.* 18.] aliqua tamen adnotabo ut principia, qui bus intellectis, poſſit probabiliter Couſeſſarius ſufficienter credi inſtructus ad hoc Sacrameutum licitè adminiſtrãdum.

2 In

2 In primis ſcias quod cenſura dicitur à cenſurando, vel ab officio, nempe à cenſore, qui apud Romanos puniebat, & repræhendebat mores Populi, ſeu ab ipſa ſententia, à cenſore emanata: *Dat veniam Corvis vexat cenſu ra columbas.* Iuvenalis *Satyr.*2. de Iunone; quæ ſi intelligatur paſſivè, prout infert damnum, & detrimentum reo, accipitur ab Eccleſia nomen cenſuræ; nempè pro pœna, & privatione ſpiritualium bonorum, quæ contumacibus infertur à Iudice Eccleſiaſtico, illos puniente, & ſic definitur in genere. *Eſt pæna Medicinalis, per quam Homini baptizato delinquenti, ac contumaci, per poteſtatem Eccleſiaſticam aufertur uſus quorumdam bonorũ ſpiritualium.* Laym.*lib.pr,*§.5.*par.*1.*cap.*7.

3 Clarior, & copioſior eſt definitio noſtri Colleg.Salm.*tract.*10.*de Cenſuris punct.*1. *Cenſura eſt pæna Eccleſiaſtica fori exterioris, qua fidelis baptizatus privatur uſu aliquorum bonorum ſpiritualium, ut à contumacia diſcedat.* Ex Regulis bonæ definitionis, ut in logicis, videtur bona definitio, exprimit optimè naturam definiti. *D*icitur pęna ut ſignificetur quod debet inferri per culpam, qua deficiente non ligat.

4 (Si iniuſtè enim excommunicatus. Arguit de Baccone *in* 4.*diſt.*18.*art.*3. ex Auguſtino) apud Deum ligaretur, permitteret Spiritus Sanctus immeritam ingeri pænam; ut per ſe patet, igitur apud Deum non ligatur; & licèt peccatum mortale privet Hominem multis bonis, & præcipuè participatione Sacramentorum, privat per modum culpæ, non pænæ. Dicitur *fori exterioris* quia ſolum poteſt imponi ab habente iuriſdictionem in foro iudiciali, & cõtentioſo. Quare pænitentia, quæ imponitur in foro

Conſcientiæ à Confeſſario non poteſt habere rationem cenſuræ. Additur in definitione. Qua *fidelis baptizatus*, nam ſolum baptizati ſunt Eccleſiæ ſubditi, & ſoli poſsunt ligari cenſuris, & privari uſu aliquorum bonorum ſpiritualium, non tamen omnium, ut patet de fide, charitate; nam ſunt bona propria fidelium. Ponitur tandem *ut à contumacia diſcedat*; quia licet etiam feratur aliquando ad terrorem aliorum; ad modum pœnæ fulminatur, ut delinquẽs emendetur, & emendato datur abſolutio a cenſuris. *Cap. ex litteris de conſtitutionibus cap.* 1. *de ſen. excom. in* 6. Undè cenſura non privat hominem bonis mere internis, fide, ſpe, & charitate, ſed ſpiritualibus externis, & communibus. Nempe Sacrificio, ſatisfactionibus, officio divino, adminiſtratione Sacramẽtorum; ſuper quæ bona licèt Eccleſia non habeat directè Dominium, habet tamen diſpenſationem, & adminiſtrationem, & poteſt iuſta de cauſa, interdicere delinquenti ad correctionem, & pœnam, uſũ illorum.

5 De communione Sanctorum, ut eſt quid fũdatum in fide, & charitate tanquam in radice interna, ut ſunt bona communia, quid ſit dicendum. Vide Covaruvvias *in Cap. alma mater* §. 5. *num.* 5. reſultant enim iſta bona, ex interna neceſſitudine, & cognatione inter Fideles charitate coniunctos, quare movent Deum, ut omnes maiori benevolentia proſequatur, & multa conferat dona &c. quæ in privatos redundant. Et licèt talia bona ſint communia, & univerſalia, tamen cum fundamentum iſtorum ſit fides, & charitas, dubitatur an iſtis poſſit aliquos Eccleſia privare, cum pariter non poſſit avertere

ra-

radicem, & fundamentum huius communionis internæ, cum procedat pariter ex interno fundamento fidei, & Charitatis, ſupra quod Eccleſia non habet iuriſdictionem, ſed tantum ſuper ſola externa, & publica bona ſpiritualia, ut ſunt Sacrificia, Sacramenta: beneficia Eccleſiaſtica. Spirituales iuriſdictiones, ſatisfactiones, ſuffragia, & ſimilia. Vide hic Collegium Salma. *tract.* 10. *de cenſur. pun.* 1. *D. Bonavent in* 4. *d.* 18. 19.

9 Hic nota quod licèt cenſura privet Hominem etiam bonis temporalibus, ut v. g. communicatione cum fidelibus, Eccleſiaſtica Sepultura, &c. illis privat quatenus ad bonum ſpirituale conducunt, & ſic habet indirectè iuriſdictionem ſuper illa, unde etiã poteſt privare Reges Regno, irritare leges iniquas, ſicut iudicat conveniens ad bonum ſpirituale fidelium.

Degradatio, & depoſitio non ſunt cenſuræ, quia licèt quælibet ſit pæna ſpiritualis, de ſuo formali nõ ordinatur ad Medicinam, & fertur etiam propter peccatum præteritum, etiam emendatum, ſicuti ceſſatio à Divinis, quæ infligitur ad compenſandam iniuriam factam Eccleſiæ, paritèr nec irregularitas eſt cenſura, nam eſt impedimentum Canonicum, nec tollitur per abſolutionem, ut cenſura, ſed per diſpenſationem.

7 Queres. An in Iubilæis quandò datur facultas abſolvendi à Cenſùris poſſit diſpenſari ſuper Irregularitate. Ex iam ante dictis patet ſolutio.

Dicendum non poſſe, niſi expreſsè concedatur. Et iure merito; nam ſicut irregularitas non incurritur niſi clarè exprimatur in iure, ſic nec poteſt abſol-

ſolvi, niſi clarè declaretur in facultate, nec ſufficiunt clauſulæ generales.

8 Pro praxi Confeſsarij obſerva, quod à cenſura poteſt etiam abſolvi extra Sacramentum confeſsionis, niſi aliter mandetur in facultate. Filliuc. *tract.* 11. *c.* 9. Invitus, & ignorans, & abſens poſsunt abſolvi ſemper validè, licet illicitè regularitèr. Abſolvens ſine facultate a caſibus in Bulla Cœnæ tot cēſuras incurrit quot perſonas abſolvit. Ugol. *in Bulla Cœnæ* §. *quod ſi forte num.* 2. Si incurrantur duæ cenſuræ propter idem peccatum v. g. Papalis; & Epiſcopalis iſta tollitur per abſolutionem ab illa. Nald. *verb. Epiſcopus num.* 8. Si Confeſsarius abſolvat ſine ceremonijs ſolitis citra ſcandalum, & contemptum, tantum venialiter peccat. Villalobos *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 16. *diff.* 14. *num.* 5. In abſolutione cenſurarum ſufficiunt ſigna, Corneio *de cen. diſp.* 11. *dub.* 3. ut dicemus.

AR-

ART. II.

Quotuplex ſit cenſura, & quid ſit Excommunicatio?

DIcendum. Eſsentialiter dividi in excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum. Accidentaliter in eam, quæ eſt à iure, quæ fertur per Canones, Conſtitutiones, & Statuta Eccleſiaſtica lege permanente; & in eam, quæ eſt ab homine, Eſtque pariter particularis, ſeu generalis; & in eam quæ eſt latę ſententiæ, ſeu ferendæ. Pro quibus dignoſcendis conſideranda ſunt verba, per quæ cenſura infligitur, & fulminatur. Eſt communis recepta in praxi; Sed non defuerunt Authores, qui dixerunt eſse ſeptem; addentes ceſsationem à Divinis, depoſitionem, Degradationem, & irregularitatem ex delicto. Alij quinque aſsignarunt; addentes, & ipſi tribus expoſitis, ceſsationem, & irregularitatem ex delicto. Vide Sotum *in 4.diſt.22. quæſt.3.art.1.* Cordubam *lib.5.quæſt.43.dub.4.cap.28.& 27.* Sed quantū ſufficit, ad hoc, reſponſum dedimus, Articulo antecedenti; Impropriè enim dicuntur cenſuræ, Noſtra ſen-

ſententia evidentiſſimè confirmatur, imò patet manifeſtè [quidquid reſpondeant Adverſarij] ex reſponſione data ab Innocentio 3 *in Cap. Quærenti de verborum ſignificatione*. Interrogatus enim quid in Bullis Pontificijs nomine cenſuræ intelligeretur; Reſpondit, Quærenti quid per cenſuram Eccleſiaſticam debet intelligi, cum eiuſmodi clauſulam in litteris noſtris apponimus. Reſpondemus quod per eam, non ſolum Interdicti, ſed ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententia valeat intelligi. Cũ ergo ſint tres, aliqua principaliora de ſingulis videamus, & primò.

2 *Excommunicatio eſt cenſura Eccleſiaſtica* [& loquor de maiori) *per quam homo Chriſtianus, bonis fidelium cõmunibus privatur*. Dicitur *cenſura Eccleſiaſtica*, quia poteſtas excommunicandi reſidet in habentibus iuriſdictionem Eccleſiaſticam, non impeditam in foro exteriori, & poteſt delegari ab Ordinarijs cuilibet Clerico, gaudenti privilegijs Clericalibus. Dicitur *per quam privatur bonis fidelium communibus*, quæ bona communia fidelibus tria ſunt, ut videbitur. Sed quia diximus quod poteſtas excommunicandi, reſidet in habentibus iuriſdictionem Eccleſiaſticam.

3 Quæres. Qui nam ſint iſti. Et primo ſuppono de fide tenendum eſſe in Eccleſia Dei eſſe poteſtatẽ excommunicandi, & ferendi, alias cenſuras Concil. Conſtantien. *Seſſ. 8. err. 3. & Seſſ. 19. err.* 19. conſtat ex uſu Eccleſiæ ab initio ſui *Matth. 16.* 18. *Quodcumque ligaveris &c. Quod ſi Eccleſiam non audierit ſit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus &c.* Confirmatur quia quando poteſtas directiva non ſufficit neceſſaria eſt coercitiva, & cenſuræ ſic, videntur enſis.
Gla-

Gladius Eccleſiæ, & in Trident.*Seſſ.*25. *Cap.*3 appellantur nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Inſuper Eccleſia habet plenam adminiſtrationem, & diſpēſationem Sacramentorum, Sacrificiorum, ſuffragiorum, bonorumque ſpiritualium communium, 1. *ad Corinth.Sic nos exiſtimet Homo ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Miſteriorum Dei*; Ergo habet poteſtatem privandi Rebelles his bonis. Sicut in qualibet Republica datur poteſtas privandi ſubditos inobedientes bonis communibus Reipublicæ. Totum contra Luterum, & Calvinum; qui licèt concedant Eccleſiam poſse excommunicare, negant tamen poſse privare bonis ſpiritualibus, & communione interna ſuffragiorum, ſed tantum exterioribus politicis, & temporalibus; ſed more ſolito temerè, et ſine fundamento.

4 Sed arguunt Hæretici primò, quod in ſpiritualibus nemo læditur niſi à ſe ipſo, ſecundò quod excommunicatio pertinet ad iuriſdictionem fori exterioris, ergo non poteſt nocere in foro interiori, Tertio quia eſset contra pietatem S.Matris Eccleſiæ, undè afferunt Sententiam D. Io. Chriſoſtomi *tom.* 5. *Serm.de anathema ad medium. Aut anathematizas viventem, aut mortuum. Si mortuum impiè agis: quia iam ſub iure humano non exiſtit, ſed Domino ſubſtat, vel cadit, Si vivum etiam impiè agis, nam eum, qui ad bonum converti poteſt aſcindis.*

5 Reſpondetur ergo ad primum; quod quilibet læditur à ſe ipſo in bonis ſpiritualibus proprijs, ut gratia, charitate, meritis; In bonis communibus tamen poteſt in ſenſu explicato puniri ab Eccleſia. Et in hoc etiam excommunicatus læditur a ſe ipſo

pro-

propter contumaciam, & peccatum. Ad ſecundum, quod per iuriſdictionem fori exterioris poteſt privare fideles bonis ad animam pertinentibus iuxta dicta Ad auctoritatem Chriſoſtomi (admiſſo quod ſint verba Chriſoſtomi quod Sotus *in 4. diſt. 22. quæſt.* 1. *art.* 1. Negat; nam loco citato apertè contrarium docet,) intelligendus eſt abuſus quorundam malè excommunicantium, & in perpetuum. Videndus Bellarminus *lib.* 1. *de Roman. Pontific: Cap.* 15. Alphōſus à Caſtro *verb: Excomm.*

Uſus enim rationabilis excommunicationum, Sāctus, & utilis eſt. *Tradere huiuſmodi Sathanæ in interitum Carnis, ut Spiritus eius ſalvus fiat. primò ad Corinth.*

6 Quid ergo temerarius poteſt dici à Lutero, quod excommunicatio nedum non timenda, ſed expetenda? Ab Eraſmo in colloquijs de fide, excommunicationem territare pueros, non quidem viros fortes? melius dixiſſet, viros perditos, & apoſtatas. Audiant D. Auguſtinum contra adverſarium legis, & Prophetarum Cap. 17. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus; quod gravius eſt, quam ſi gladio feriretur, ſi flammis abſumeretur, ſi feris ſubigeretur.* Diſceſſi à ſtatuta brevitate, ſed lector parcat, nam iuſtè irritatus fui à temeritate Hæreticorum ſemper petulantium, & impoſtorum: ſed redeamus ad noſtra:

7 Qui nam ſint iſti qui habent auctoritatem excommunicandi habentes iurisdictionem Eccleſiaſticam in foro exteriori?

Dicendum in primis iure ordinario reperiri in Sūmo Pontifice reſpectu omnium fidelium, & hic poteſt

ſteſt determinare numerum, effectus, finem, & formam, illas variare, immutare, quod alijs minimè licet. Suarez *diſp.2.ſect.2.* Sunt enim cenſuræ cerémoniæ, & pœnæ Eccleſiaſticæ, neceſſariæ ad Eccleſiæ gubernationem univerſalem, & ideo ad Pontificem Romanum hoc ſpectat; Quare ligatus cenſura à ſuo Epiſcopo, ubique ligatur, quia ſic ſtatuit Pontifex, qui ubique in Eccleſia habet iuriſdictionē.

8 Dicendum ſecundò. Hanc ordinariam poteſtatem habere Patriarchas. Archiepiſcopos, Epiſcopos, qui habent iurisdictionem in foro contentioſo, Non verò Titulares, & ſufficit quod ſint confirmati, licèt non eſſent conſecrati, quia eſt poteſtas iurisdictionis, non Ordinis, Et habent hanc poteſtatem ex iure Divino immediatè; & quidem inammiſsibilem, mediante tamen electione, & confirmatione Pontificis, & omnes in propria Diæceſi; In actu tamen viſitationis; Archiepiſcopi poſſunt excommunicare ſubditos Suffraganeorum, & etiam quando eorum cauſæ per appellationem ad ſuum Tribunal devolutæ ſunt. Palaus *diſp.1.puncto 4. numer.2.*

9 Dicendum tertiò. Legati à latere habere hanc poteſtatem in tota legatione *Cap. de legatis Officio legatis in 6.*

10 Dicendum quartò. Vicarios Epiſcoporum, & dicuntur proviſores generales faciunt enim unum Tribunal cum Epiſcopis &c. nota quod mortuo Epiſcopo, vel excommunicato, ceſſat eorum auctoritas, ſicuti quando revocatur.

11 Dicendum quintò. Cardinales in Eccleſijs ſui tituli, Abbates exemptos, & Mitratos, baculum,

&

& Annulum ferentes, licet non benedictos habere hanc auctoritatem. Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 28. num. 6.*

12 Dicendum ſextò. Prælatos Regulares, Generales, Abbates, Provinciales, Priores, Guardianos &c. habere hanc poteſtatem, nam habent iuriſdictionem ordinariam, & hoc intelligendum eſt de iure communi; nam multi, & Collegium Salmaticenſe noſtrum rectè dicunt, quod attendenda eſt cōſuetudo, & videndum quid ſit determinatum, per leges particulares. Quare in noſtra Congregatione nullus Prior poterit excommunicare, cum proprium ſit Reverendiſsimi P. Vicarij Generalis, ſeu Vice Vicarij, ut in conſtit. de Officio Prioris *cap. 27. num. 18.* cautum eſt, in quo adſunt præciſa verba. *Item Priores nullam facultatem habeant excommunicandi fratres ſuos neque ſententiam excommunicationis ferre pro rebus deperditis, vel ſublatis, aut imperandi aliquid aliud ſed pœna excommunicationis; cum hoc ſit proprium Vicarij General is, vel eius Vice Vicarij.* Igitur, Prior Vice Vicarius, hoc poteſt. Nec obſtat decreto Clementis Octavi de caſibus reſervatis, quia hæc facultas illi præbetur à Conſtitutionibus, quod maius eſt, quam ſi ei tribueretur à Capitulo Generali. An verò alij Prælati regulares poſsint alicui præcipere ſub pœna excommunicationis, cum illis non eſt prohibitum à ſuis particularibus Statutis, aliqui negant, & Peyrinus affert decretum Sacræ Congregationis declarantis talem cenſuram comprehendi in Decreto prohibente multiplicationem caſuum reſervatorum ſine licentia Capituli Generalis, ſeù Provincialis in Provincia. Sed meo videri non eſt ad rem, ultrò

con-

concedo quod non poſſit annectere cenſuram reſervatam alicui peccato permanenter v.g. furto, Regularis Prælatus ſine licentia Capituli, ut dixi; Sed aliud eſt in aliqua cauſa urgenti aliquid præcipere v.g. ſilentium de aliquo delicto, perpetrato in Monaſterio, ne Seculares ſcandalizentur ſub pæna excommunicationis reſervatæ; quod ut certiſſimum, & neceſſarium [dummodo Conſtitutiones non obſtent] quam libentiſſime admitto. Unde Medulla Buſem. de reſervatione caſuum *lib.6.tract.4.lib.4.* habet hæc verba, loquens de caſibus Clemētis VIII. quod tamen de culpa tantum, & non cenſuris intelligendum eſt, poteſt enim Prælatus aliquid præcipere ſub excommunicatione ſibi reſervata. Hoc ita certum iudico, quod etiam in noſtra Congregatione dico Priores etiam non Vicevicarios, quando non eſt facilis aditus ad Vicarium Generalem, nec ad ſuum Vice-Vicarium, & neceſſitas urget v.g. imponendi aliquod ſilentium, ſeu inveniendi quod furto ablatum eſt, poſſe prçcipere ſub pæna excommunicationis; præbentibus tunc Superioribus talem licentiam tacitam, nam hebent omnimodam ſollicitudinem de honore ſuæ Religionis, ut (Deo favente) ipſe expertus ſum, dum Vicarij Generalis officio fungebar, nam tunc videtur talis facultas neceſſaria ſuo muneri, ſtatim tamen reddant de hoc certiorem ſaltem ſuum Vicarium Generalem, ex regula Epikeię, & idem dic de abſolutione excommunicationum dummodo neceſsitas urgeat.

13 Dicendum ſeptimo. Talem facultatem habere legitima Concilia Generalia, & Provincialia, illa in toto Mundo, hæc in Provincia, Synodum

Diœceſanam, Capitulum Cathedralis Sede Vacante vel Epiſcopo poſito in captivitate, tunc enim civiliter mortuus eſt, Vicarium ab eodem electum, ut dixi *Cap.cum Epiſcopus de Offic.Ordinar.in 6.cap.ſi Epiſcopus in 6.de ſuppl.negl.Præl.* Sayrus *lib.* 1. *de cenſur.*

14 Sed quæres. An Parochus habeat talem auctoritatem reſpectu Ovium ſuarum?

Ioannes de Baccone Reſolutus Doctor meus hoc inquirit *in* 4.*diſt.*18.*art.*1. & dicit quod a Iure poſſunt, & affert Textum, & gloſ. citat Oſtien.qui hoc admittit in notorijs criminibus, ſed non excommunicatione ſolemni cum Candelis accenſis, quæ vocatur anathema, & differt tantum à maiori excommunicatione ratione ſolemnitatis: Sed dicit quod conſuetudo in multis eſt contraria, & quod in paucis excommunicare poſſunt. Sed quia nunc conſuetudo eſt quod in nullis caſibus excommunicent, cum tantum habeant poteſtatem in foro Cōſcientiæ, ideò numquam poſſunt excommunicare neque pro furtis. Sotus *in* 4.*diſt.*22.*quæſt.*2.*art.*1.ut cautum eſt in Concil.Trid.*Seſſ.*25.*cap.*3.*de Reformat.* Poteſt tamen iudex delegatus, ſi eſt delegatus ab habente talem facultatem excommunicare. Sed non poteſt alijs communicare talem facultatem, niſi habeat commiſsionem, ſeu Privilegium, & expirat talis facultas morte, aut ſuſpenſione Delegantis, niſi quando inchoata cauſa eſſet, nam tunc, ſaltem quoad ea, quæ iam cognoſcere inceperat ante mortem Delegantis. poſſet proſequi. Unde dicit, & benè Doctor meus Reſolutus *art.*3.*diſt.*18. *quæſt.* 1. quod excommunicare poſſunt Delegati, quando habent iuriſdictionem; Ex quo infertur quod iudex Arbiter, quia iſta caret,

excommunicare non poſſit, ſed tantum imponere pænam, vel alia onera partibus.

15 Qui legitimè præſcripſit, ſeu per legitimam conſuetudinem acquiſivit ius excommunicandi, poteſt in ijs, in quibus præſcripſit, & conſuetudinem firmavit, excommunicare, non in alijs: nam conſuetudo faciendi unum non dat facultatem ad faciendũ aliud diſtinctum, ſi non habeat ſaltem neceſſariam connexionem ad invicem. *Cap. auditis*, *& Cap. cum olī de præſcritionibus. Diana* 5. *par. tract.* 9. *reſol.* 24. Quomodo autem acquiratur hæc poteſtas excommunicãdi ratione delicti, & per titulum præſumptum, cum errore communi, & publica æſtimatione. Vide hic Colleg. Salmatic. noſtrum.

16 Sed redeamus ad prima. Tria diximus eſſe bona communia fidelium, quibus excommunicatus maiori excommunicatione privatur. Primum exterior converſatio cum fidelibus Secundum participatio activa, & paſſiva Sacramentorum. Tertium Orationes, & Suffragia Eccleſiæ; nempe quæ fiunt nomine Eccleſiæ. Quare poteſt quilibet orare privatim pro Excommunicato ut v.g. corrigatur, ut Deus illum adiuvet, etiam Sacerdos, non tamen ut Perſona publica, & nomine Eccleſiæ. Per excommunicationem homo non privatur communione charitatis, & gratiæ, qua efficimur membra Chriſti, ſed ſupponit privatum per peccatum, à quo donec corrigatur, per cenſuras ligatur. Unde ſi verè doleat ante abſolutionem conſequitur gratiam Dei, & participationem bonorum operum in foro interno, licet in externo habendus ſit pro excommunicato, debet enim ſolvi ab Eccleſia, quæ illum ligavit. Vide hic

Toletum. Quare excommunicatio eſt malum pœnæ, non culpæ, ſupponit tamen culpam, & eſt maius malum ex ſe, unum veniale, quam excommunicatio maior, ſi ſola per ſe conſideretur; quia ſi in ordinem ad effectus inſpiciatur, eſt ſine dubio maius malum, quia privat maioribus bonis, & ſupponit mortale peccatum: quare reſpectu cauſæ erit etiam maius malum. Privat etiam excommunicatio conſecutivè, & ſecundariò, electione paſſiva ad Dignitates, & Beneficia Eccleſiaſtica &c. Varijſque iuridicis actibus. Vide Auctores.

17 Excommunicatio eſt duplex; Maior, & Minor, & hæc incurritur regulariter communicando cum excommunicatis excom. maiori, quæ privat participatione paſſiva Sacramentorum, et electione paſſiva ad Beneficia, & ad Dignitates Eccleſiaſticas, Unde peccatur mortaliter illum præſentando, eligẽdo &c & ipſe acceptans; Sed electio non fit irrita, ſed irritanda ab Epiſcopo. Si tamen bona fide, ignorantia iuris, aut facti, quis recipit beneficium eo non eſse privandum docent Palaus *diſt. 2. puncto* 2. Laym. *lib.* 1. *tract.* 15. *puncto* 2. *cap.* 3. *num.* 5. *ex Gloſſ. Cap. ſi celebra.*

18 Pro praxi notet hic Confeſsarius quod ille qui communicat cum excommunicato maiori excõmunicatione in crimine criminoſo, ſeu quando eſt excommunicatus nominatim à Pontifice, concurrẽtibus alijs circumſtantijs, ut videre eſt apud Auctores, incurrit maiorem excommunicationem. Theſau. *de pœnis Eccleſiaſt. V. Excommunicatio*. Hæc excommunicatio continetur in Clement. 3. de ſententia excommunicationis his verbis: *Clericos, qui ſcienter,*

&

& ſpontè participaverunt cum Excommunicatis à Nobis, & ipſos in Officio receperunt, eadem excommunicationis ſententia cum ipſis n m dabitamus involvi, quos etiam pro abſolutionis beneficio habendo, ad nos volumus remitti. Sex tamen conditiones requiruntur ad hoc, ut hæc excommunicatio incurratur.

Prima quod traſgreſſores ſint Clerici. Secunda quod ſit participatio in Divinis, quia copulativè ponitur *Participaverunt, & in Officio receperunt.* Tertia, & Quarta quod ſcientèr, & ſpontè, hoc eſt quod ſciat ſe participare cum excommunicatis à Papa in Divinis, nec faciat hoc vi, aut metu. Quinta quod excommunicatio ſit à Papa, totũ patet *ex text.6.* quod ſit excommunicatus nominatim, vel ęquivalentèr nominatus. Aliòquin cum excommunicationes in iuræ ſint poſitæ à Papa, & etiam in Bulla Cœnæ, ſequeretur quod Clerici recipientes ad Divina taliter excommunicatos ſcienter, & ſpontè incurrerent excommunicationem maiorem Papę reſervatam, quod communiter negatur. Igitur prohibemur participare cum Excommunicatis; Sed quia multi ſunt caſus, in quibus cum illis poſſumus participare, videamus prius qui nam ſint illi, in quibus communicare non poſſumus; & continentur hoc Carmine.

19 *Os, Orare, vale, communio, Menſa negatur.* Quinque igitur ſunt.

Os ſignificat allocutionem, confabulationes etiam per literas, nutus, ſeu alia ſigna, oſcula paritèr, & amplexus; munera data, & recepta, poſſunt tamen retineri accepta ante excommunicationem. Avila *diſp.9.dub.1. Lezana.*

Orare. Non poſſumus Orationem facere, Divi-

num Officium recitare cum Excommunicato, neque pro illo, ut Miniſtri Eccleſiæ orare. *Vale.* Non poſſumus excommunicatum ſalutare, aut illi exhibere aliquem honorem, geſtis, aut verbis animo eum honorandi; poſſumus autem dicere: Deus te illuminet.

Communio. Interdicitur quævis Societas, venditionis, locationis &c. *Menſa.*

Non poſſumus in eàdem Menſa per modum Societatis &c. comedere. Qui in his caſibus citra contemptum participat cum illis, venialiter peccat, hoc nota pro praxi; & incurrit minorem excommunicationem, qui autem participat in Divinis mortaliter peccat.

20 Excommunicatus maiori excommunicat. Si exercet actum aliquem ſui ordinis fit irregularis, & ſi in illa per Annum inſorduerit, eſt ſuſpectus de Hæreſi, & contra eum procedi poteſt, quod tamen non valet de excommunicato minori excommunicatione, dumodò alia cauſa non intercedat.

21 Notet etiam Confeſſarius ne deludatur quod excommunicatus ad hoc ut ſit vitandus, debet eſſe nominatim denunciatus per verba exprimentia ſaltem Perſonam, ut v. g. excommunicatur Prætor talis loci [excipe tamen publicum percuſſorem Clericorum, qui nulla tergiverſatione poteſt delictum ſuum celare. Sed de hoc aliàs] Quod eſt in Bulla Martini V. ad evitanda; & confirmatur à Leone X. in *Conc. Later.* & hoc factum fuit in favorem fidelium, non in favorem ipſius excommunicati.

22 Sunt tamen aliqui caſus in quibus ſine peccato, & licitè poteſt communicari cum excommuni-

ni

nicatis vitandis, & compræhenduntur hoc verſiculo. *Vtile*, *lex*, *Humile*, *Res ignorata*, *Neceſſe*. *Hæc anathema quidem faciunt*, *ne poſſit obeſſe*. Hic aliqua pro praxi annotabo, & præcipuè ex mente Reſoluti mei de Baccone *in* 4.*diſt*.19.*qu*.4.*Art*.3.

23 *Vtile* ſignificat utilitatem ſpiritualem excommunicati, & illius qui eum alloquitur.v.g. petendo conſilium, dando, quod ab alio haberi non poteſt niſi cum magna difficultate &c. petere debitum civile poteſt excommunicatus, ſed non iuridicè, quia tunc in iudicio non poteſt audiri, ut Actor, poteſt litteris moneri, ſi creditur monitionem profuturam ad ſalutem, & in tali caſu poſſum eum ſalutare, nam cum finis eſt licitus, ſunt licita media neceſſaria ad finem Soto *in* 4.*diſt*.22.*quæſt*.1.*art*.4. Lezana *num*.45. Poſſum coram illo prædicare, Sacram lectionem facere audire eius confeſſionem, non ad eum abſolvendum, ſed monendum, Uno verbo excuſat utilitas vera ſpiritualis, & temporalis. Vide Palaum *diſp*. 2. *punct*. 19. *num*.2. etiam ſi incidenter alia verba non neceſſaria interponantur, ut apud eum magis proficiât, captando eius benevolentiam, Doctor meus Reſolutus ubi ſupra: *Lex*. Uxor debet lege Matrimonij reddere debitum Marito excommunicato, & poteſt petere; item communicare cum eo in rebus Domus, in familiaribus colloquijs, & quia diſpoſitum pro uno correlativo, pro alio cenſetur diſpoſitum, quando militat eadem ratio; ideo multi dicunt quod vir poteſt communicare cum uxore excommunicata, puod eſt probabile; Sed Doctor meus Reſolutus ubi ſupra dicit, quod non debet vir communicare cum uxore excommunicata, cui ius fæminas ſubditas eſſe

voluit, & ideo cùm vir poſſit eam cogere ad ſatisfactionem, & abſolutionem petendam, imputabitur Marito ad culpam, ſi ei communicet, & benè dicit, nec militat eadem ratio, ut patet. Quare ego puto conciliari poſſe has opiniones. Nam ſi communicatio Mariti eam reddit contumacem, ſine qua probabiliter pœniteret, tunc puto certiſſimam eſſe opinionem mei Doctoris, tenerique virum illi non communicare, ſecus ſi nihil obeſſet talis communicatio. Quod idem Doctor meus aſſerit de Patre reſpectu filij, propter eandem rationem. Idem dic ſi uterque coniux eſſet excommunicatus, poſſunt etiam ad invicem communicare. Quod dictum eſt de Coniugatis, quoad excommunicationem, limita primò, non licere ſi ſunt divortio ſeparati. Secundò, quando vir eſt excommunicatus ob Hæreſim ex *Cap. Decrevit in* 6. & tunc ratione periculi infectionis. Tertiò, quando excommunicatio lata eſt ob cauſam ſpectantem ad Matrimonium; ut ſi dubitaretur de eius validitate, & eſſet propter hoc prohibita cohabitatio, communicarēt enī tunc in crimine criminoſo. Quartò: Si contraxerunt ſcienter Matrimonium in excōmunicatione cuiuslibet, nam privilegium participandi conceſſum eſt Coniugatis ante excommunicationem. *Humile*, excuſantur. Filij etiam emancipati. Adoptivi, illegittimi, Nepotes, Pronepotes, Privignus, Minores, reſpectu Curatorum, Servi, & Ancillæ; Suarez Palaus *num.* 10. dummodo fuerint in ſervitio ante excommunicationem, ſi neſcierunt Dominum eſſe excommunicatum. Poſſunt etiam Uxor, Filius, & Servus, & Perſonæ ſubiectæ, quæ poſſunt cum ſuis, ſeu Parentibus communicare in Huma

manis, etiam cõmunicare in Divinis;eſt enĩ Privilegium favorabile inſertum in Corpore iuris. Nemini nocens latè interpretatum. Quare poſſunt comitari Dominum euntem ad Sacrum audiendum, ipſi celebranti miniſtrare, recitare cum ipſo Horas Canonicas: Non autem ab eo recipere Sacramenta, nec illi conferre (excepto Mortis articulo) nec illum inducere, ut eat ad Templum &c. præberetur enim occaſio ceſſandi à Divinis; illis tamen exiſtentibus in Templo, tenentur recedere, niſi aliqua iuſta cauſa intercedente. Religioſi ſimilem communicationem poſſunt habere cum ſuis Prælatis excommunicatis; Sed hic omninò videndus eſt Lezana noſter. *Res ignorata.* Ignorantia invincibilis excuſat, & inadvertentia naturalis iuris, & facti. An ignorantia vincibilis, & culpabilis dummodo non ſit affectata excuſet. Vide hic Collegium Salmaticenſe. Igitur neceſse eſt habere certitudinem moralem v.g. Petrum eſſe excommunicatum, & vitandum, ad hoc ut debeat vitari; debet tamen in dubio abſolutionis habitæ vitari, ſi conſtet de eius excommunicatione. *Neceſſe.* Poſsum ergo communicare cum excommunicato propter gravem neceſſitatem temporalem, vel ſpiritualem; nec requiritur neceſſitas extrema. Hic nota pro praxi quod ſi poſsum per tertiam Perſonam recipere ab excommunicato aliquam rem mihi neceſsariam, & illa Perſona poteſt cum excommunicato communicare, non poſsum ratione neceſſitatis loqui cum excommunicato, ſicuti quando poſſum eam habere, ab aliquo alio nõ excommunicato. Lezana *nu.* 49. & nota quod quælibet neceſſitas excuſat, ſive coactionis, ſive metus, ſive violentiæ dum-

dummodo abſit ſcandalum, & contemptus, ſunt enī leges Eccleſiaſticæ, quæ requirunt benignam interpretationem.

24 Excommunicatio Minor olim multiplex erat nunc una tantum datur, & illa eſt, quæ incurritur communicando cum excommunicato vitando, ſive ſit vivus, ſive mortuus *Cap.excommunicato Can. Cum excommunicatio.* Definitur eſt cenſura Eccleſiaſtica privans fideles paſſiva Sacramentorū participatione; Quod ſi talis excommunicatus reciperet Sacramenta, Mortaliter peccaret, & indirectè etiam prohiberetur Beneficia recipere talis excommunicatus ſub mortali culpa, ſed non eſſet irregularis, non eſt tamen irrita electio, ſed irritanda; peccant graviter eligentes, & præſentantes. Nota quod non poteſt abſolvi à ſimplici Sacerdote, quidquid graves Auctores dicant cum Salmaticenſi noſtro, ut iam dixi cum Caietano; & quia circa dicta, varia inſurgunt dubia, nec poſſunt omnia noſtra ſolvi brevitate, ideò videatis Auctores, nam his prænotatis faciliter omnia à vobiſmetipſis percipietis, ſed tamen ad pinguiorem notitiam.

25 Quæres primò. An mortui poſſint excommunicari?

Dicendum non poſſe; & quando excommunicātur, niſi aliud fit, niſi declaratio iam incurſæ excōmunicationis, ac vivis prohibetur ne cum illis communicent, orando pro illis, ſepeliendo in loco Sacro & ſimilibus. Anathema eſt idem, ac ſeorſum poſitū & differt ab excommunicatione maiori, ſolum ratione ſolemnitatis, fulminatur enim ſolemniter cum cādelis, & ſono campanulæ, & quando abſolvuntur,

per-

permittuntur eis, Sepultura, & orationes publicæ, aut declarantur non excommunicati.

26 Quæres ſecundò. An excommunicatio nulla, aut iniuſta, liget excommunicatum, quoad effectus. Diſtinguendum cum Reſoluto meo de Baccone. *Diſt.*18.*quæſt.*1.*art.*3.ſic; vel talis excommunicatio nota eſt Hominibus, & ſic coram illis nullo modo celebret, vel recipiat Sacramenta excommunicatus, ſed humiliter obediat, ne contemptor iudicetur Clavium Eccleſiæ. (*Ut in cap.quid igitur &c. Nemo contemnat*) Vel excommunicatio occulta eſt, & ſoli Deo nota, & tunc non metuat Domino miniſtrare; Nam Sanctus immeritam non ingerit pœnam. Vide hic de Baccone, qui pulchrè dicit, de contemptu excomm. Scias Fœminas iure Divino eſse incapaces poteſtatis ferendi cenſuras, quæ data eſt Apoſtolis iure Divino, nam talis poteſtas ad Claves Eccleſiæ pertinet; Unde nec illis Summus Pontifex cõmunicare poteſt D.Thomas *in* 4.*diſt.*19.*quæſt.*1. etiam docere in Eccleſia, illis interdicitur 1. Cor. 14. Debet eſse baptizatus ille, qui fert censuras, aliòquin non eſset intra Eccleſiam quare &c. Debet habere ſaltem primam Tonſuram, dumodo uxorem nõ habeat. Lezana. Sed ex commiſsione Summi Pontificis poteſt, nam tunc diſpenſaret in iure poſitivo Eccleſiaſtico. Debet eſse Homo Viator, ſed ſi Angelus, vel Beatus excommunicaret, cenſenda eſset valida talis excommunicatio, utpotè facta Dei ordinatione. Si a creditore terminus ſolutionis prorogetur, non incurritur cenſura in termino à Iudice aſſignato ad ſolvendum.

27 Hoc valde nota quod interdictum univerſa-

le

le cum multos tangat innocentes, non fulminatur niſi ob contumaciam ſaltem alicuius, ut in univerſali interdicto.

28 Suſpenſio autem, & interdictum Perſonale, feruntur etiam ad modum pœnæ, delicti commiſſi: quare in ferenda excommunicatione, & interdicto univerſali requiruntur aliquę ſolemnitates; Sine quibus iniuſta eſt cenſura; Unde excommnnicatio ſine monitione iniuſta eſt. Excipe quæ à Iure feruntur latæ ſententiæ, vel per modum Statuti generalis, vel pręcepti particularis. Ius ipſum, tunc ſatis admonet, & lex ſemper loquitur, & præceptum ſubditum monet. In alijs enim debet præcedere trina monitio, vel una pro tribus, dummodo ſufficiens tempus deſignetur, & moneatur delinquens, de cōminatione cenſurę, ſed ſine iſtis monitionibus cenſura eſset iniuſta utique, ſed non invalida. Vide meum Doctorem Reſolutum *in 4. quæſt. 2 Art. 1. 2. 3.* Ubi varia ponit quæſita, & mirè diſcutit. Salmaticenſe noſtrum ubi latè de his.

29 Nota etiam ex Doctore meo pro Religioſis, quod quando à Superiore proceditur contra delinquentes ob traſgreſsiones obſervationum ſui Ordinis, non eſt iniuſta excommunicatio, ſi Superior procedat Medicinaliter ad correctionem ommiſsa Canonica monitione, ſed ſi contra ipſos proceditur iudicialiter, neceſſariò debet præcedere monitio Canonica. Monet tamen, quod tutius eſt quod in utro que caſu ſervet formam iuris circa monitionem *Cap. cum Medicinalis*. Pro praxi hoc valdè nota quod aliqua res, quæ levis eſt, ſeu indifferens ex parte ſua, poteſt fieri gravis ratione finis, ſcandali, aut pe-

ricu

riculi inducentis ad gravem culpam, & ſic pro illa poteſt ferri cenſura. Poteſt enim *Prælatus* regularis prohibere ingreſſum alicuius Domus, , ſuo Religioſo, ratione ſcandali, aut periculi, & tunc præceptum, cui cenſura annexa eſt, obligat ſub mortali. Cum autem loquimur de præcepto continente cenſuram ferendæ ſententiæ, ſi in eo præcepto non adſit clauſula. *Quod abſque ulla monitione talis cenſura poſſit à Iudice applicari* [quæ ſi adſit, ſtat loco monitionis,] tunc præceptum non obligat ſub mortali,nã pœna debet culpæ correſpondere, & tunc mens legiſlatoris non obligat ſub mortali, niſi poſt monitionem. Non poteſt ferre cenſura pro actu merè interiori: de occultis enim non iudicat Eccleſia. *Can. conſuluit 2.queſt.5.Can.Cogitatio de pæniten.quæſt.*1.quare non incurritur excommunicatio pro Hæreſi purè Mentali, niſi ſigno, aut verbo congruo exprimatur. Hic obiter nota quod quando actus interior eſt de ſubſtantia ipſius exterioris, ut u. g. attentio intellectus in oratione, tunc poteſt præcipi, ideò ſi præciperet ſub excommunicatione recitationem Officij Divini, qui omninò, & voluntariè diſtractus recitaret, incurret excommunicationem. De Officio Divino tamen, vide quæ dicemus, *in quæſt.pro Coronide in fine operis.* Actus per quem incurritur cenſura debet eſſe conſumatus, niſi a legiſlatore aliter exprimatur. Odia enim ſunt reſtringenda. Unde ſi caveatur ſtuprum ſub excommunicatione, hæc non incurritur per tactus, & pollutiones &c. qui conatur percutere Clericum, nec poteſt; quia ſe defendit, non incurrit excommunicationem. Mandantes cõſulentes non incurrunt, niſi in præcepto exprimantur,

tur, & quando exprimuntnr, oportet ut mandans, & conſulens influāt; vel augendo voluntatem, vel illam generando, ſed quando conſultus erat iam determinatus, nec conſulens auxit voluntatem, non incurritur, & in dubio iudicandum eſt contra excommunicationem, utpotè odioſam, Licet teneantur mandans, & conſulens ad reſtitutionem, & quoad hoc iudicare eos influxiſſe, quia poſſeſſio ſtat pro læſo. Sed de hoc dicemus de reſtitutione.

30 Mandans enim, & conſulens non influunt in his caſibus in opus per cenſuram prohibitum. Coninch. *num.* 175. citans Silveſtrum, & Navarrum. Inſuper mandans, & conſulens ſi verè, & efficaciter revocarunt mandatum, & conſilium vera efficacia, non incurrunt excōmunicationem, nā nō ſunt rebelles, & contumaces, nec incurrunt irregularitatem, etiam ſi mandatario non innotuerit eius revocatio, aliqua cauſa, quæ omni diligentia adhibita non potuit vitari, patet; nam quando omiſsio, ſeu actus eſt ſolum voluntarius in cauſa, ſi cauſa retractetur non eſt in ſe ipſo culpabilis effectus, ut patet de eo, qui in longa navigatione proiecit Breviarium in Mare, non peccat in ſequentibus omiſſionibus, ſi coram Deo retractet voluntatem, patet ſecundò; nam tunc mādans, & conſulens ſunt iam emendati, ergo non poſſunt cenſura puniri.

31 Et licet influxerint in effectum non influxerunt moraliter, & culpabiliter ſicut ebrius, & amens qui non incurrunt excommunicationem percutiendo Clericum &c.

32 Nota quod conſulens ad opus malum faciendum, ſi non poteſt avertere conſultum ab executione

ne damni, quod conſuluit, tenetur monere ex Iuſtitia lædendum, ut ſibi caveat, ſed prudenter, ne majora ſequantur mala. (Non ſic mandans, petens, rogans, aliquid ad hoc promittens, minans pænam ſi non faciat, nam omnes iſti continentur ſub nomine mandantis, tenentur ex Iuſtitia, ſed ex Charitate, revocato tamen efficaciter mandato, & mandatario innoteſcente.) Sed ſi hoc non fecerit conſulens, tenebitur ad reſtitutionem, & ligabitur cenſura, quia non omnibus modis, quibus potuit, prohibuit alterius damnnm, ſed in illud aliquo modo influxit; niſi omninò conſtet conſultum a ſe ipſo moveri, non à rationibus à conſulente læſionem allatis. Vide quomodo hoc explicetur à Salmaticenſi noſtro Collegio *Tract.* 10. *de cenſuris cap.* 1. *punct.* 12. *num.* 158. Scias quod ignorantia invincibilis iuris, ſeu facti quia reddit actum involuntarium, excuſat à cenſuris incurrendis, etiam ſi ſciretur aliquid eſſe iure Divino, aut Eccleſiaſtico prohibitum, ſed non ſub pœna cenſuræ & pariter excuſat ab irregularitate ex delicto incurrenda, quando talis ignorantia excuſat a peccato. Dubius an ſit excommunicatus, ſecurius eſt in praxi ut abſolvatur. Veruntamen quando adeſt dubium iuris, ſeu facti non eſt cenſendus excommunicatus, nec privandus ſuo iure.

33 Etiam inadvertentia excuſat ab incurrenda excommunicatione. Iudex qui è Templo extrahit tres, qui gaudent immunitate, unicam incurrit excommunicationem, nam cenſetur unicus actus, & unica irreverentia; Sicuti qui ſimul tres excommunicatos vitandos alloquitur. Poſuimus hæc ita ſummatim, ut Confeſſarius legendo ſciat dubitare de mul-

multis, quoad praxim conſulere doctiores, & apud Auctores invenire per extenſum quæſita. Videat Sotum *in* 4. Suarez de Cenſuris, Lezanam meum, & Reſolutum de Baccone; & latè doctè multa diſcuſſa à Salmaticenſi Collegio Tract. 10. de cenſuris.

Quæres an aliquis poſſit excommunicare ſeipſum, vel equalem, ſeu Superiorem?

Dicendum ſeipſum nullo modo, nam excommunicatio fertur per modum ſententiæ, & idem non poteſt eſſe ſimul iudex, & reus, æqualem, & Superiorem tantum ex delegatione Superioris, quia par im parem, & multò magis in Superiorem non habet iuriſdictionem Sententiæ coactivæ. Indulgentia tamen quia datur per modum cuiuſdam diſpenſationis, poteſt facere ad ſeipſum directè, & immediatè, Suarez *de Indulg. diſp. 62. ſect. 2 num. 22.* Sed de hoc aliàs.

AR-

ART. III.

Praxis pro Confeſſario circa notitiam excommunicationum, & earum abſolutionem.

1 PRimo debent Prælati, Eccleſiarum Præfecti, Confeſſores Seculares, & Regulares, apud ſe habere legere, & intelligere Tranſumptũ Bullæ Cœnæ Domini, ut illas excommunicationes benè cognoſcant, ne errent abſolvendo ſine iuriſdictione; quod multi non obſervant, quos à peccato mortali non auderem eximere; exponunt enim ſe in re graviſſima, periculo malè adminiſtrãdi hoc Sacramentum, & faciunt contra præceptum Pontificis. Hæ excommunicationes ſunt benè à Toleto, & breviſſimè tractatæ in ſua Inſtruct. Sacerd. ad quem vos remitto.

2 Nota tamen pro prima excommunicatione, quæ eſt contra Hæreticos, Schiſmaticos, fautores, receptatores, & defenſores eorum, & ſcienter retinentes, legentes, imprimentes, & defendentes libros Hæreticorum de Religione tractantes, vel hæreſim continentes. Quod ad hoc ut incurratur hæc ex-

communicatio quatuor conditiones requiruntur; prima eſt, ut Auctor libri ſit Hæreticus; Secunda ut liber Hęreſim expreſsè contineat, vel de Religione agat; Tertia ut legatur materia notabilis, & ſufficiens ad mortale; Quarta. Ut ſcienter legatur, imprimatur, vel retineatur. Quare non ligaris hac excommunicatione, ſi legas libros Catholicorum, quæ referunt verba hæreticorum, etiam ſi legeres animo diſcendi hæreſim. Si legas notas auctoris hæretici in libro Catholico, niſi eſſent ita longæ, ut magis eſſent adiecta Scholia, quam liber. Non prohibentur ex vi huius excommunicationis libri Philoſophici, & alij non tractantes de Fide, ſed in hoc ſtandum eſt Indici Librorum prohibitorum. Excommunicantur qui in ſufficienti quantitate legit, & qui facit per aliũ legere, & audit. Non incurrit qui legit unam, vel duas lineas, dummodo in ea (excipio) non contineatur tota, vel maior pars rationis, per quam hæreſis probatur. Circa retinentes. Excuſantur qui retinent parvo tempore uno, vel altero die, & excuſat ignorantia, ut iam diximus. Excuſantur qui laudant ſtylum, vel elegantiam Auctoris; nam hoc non eſt defendere hæreſim. Inſuper non dicitur fautor, aut defenſor Hæretici, qui illum defendit à ſuis inimicis ne occidatur, qui eum recipit Domi, ne pernoctet in via, ne aliunde grave damnum patiatur &c. Sed qui eum cauſa hæreſis defendit, & tuetur. Demum dicuntur fautores hæreticorum omiſſione. (Hoc valdè nota) Inquiſitores, & alij S. Officij Miniſtri, ut v.g. Conſultores, & ſimiles, qui omittunt eos punire, denunciare, incarcerare.

3 Nota quod hæreſis eſt error voluntarius, & per-

pertinax, ex parte contrarius veritati fidei Chriſtianæ, & requiritur pertinacia ad veram, & propriam Hæreſim. In Cap. *Dixit Apoſtolus Cap. Qui in Eccleſia* 24. *quæſt*. 3. *&* *Cap. unic. de Summa Trinitate*, & alibi, & tunc eſt vera contumacia, quando aliquis ſequitur propriam opinionem, cum videt adverſari doctrinæ Eccleſię, nec ſe corrigere vult, licet eſſet mora inſtantanea determinata. Quomodo ignorantia etiam affectata excuſet, vide noſtrum Gabrielē à S. Vincentio *diſp*. 8. *nu*. 73 in ſumma morali, verbo Hęreſis. Palaum de fide *Diſp*. 3. *par*. 2. *num*. 3. & alios, ſed de hoc alibi.

4 Quoad alias excommunicationes in Bulla Cęnæ contentas, vide Toletum loco citato. Lezanam *verbo Bulla Cœnæ*. Hic tantum hoc adnotavi, quia caſus magis eſt frequens in confeſſionibus.

5 Sunt tamen aliæ excommunicationes, quæ licet non ſint reſervatæ in Bulla Cœnę, ſunt tamen reſervatæ Summo Pontifici. Continentur in Decretalibus, in Sexto. In Clementinis, & Extravagantibus, quas omnes videbitis in eodem Toleto.

6 Circa primam, *quæ eſt ſuadente Diabolo contra inijcientes manus violentas in Clericum*, quia magis occurrit, dicam aliquid ad notitiam mei Confeſſarij.

Doctor meus Reſolutus *in* 4. *Diſt*. 18. *quæſt*. 3 *art*. 1. *&* 2. ponit varios caſus in quibus Clericum percutiēdo non incurritur hęc excommunicatio. Primus quādo percutitur Apoſtata, qui ignorabatur eſse Clericus, utpotè quia Comam nutriebat *De ſent. excomm. Si verò aliquis*. Ignorantia enim excuſat, ſed non quælibet. Secundus quando percutitur Clericus, qui

fert arma militaria, & ab Epiſcopo admonitus, non deſiſtit. *Cap. in Audientia*. Tertius quando percutitur Clericus, qui nec iu habitu, neque Tonſura, nec in qualitate negociorum differt à Seculari, & tertiò admonitus a ſuo Prælato, non corrigitur. *Extra eodē titulo, contingit* Quid dicendum de goliardis, ideſt guloſis, & leccatoribus. Gloſſa *extra de vita, & honeſtate Clerico: Cap. Clerici*, oportet ut ter ſint admoniti. Vide ibi de Baccone. Quartus quando læditur Clericus, qui exercet negocia Secularia, ſi tertiò admonitus à Diocæſano, non deſiſtit. *Extra de vit. & honeſt. Clericor: cap. ultimò.* Quintus, ſi percutitur qui Tonſuram dimiſit, nec habetur ſpes, quod redeat ad Clericatum, nec eſt in foro Epiſcopatus. *Extra de Clerici coniug. Cap. ex parte, & Cap. diverſis.* Sextus quā do læditur ille, qui contempto habitu Clericali, tyrannidi, & crudelitati ſe immiſcet, vel guerram movet, vel publicè atrocitèr delinquit. *Extra Cap. cum non ab Homine*; Sed an ſint prius admonendi ab Epiſcopo, lis eſt ſub Iudice. Septimus, quando percutitur ille, qui contra prohibitionem Diœceſani publicè factam, recipit adminiſtrationem Secularium perſonarum. *Ne Cleri vel Mona.* C. 2. Octavus, quando percutitur Clericus depoſitus, & traditus Curiæ Seculari. *De Iudic.* Sed oportet quod traditus ſit Curiæ Seculari. Nonus, quando læditur Clericus, qui tranſivit ad actum Clericatui contrarium, quia factus eſt Miles &c. 81. *diſt. Quiſquis.* Et hi omnes, quia amiſerunt propter abuſum, privilegium Clericale.

7 Violatur poſtea Clericus ſine excommunicatione propter actum licitū in percutiente, his caſibus ex eodem reſoluto ibidem. Primus. quando ex levita-

tate, vel ioco percutitur extra *C*.1. Secundus. Quãdo magiſter percutit Diſcipulum cauſa correctionis, & diſciplinæ, licèt adſit aliqua ira. *Extra è cum volut*. Tertius. quando percutitur de mandato Prælati *titul.C,ex tenore*.Quartus. Si turbaret officia Divina poteſt eijci, violenter de Eccleſia. Quintus, Si ratione Officij in Eccleſia percutit Clericum. Sextus. Si Senior in Eccleſia cauſa devotionis id faciat. Septimus. Prælatus ſi leviter facit ad correctionem. Octavus. Dominus familiam corrigens. Nonus. Pater & Propinquus iuxta de cauſa. Quatuor ultimi caſus intelliguntur quando correctus eſt tantum conſtitutus in Minoribus Ordinibus, nam corrigens incurreret in maiorem excommunicationem, ſi percurſſus eſſet in Sacris, ſed de hoc infra. Nota quod ea omnia, quæ excuſant a mortali, pariter excuſant ab iſta incurrenda excommunicatione. Nota quod percuſſio iocoſa licet ſit gravis, & cum aliqua ira excuſat *Cap*.1. *de Sen. Eccom.* Item ſi ratione Perſonæ percuſſæ, & modo percuſſionis non cenſeatur iniuria gravis, ut accidit in pueris rixantibus inter ſe, nõ incurrunt, Pater, Magiſter, & Prælatus ſecundum multos, poſſunt punire ſubditos, filios, & diſcipulos, ſecundum gravitatem culpæ, licet ſint in Sacris. Suarez *num*. 49.Bonaccin *num*.4.*D.Antoninus* §.*caſ*. 12. Demum qui videt ſuam Sororem, Matrem, Uxo rem, aut filiam à Clerico violari non incurrit ipſum percutiens, volens Eccleſia parcere quo ad hoc, vehementiſſimæ paſſioni, & avertere Clericum a tali crimine, licet percutiens mortaliter peccet.*Cap*. 11. *Si vero de Sen excom*.& verificatur, etiam ſi Clericus inveniatur cum ſupradictis in oſculis, in colloquijs iam prohibitis.

8 Sed oportet,ne incurratur, ut per ſe, incontinenti percutiatur, & non per alios. Extende etiã ſi Clericus occidatur, quod poteſt fieri ſi Mulier tentata alia via non poſſet Clericum à turpitudine avertere, eſſet enim tunc iſta defenſio honoris, & honeſtatis. Suarez.*num*:33.*Avila dub*.13.*Caſ.* 11. Silveſter *nu*.9.

9 Compræhendit etiam non impedientes, ſi teneantur ex Iuſtitia, & illos qui non impediunt Clerici percuſſionem ex odio, & malevolentia, pariterque qui talem percuſſionem ſuo nomine factam, ratam habent, ſecundum tamen aliquas conditiones iuxta Salmaticenſe noſtrum *Cap*.4. *punct*. 2. extenditur etiam ad efficaciter mandantes, conſulentes, & conſentientes.

Prima conditio eſt, ut qui ratam habet percuſſionem Clerici potuerit mandare percuſſionem eo tempore quo eſt ſecuta percuſſio, quapropter approbãs dictam percuſſionem Clerici factam eo tempore quò ipſe approbator erat amens, vel infans non incurrit excommunicationem, quia tunc temporis, quo facta eſt percuſſio non poterat percuſſionem mandare, ſecus tamèn ſi tunc dormiebat; tunc enim facilè poterat à ſomno excitari, & interrogari, an vellet ſuo nomine percuſsionem fieri, quod non poteſt verificari de amente, & infante.

Secunda eſt ut ratam habeat dictam percuſsionem per aliquod ſignum externum *e 9 ff.verba, aut nutus*; Ratio eſt quia actus merè internus non ſubiacet poteſtati Eccleſię, & conſequenter non poteſt puniri pæna cenſuræ, niſi aliquo externo ſigno manifeſtetur.

Ter-

Tertia eſt ut percuſsio facta ſit nomine ipſius, & ſciat illam factam eſſe ſuo nomine, quare ſi de illa gauderet neſciens factam eſſe ſuo nomine non contrahit excommunicationem, niſi forte velit illam factam eſſe ſuo nomine: nam ſecundum proprietatem iuris non dicitur quis ratum habere id, quod non eſt factum ſuo nomine *de Reg.Iuris in 6:Reg.9.* Ita Bonac. *de excom.diſp.2.queſt.4.punct.1.§.2.prop.3.ver.* 10. citans Navarrum Suarez, Avilã, Molinam Filliuccium &c.& alios ſub ſuis citationibus &c.

10 Pro praxi nota quod incurritur hæc excommunicatio per quamlibet actionem violentam in Clericum, Monachum, Converſum, Novitium, &c. Non incurritur tamen ſi vim non intuliſti, licet conatus fueris ei inferre, ſed tamen non læſiſti; & incurritur etiam eum perſequendo, quia læditur honor ſtatus Clericalis &c. Vide Auctores.

11 Nota ſecundò, quòd initiatus prima Tonſura adhoc ut gaudeat tali privilegio Canonis, debet deferre habitum Clericalem, Tonſuram, & ſervire alicui Eccleſiæ ex deputatione Epiſcopi. Vide hic Toletum.

12 Sed quæres. Titius furatur crumenam Clerico, incurrit ne in excommunicationem?

Dicendum negativè, Nam non eſt actio violenta, nec contumelioſa, ſed fraudolenta. Quare detinere Clericum in aliqua Domo, itaut non poſsit ſine ſuo dedecore exire, eſt actio violenta, & contumelioſa, & per iſtam, & ſimiles incurritur excommunicatio, ut v. g. ſiſtendo Equum per frænum, cui Clericus inſidet, eum perſequendo, ſi cadat [intellige ſemper) per actionem violentam, & contu-

melioſam ; & extenditur , etiam ſi ipſe Clericus ſe ipſum percuteret ex malitia , & paſſione. Sed hic vide Auctores , non tamen cauſa devotiouis, nam talis percuſſio non eſſet contumelioſa , nec propriè violenta .

13 Quoad abſolutionem iſtius excommunicationis Scias quod à percuſſione levi , & mediocri poſſunt abſolvere Epiſcopi Clericos Collegialiter vivētes tantum , & Prælati Regulares ſuos ſubditos ; ab enormi ſolus Papa . Vide hic Toletum, & percuſſio enormis erit , ſi membrum præcidatur , copioſus ſanguis fundatur , & erit etiam enormis ratione perſonæ offenſæ . Si Epiſcopus, Abbas , & ſimiles Perſonæ percu tiantur , etiam alapa , eſt tunc enormis offenſa . Sed ſi excommunicatus non poteſt adire Pontificem , ab Epiſcopo poteſt abſolvi , ut infra dicemus .

14 Sunt certè multæ excommunicationes Summo Pontifici reſervatæ , ſed opus eſt longiori manu tractandum ; quare addam aliquid tantum de tribus communioribus . Prima eſt contra incēdiarios Eccleſiarum , & locorum . Iſti ſunt excommunicandi ſi non adſit conſuetudo legitimè præſcripta , ut ipſo facto ſint excommunicati. Secunda eſt contra rapiētes res Eccleſiæ cum effractione ; Sunt enim qui hoc faciunt ipſo iure excommunicati , ſed poſſunt abſolvi ab Epiſcopo , ſi non ſint denunciati , aliòquin excommunicatio Summo Pontifici reſervatur . Tertia eſt impoſita propter Duellum .

15 Duellum eſt pugna ſingularis ab utraqne parte ex condicto accepta , cum periculo occiſionis, aut gravis vulneris , & licet eſſet inter plures v.g. quatuor

or hinc, quatuor inde dicitur ſingularis ad differentiam belli, & debet aſſignari ex condicto, locus, & tempus pugnæ. Sanchez *in Decal.lib.2.cap.39.nu.*18 *B*onaccina *diſp.2.quæſt.6.§.1.nu.*7. Non eſt duellum ſi provocetur ad pugnam, pugno, ſeu inſtrumento non periculoſo. Noſter Gabriel à S.Vincen *de rem. ignor.diſp.*12.*dub.*2. Qui provocant ad duellum, ſeu illud acceptant, peccant mortaliter, exponunt ſe periculo mortis, & homicidij; eſt contra ius naturę, contra Eccleſiaſticum, prohibitum à multis Pōtificibus *à Trident.ſeſſ.*25.*cap.*19.*de reform.* contra ius civile *lib.unic.*6.*de Gladiat.* Non tamen duellum, eſt ita intrinſecè malum, quod non poſſit cohoneſtari, ut cohoneſtatur bellum. *S*ed ad evitandam infamiam ob notam timiditatis, non licet acceptare duellum, nam poteſt provocatus prudentius reſpondere ſemper ſum paratus ad me defendendum, ſi me invaſeris, nolo tamen traſgredi legem Dei, acceptando duellum.Sotus *lib.*5.*de Iuſt.quæſt.*1.*art.* 8. Lezana noſter; verbo duellum, Salmaticenſe, & multi alij. Quare iure merito damnata eſt hæc propoſitio ab Alexādro VII. *Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam incurrat.* Quantum debeat venerari Oraculum Eccleſiaſticum, circa propoſitiones damnatas, hic obiter nota; (ſed prius videndus eſt Doctor meus de Baccone *in* 4.*diſt.* 17.*qu.* 1.*de Clav.Eccleſię art.*1.*&* 2.ubi ad intentum pulchra dicit; præ cæteris. Quod clavis ſcientię non habitus ſcientiæ, ſed auctoritas exercendi actum ſcientiæ, reſidet in Papa, ſive eremita fuerit ideſt indoctus, ſive Canoniſta)

16 Quod apud Catholicos luce eſt clarior hæc pro-

propoſitio, Romanus Pontifex quando ex Cathedra, loquitur,non poteſt errare in materia morum. Suar. *diſp.5.de fideſect.8.num.7.* De fide enim eſt quod Ecclefia ſit Sancta, ſed ſi approbaret turpia pro honeſtis, & damnaret honeſta, reputando ea ut turpia, Eccleſia non eſſet Sancta,ergo &c.Confirmatur. Nã Eccleſia dicitur Sancta potiſſimè ob Sanctam profeſſionem. Accipitur hic Eccleſia cum ſuo capite.Si enĩ erraret Papa præcipiendo vitia, & prohibendo virtutes, teneretur Eccleſia credere vitia eſſe bona,virtutes malas. Vide Caſtrum Palaum *tomo.tract.* 4.*diſput.*1.*punct.*5.*nu.*4.Ioannem de Cardenas *Criſis Theologica in diſer proœmiali art.*1.*& ſeq.*Inſuper eſt de fide, quod Pontifex errare non poſſit in paſcendis ovibus, ſed oves paſcuntur, etiam doctrina morum, ergo Pontifex &c.

17 Pariter Pontifex non poteſt errare in materia probabili circa mores. Contra Caramuel.*qui aſſerit non dari in Mundo viſibili auctoritatem damnandi opiniones probabiles*,nam propoſitio probabilis, dicit, eſt bona, & innocens inſtar lucis inter tenebras humanæ mentis, ergo nulla auctoritas poteſt facere, quod opinio probabilis ſit improbabilis. Sophiſtica æquivocatio facile diluenda, ſi diluatur hoc argumentum, implicat ſedentem ambulare, & cœcum videre, ergo nulla poteſtas poteſt facere quod ſedẽs ambulet.Eſt vulgata reſponſio de ſenſu diviſo, & de ſenſu compoſito. In antecedenti accipitur propoſitio in ſenſu compoſitò, & in conſequenti in diviſo.In Eccleſia enim datur regula infallibilis ad controverſias diluendas, quæ oriuntur de bonitate, aut malitia morali propoſitionum, quæ regula eſt, Pontifex lo-

loquens ex Cathedra, ut in multis fecit, & facit;non poteſt errare; nam ductu Spiritus Sancti illi innoteſcit aliqua ratio, per quam movetur ad auferendam probabilitatem propoſitionum,quę iam fuerunt probabiles,ſicut benè fecit,& facit. Sed cũ noſtrum nõ ſit de hoc ſcribere ex profeſſo, ſed venerari iſtam indefectibilem auctoritatem à Chriſto Sponſo Eccleſiæ collatam, videatis auctores. Unde bene dicit Doctor meus Reſolutus de Baccone *in* 4.*quæſt*.8.*Prologi art*.1.2.3.*&* 4. quod exercitatio ſophiſtica licet in ſe utilis, & bona quodadmodò ad exercitium, & ad deceptiones dignoſcendas ſit, tamen vitandam eſſe in Theologia, ut benè probat, nam in ea,ex Auguſtino, eſt libido rixandi & oſtentatio puerilis decipiendi, & in Theologia ſunt ſtultitiæ; Unde Apoſtolus ad Timoteum ſecundò. *Hæc commoneo etiam coram Deo noli verbis contendere,ad nihil enim utile eſt niſi ad ſubverſionem audientium.*Sunt enim Sophiſmata laquei Diaboli. Unde H*ierò.de Hæreticis .Manifeſtus eſt ſenſus, qui ſophiſmatibus ſuis, & Arte Diabolica ſæpè opprimit Eccleſiaſticos*; Unde dicit bene Doctor meus quod iſta introductio in Theologia eſt cauſa Hæreſis *art*. 4.omninò videndus, quia pulchrè dicit. Sed redeamus ad noſtra.

18 Aſſignant tamẽ Auctores aliquas cauſas, quæ reddunt licitũ duellum, & ab excommunicatione immune. Minatur aliquis adverſarius tibi mortem, excidium famæ,& bonorum,nec eſt alia via talia ma la evadendi, quæ moraliter tibi imminent,potes acceptare oblatum duellum, tunc enim acceptas minus malum,ut maius evites. Sanchez. *lib*.2.*Decal.cap*.39. *num*.8.*Mendoſa* 2.2. *diſ*.170.*ſect*.86.§.76. Bonac. *nu*.

18. *& alij*. A Iudice offertur duellum, potes ilud acceptare ad evitandam mortem, infamiam, iacturā bonorum, & non eſt alia via ſe liberandi. Sanchez *num*.4. Offertur duellum paucorum ad terminandum bellum, & cædem multorum, licitè acceptatur. Bonac. *num*:18. Sicut Princeps poteſt acceptare, & indicere duellum ad terrendos hoſtes, & ſuos milites animandos. Suarez *diſp*.13.*de Bullo ſect.ult. numer*.9. Vide tamen auctores quibus me remitto, & caſus allatos apud Salmaticenſe noſtrum. Circa pænas provocantium, & acceptantium duellum. Triden. Excommunicat Imperatores, Reges, & alios Dominos temporales, qui concedunt Chriſtianis locum ad duellum, Spectatores, Patrinos ſuadentes, & punit Dominos privatione Dominij, Patrinos, & duellantes infamia, & privatione bonorum, & mortuos in duello privat Ecclesiaſtica ſepultura. Pius IV. in motu proprio extendit excommunicationem, & pœnam ad diffidationes, invitantes, auxilium procurantes, ad conſilium, & favorem dantes, aſtantes, intereſſentes, & reſervat abſolutionem Pontifici. Gregorius XIII. in motu proprio 1582. extendit ad duella privata, etiam ſine patrinis, ſine literis provocatorijs, ad permittentes, nec prohibentes, mandantes, inſtigantes, dantes auxilium, conſilium, arma, equum, alia ſuſſidia, ſcienter comitantes, ſpectantes. Quæ omnia à Ciemente VII. confirmata fuere, & ſupponit interdicto Eccleſiaſtico Oppida, Magiſtratus, & loca tacitè, vel expreſsè permitentia duella, & reſervat abſolutionem Summo Pontifici. Sed pro praxi nota: quod exceptis cenſuris, cæteræ pęnæ indigent ſententia ſaltem declaratoria crimi-

nis

nis, ut incurrantur. Sanch. *nu.* 32. Palaus *num.* 21.

19 Nota ſecundo, quod duellum, ut pænæ incurrantur, debet eſſe inter Chriſtianos, ſaltem ut unus ſit Chriſtianus. Nota tertiò, quod non incurrit Princeps, & Magiſtratus has pęnas, ſi permittāt ex iuſta cauſa, ut ad evitandum maius malum. Nota quartò, quod ſpectatores duelli, ut incurrant pęnas, debent ex propoſito eſſe ſpectatores, illi nimirum qui ſocij ſunt; vel ſua præſentia accedunt ad pugnam, non qui tranſeundo aſpiciunt, vel ſecretò, aut à longe; nec qui comitantur pugnatores animo impediendi duellum; nam iſti potius ſunt contradicentes. Nota quintò, quod qui indixit duellum, ſi provocatus non venit ad locum duelli, non incurrit excommunicationem, nam omnes pænæ impoſitæ propter actum, non incurrũtur, niſi actu ſequuto. Mendoza 2.2. *diſp.* 170. *ſect.* 21. §. 190. Sed qui acceptat diffidationem, ſtatim ac acceptavit ex Bulla Clemen. VIII. incurrit excommunicationem, ſi acceptavit ex animo exercendi Monomachiam. Bonac. *num.* 10. Patrini, conſulentes, comitantes, provocantes incurrunt excommunicationem, etiam ſi duellum non ſit commiſſum, niſi fuerint cauſa ut duellum non eſſet commiſſum; tunc non excommunicantur. Gregor. XIII. Clem. VIII. Bonac. *num.* 30. ut ſint tamen excommunicati conſulentes, debet eorum conſilium eſſe efficax, ideſt aliquo modo influens. Conſulentes ſi omnibus modis revocaverunt conſilium, licet de facto non ſit revocatum, an incurrant lis eſt ſub Iudice; Vide Bonac. *num.* 36. Vide quæ diximus *art.* 2.

20 Abſolutio excommunicationis propter duellum, ſi fuit notorium, aut ad forum contentioſum,

deductum, eſt Pontifici reſervata, ſeu ſuo delegato. Si duellum fuit occultum, vel non deductum ad forum contentioſum, poterunt abſoſvere Epiſcopi iure ordinario. Vide infra de Privilegijs Confeſſarij regularis.

Iſta enim facultas non fuit revocata à Clem. VIII. quia in eius motu proprio non fuit expreſſum privilegium conceſſum à Tridentino Ordinarijs, quod erat neceſſarium ut exprimeretur, ut in ſimilibus debet exprimi, ut dicunt Sanch. *lib.2.Decal.cap.30.nu.27.& lib.3.de Matrum diſp.26.num.7.* Lezana noſter *Verb duellum nu.13.* Tamen virtute Bullæ Cruciatæ poſſunt omnes Confeſſarij abſolvere ab illa ſemel in vita, & ſemel in morte; quia in illa conceditur facultas abſolvendi ab omnibus caſibus Papalibus, excepta hæreſi, & ſi duellum ſit ſecretum poterunt toties, quoties, quia tunc eſt caſus Epiſcopalis, & nõ Papalis.

21 Quæres an poſſint regulares? Dicendum negativè in Italia extra Urbem, ex Decreto Clementis Octavi: poſse tamen extra Italiam. Vide Comitolum *lib.6.moral.quæſt.17.* Lezanam ubi ſupra. Sed de hoc reſolve, quando videris, quid dicendum infra, de Confeſsore regulari. Nota quod Sardinia, Corſica, Sicilia non includuntur in Pontificijs decretis, latis pro Italia, niſi exprimantur, ſicque virtute ſuorum privilegiorum Regulares poterunt in illis Regionibus abſolvere, ab hac excommunicatione.

22 Quod pertinet ad abſolutionem excommunicationum. Quilibet Confeſſarius approbatus, qui poteſt abſolvere à Mortalibus, poteſt etiam abſolvere à cenſuris nemini reſervatis; A cenſuris autem

re-

reſervatis, qui eas tulit poteſt abſolvere, eius Superior, imò etiam delegatus. Doctor meus Reſolutus. poteſt abſolvere qui poteſt ligare regulariter. *diſ.* 2. *cap: Inferior:* niſi ſuperveniat impedimentum in Superiore, puta ſi excommunicator fieret ipſe excommunicatus, aut laberetur tempus ſuæ auctoritatis *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 1. *art.* 13. Vide Doctorem meum, ad quem te remitto.

Epiſcopi à quibuſvis delictis habentibus cenſuram Papę reſervatam extra Bullam Cœnæ poſsunt abſolvere, dummodo ſint occulta, id eſt non publica, nec notoria, aut famoſa, nec deducta ad forum contentioſum, licet eſsent aliquibus nota: dummodo peccator, publica infamia non laboraret; ſed ſi adeſt impedimentum adeundi Pontificem, etiam reſervata in Bulla Cænæ poſsunt Epiſcopi abſolvere, ut in ſenibus, pueris, mulieribus &c. Vide Colleg. Salm. de excom. licet ſint publica iſta delicta; Ceſsante tamẽ impedimento debet adiri Pontifex. Excipe mulieres, pueros; ſed caute intellige, & vide Colleg. meum Salmat. Vide infra de Prælatis, & cõfeſsarijs Regularibus.

23 Sed quid dicendum de hæreſi occulta, poſsũt ne Epiſcopi ab ea abſolvere cum non adeſt impedimentum adeundi Pontificem, & hoc quęro in ſentẽtia eorum, qui dicunt quod delicta occulta contenta in Bulla Cęnæ poſſint ſemper ab Epiſcopis abſolvi.

Dico litem eſse ſub Iudice. Homobonus de Bonis, de caſibus reſervatis, in prima parte de abſolutione, obſervationé quinta habet hæc verba. *Quod autem ad abſolutionem hæreſis, communior, & tutior eſt ſententia per Bullam Cænæ Domini eſſe huiuſmodi facul-*

ta-

tatem revocatam, & citat auctores, & re vera res eſt valdè dubioſa.

Ego tamen ſentio à nullo caſu contento in Bulla Cęnæ poſse Epiſcopos abſolvere, niſi adſit impedimentum adeundi Pontificem, quæ nam autem ſint hæc impedimenta infra dicam clarius. Caſus enim Papalis ſuperveniente impedimento fit Epiſcopalis, & non aliter. Vide Franciſcum Verde Anacephal de caſibus reſervatis. Vide etiam hic Collegium Salmaticenſe noſtrum, quod multa obſervat *tract.10.de cenſuris cap.4.puncto* 4. Si tamen habent hanc facultatem pariter habent eam Abbates iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem habentes, nam iſti veniunt nomine Epiſcoporum Sanchez *lib.2.cap.11.num.5.* Inquiſitores habent talem facultatem pro foro externo, ſed an habeant pro foro interno, quando Hæreticus occultus, illis ſecretò confitetur ſuam hæreſim. Multi negant. Collegium noſtrũ affirmat, vide apud ipſum loco citato validas rationes. Non tamen habent Prælati Regulares, reſpectu ſuorum ſubditorũ, adeſt enim propoſitio damnata ab Alexandro VII. quam nos quoque damnando reijcimus. *Prælati* Re-*gulares poſſunt in foro conſcientiæ &c.*

24 Nota quod ad abſolutionem cenſurarum in foro interno ex natura ſua non requiruntur certa determinata verba, ſed ſufficiunt aliqua, & etiã ſigna, dummodo per ipſa demonſtretur quod abſolutio impéditur, in foro tamen externo ſervanda eſt formula cuiuſcunque Epiſcopatus. Salmaticenſe noſtrum aſserit cum multis, Regulares habere privilegium abſolvendi abſque ſolitis ceremonijs. Præmittendus regulariter Pſalmus *Miſerere*, percutiendus leviter ab-

abſolvendus virga, ſuper humeros (exceptis fæminis.) In abſolutione verò mortuorum, percutitur Sepulchrum, & ſi obtineatur abſolutio per metum gravem, iniuſtè incuſſum, non valet, imo alia nova incurritur.

25 Sed valdè nota pro praxi ne erres, quod debet impendi data ſatisfactione; quæ ſi ſit impoſſibilis pro tunc, ſufficit dare cautionem, aut iuramentum de ſatisfaciendo, quando poterit.

Antequam abſolvatur à peccatis debet abſolvi ab excommunicatione, & in articulo mortis, quandò non habens auctoritatem, poteſt abſolvere, ſi ſuperveniat Superior, aut delegatus, ab ipſo prius debet abſolvi, à cenſuris,& non à ſimplici Sacerdote. Moveor quia adhuc ſi non eſſet præſens Superior, aut Delegatus, deberet ceſſante periculo illi ſe præſentare; ergo ſi eſt præſens Superior, ab illo debet abſolvi. Et hæc opinio eſt tutior.

26 Scias quod excommunicatus pluribus excõmunicationibus poteſt extra articulum Mortis abſolvi ab una, & non ab alia; inter iſtas enim non eſt neceſſaria connexio, & ligatus varijs vinculis, poteſt ab uno, & non ab alio ſolvi.

27 Nota quod qui in Iubilæo fuit abſolutus, & inculpabiliter omiſit peccatum cui erat annexa cenſura, poſteà poteſt a quovis virtute Iubilæi abſolvi, dummodo ſit approbatus.

28 Poteſt dari abſolutio ad reincidentiam pro certo actu, & tempore; etiam ſub onere, quo non impleto, cenſura liget; ſed regulariter non eſt danda. Poteſt abſolvi abſens, & nolens, ſed non expedit; pæna enim poteſt ferri in abſentem ergo, & tolli,

li, & nolens poteſt à vinculis ſolvi, ſed non mæretur, Sed quomodo, & quando. Vide hic Collegium noſtrum. Si cenſuratus differat petere abſolutionem, peccat, & quidem mortaliter, niſi excuſet parvitas moræ, nam privat ſe dolosè, tribus bonis communibus, ut dictum eſt cum gravi prȩiudicio animæ ſuæ, & vult abeſſe à gremio Eccleſiæ, Alterius *lib.* 3.*diſp*.8.*cap*.3.

29 Nota etiam hoc valdè pro praxi, quod abſolutio ad cautelam, quando nempe dubitatur an pænitens incurrerit cenſuram, poteſt impendi à quocumque confeſſario in foro conſcientiæ, dummodo promittat ſatisfacere parti ſi oportebit, ſeu ſiſtere ſe Superiori, à quo eſt reſervata, quando de excommunicatione conſtabit. Qui non præmiſſa ſatisfactione abſolvit, peccat mortaliter, & tenetur ipſe abſolvens ſatisfacere, Si quis abſolutus eſt, data cautione de ſatisfaciendo, ſi poſtea non ſatisfacit, quādo poteſt, non remanet excommunicatus, niſi denuò excommunicetur; quia fuit illi data abſolutio abſolutè, nec abſolutio ſuſpendit effectum ſuum. Si cui debeat fieri reſtitutio ſit in loco diſtanti, ponatur in loco tuto, & tunc poteſt abſolvi, quia ſufficiens ſaisfactio data eſt.

30 Quando conceditur facultas abſolvendi ſatiſfacta parte, ſi non adimpleatur, nec aliunde exprimatur conditio, Sit valida abſolutio licet non licita, lis eſt ſub Iudice, ſed vide Collegium noſtrum. Sed pro praxi ſcias quod qui poteſt abſolvere à peccatis reſeruats potest paritet abſolui ab excommunicationibus illis annexis, ſed prius ab iſtis, poſtea ab illis. Qui habet facultatem abſolvendi à cenſuris poteſt abſolvere à ſuſpenſione, & interdicto; non

loquor de cenſura,quæ fertur ab homine per modum particularis ſententiæ, contra determinatam Perſonam, Nam hęc non poteſt abſolvi, niſi à Superiore, vel à Succeſſore, vel à Delegato, ſed de illa, quæ fertur per modum ſententię generalis præcepti, vel ſtatuti ad alquod delictum præcavendum. Vide Suarez *diſp.7.ſect.2.num.in* 2. *Filliuc.tract.*11.*cap.* 9.*num.* 202.*Villalobos tract.*16.*diff.*18.*num.* 12. Tolet.*lib.*1. *cap.*16.Bonac.*num.*6.Laym.*tract.* 5.*par.* 1.*cap.*7.*nu.*3. Sed quia quando excommunicatus non poteſt adire Pontificem, ut dixi,Epiſcopus poteſt eum abſolvere.

31 Quæres primò quæ nam ſint impedimenta, quæ excuſare poſſunt excommunicatum ad accedendum ad Pontificem?

Dicendum eſſe ſequentia.Primum.Periculum mortis in itinere; Secundum.Infirmitas longa.Tertium. Paupertas, niſi ſoleant mendicare; Quartum.Ætas, ſive ſenilis; ſivè ſit impuber. Quintum.Sexus fœminilis.Sextum.Subiectio Filij familias, & Servi quando ſine præiudicio Dominorum adire non poſſunt Pōtificem.Septimum.Cura Animarum, vel temporale dominium, quando timetur detrimentum ſubditorū. Octavum.Debilitas in viris delicatis, qui ferre non poſſunt incōmoda itineris, & etiam impotentia in cœco, & claudo; tandem omne quod in iudicio viri prudentis cenſetur impedimentum legitimum. Tūc enim Epiſcopus tutò poteſt etiam ab Hæreſi abſolvere. Omne habetur ex *Cau.Cap, ſi quis ſuadente* 17. *quæſt.*4.*cap.non dubium.Cap.ea noſcitur. Cap. mulieres. Cap.de moniali.Cap.de cætero.Cap.nuper* 29.*de ſent. excomm.*

32 Quęres ſecundò, an in tali caſu excommuni-

catus, teneatur impetrare abſolutionem à Papa per Procuratorem, aut per epiſtolam.

Affirmat Bonacina de cenſuris *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *puncto* 2. *num.* 4. Sed dicendum non teneri, quia nullum ius hoc pręcipit, nec tenetur adire Nuncium Pontif. nã ceſsãte prima obligatione, reſtituitur Epiſc. ordinaria poteſtas, quam per reſervationem amiſerat. Et cum reſervatio ſit odioſa, ſtrictè eſt interpretanda de recurſu ad ſolum Papam. Ceſſante tamen impedimento, quod debeat ſe præſentare Pontifici, ſaltem per Procuratorem ſub pœna reincidentiæ, dummodo non ſit impuber, docet Urtadus *de excom. diſp.* 15. *diff.* 3. *num.* 10.

AR.

ART IV.

De excommunicatione, quæ fulminatur ad revelanda furta, vel alia delicta, vel ad reſtituendam rem alienam.

1 SUpponendum ergo neminem teneri denunciare delinquẽtem in propria Cauſa, & dãno proprio [niſi publicum, & commune bonum hoc ex poſtulet] nam quilibet poteſt condonare iniurias ſibi factas.

2 Pro dicendis noto, quod delilictum, denunciatio cuius præcipitur in edicto, mandato, ſeu monitorio poteſt eſſe contra bonum cõmune, ut hæreſis. Crimen læſæ maieſtatis, proditio Reipublicæ; ſeu damnum in particulare tertij, ut homicidium, furtum; & poteſt eſſe, vel in fieri, vel in facto eſſe; vel denique tale delictum poteſt tantum cedere in damnum illius, qui tale crimen comiſit. Quibus notatis.

3 Dicendum primò, quod ſi delictum non ſit in præ-

præiudicium tertij, neminem teneri illud denunciare, niſi præceſſerit infamia (quæ eſt rumor ortus de aliquo delicto à probis, & honeſtis hominibus per maiorem partem viciniæ, ſeu Communitatis) ratio eſt quia ſicut non poteſt Superior inquirere, niſi præcedat infamia, ita nec ſubditus tenetur obedire. Imo qui in tali caſu denunciaret, peccaret graviter, læderet enim famam proximi. Si autem præceſſit infamia, tenemur denunciare. Niſi ex tali denunciatione timeretur damnum notabile; Unde uxor non tenetur denunciare crimen Mariti, Filius Patris; & ſic uſque ad quartum gradum. Sed de hoc inferius.

4 Extenditur hæc regula ad ſervos, & domeſticos, ut caveantur odia, rixæ, & quoad conſanguineos, damnum cenſetur commune. Excipe delictũ hæreſis, prodictionis Reipublicę, & ſimile; nam tunc bonum commune anteponendum eſt bono particulari, & ſemper iſta crimina ſunt denuncianda. Sotus 5. de Iuſtitia *qu.5.art.*1. Sylveſter verbo iuriſdictio.

5 Poteſt tamen delictum, de quo infamia non prçceſſit, facta tamen correctione fraterna denunciari Iudici, ut Patri, ad emendationem, non punitionem. Emanuel Rodriguez de ordine iudiciali, de Baccone *diſt.*19.*art.*2.*quæſt.*1. Quaudo autem delictum cedit in damnum tertij, ut furtum, homicidium non debet revelari ex vi Monitorij, ſi eſt occultum, & non præceſſit infamia, ſi tale crimen eſt perpetratum. Non enim tunc Iudex iuridicè procedit ad inquirendum, & tunc debet inſpici fama delinquentis. Si verò tale delictum non ſit perpetratum, & ſit in ſieri, licet non præcedat infamia, & ſit oc-

cul-

cultum debet revelari ex vi Monitorij, tunc enim Iudex non procedit ad puniendum, ſed ad præcavendum malum tertij, & ipſius delinquentis. Sotus *tract.de tegendo ſecreto,m.2.q.4.concl.2.* Hic nota quod Teſtis tenetur teſtificari, licet probare non poſſit, quando Iudex præcipit, ut teſtificentur, qui hoc delictum ſciunt; præcedente tamen infamia. Navarrus *Cap.inter verba concl.6.num.*282. & 186. Sed de hoc infra.

6 Quæres qui nam ſint illi, qui non tenentur denunciare furta, ſeu alia delicta, ex vi Monitorij?

Dicendum in primis non teneri furem manifeſtare ſe ipſum, neque complicem, niſi iuridicè interrogetur, & fama prçceſſerit. Item non teneri denunciare illos, quos pars ad cuius inſtantiam lata eſt excōmunicatio, aut Iudex formaliter, ſeu virtualiter vult eximere, & regulariter ſunt, Filij, Uxor, Parentes, & coniuncti maxima amicitia, dummodo non exprimatur in Monitorio oppoſitum.

7 Item nec denunciari, nec denunciare tenetur ille, qui ſuſtulit rem per iuſtam compenſationem, ſibi debitam ex iuſtitia, dummodo debitum certum ſit, & procedat ex vero debito, non ex promiſsione; nā non ſuſtulit iniuſtè. Peccat tamen mortaliter ſi non ſervatis circumſtantijs debitis, ſibi compenſavit; nēpè ut via Iuſtitiæ non potuerit, niſi magno incommodo ſuum recipere, & ne alijs imputetur furtum, ſed in iſto caſu non incurreret excommunicationem.

8 Item excuſatur, tam fur, quam illi, qui illius habent notitiam, ſi fur ſit impotens ad ſolvendum, nam ad inutile nemo tenetur; & impotens ille dicitur, non qui eſt in extrema neceſsitate, ſed qui non

poteſt reſtituere ſine magno incommodo, quia in moralibus hoc impoſſibile dicitur.

Excipe ſi partem notabilem poſſet reſtituere magni furti; tunc enim teneretur, & uterque incurreret excommunicationem. Excipe etiam ſi Monitorium latum fuit nullo præfixo tempore; tunc cum poterit ipſe, & non denuncians incurret. Si verò excommunicatio ſit impoſita pro dererminato tempore; illo tranſacto, licet fur poſſit reſtituere, non tenetur aliquis denunciare, quia ſententia ultra ſtatutum nullum habet vigorem.

9 Irem excuſantur etiam illi qui nō poſſunt denunciare niſi cum magno incommodo in vita, honore, vel ſubſtantia. Leges enim Eccleſiaſticæ dulces ſunt, neque obligant cum tanto incommodo; Niſi tamen bonum commune, & Divinum eſſet præferēdum, in quo caſu etiam ſine Monitorio denunciare tenemur. Nam ubi multis paratur nocumentum dicit Doctor meus Reſolutus *diſt*.19.*in* 4.*art*.2. melius eſt ut unus in fama lędatur [intellige ſuppoſita culpa] quam multitudo gravetur, ſicut melius eſt mēbrum abſcindere, quam totum corpus pereat. Banez 2.2.*quæſt*.68. Filliuccius *tract*.14.*cap*.2.*quæſt*.8.*nu*.8. 31.*&* 39.

10 Item excuſantur qui ſciunt ſub ſecreto naturali, & illi quibus notum eſt crimen cauſa capiendi conſilium [ſemper intellige iuxta dicta] Ad bonum enim commune ſpectat quod homines petant conſilium ſine timore revelationis, ab Advocato. v.g. Medico, Theologo &c. Sanchez *lib*.6.*conſil*.*cap*.2.*dub*.20 Filliuc. *tract*. 14.*cap*.2.*quæſt*.8.*num*.3. Limita etiam cum revelatur ad præcavendum magnum damnum

al-

alterius. Undè Doctor meus de Baccone aſſerit poſſe revelari in Iudicio rem occultam, dictam alicui Amico ſub ſigillo Confeſſionis. Intellige non in Sacramento Confeſſionis, ſed ut ſolet,dico hoc tibi ſub Sigillo Confeſſionis, quod obligat ſub ſigillo naturali, etiamſi dicatur Sacerdoti, extra tamen pœnitentiale Iudicium, nec in ordinem ad illud, & vult quod poſſit in Iudicio revelari, cum cauſa tamen, iux ta dicta; etiam ſine Monitorio, dicit tamen quod ſummo ſtudio hæc celanda ſunt, *art.3.diſt.16.cum S. Thoma*.

11 Item non tenentur denunciare illi, qui certò ſciunt Prælatum non facturum Iuſtitiam, nam in tali caſu, ceſſaret finis præcepti, ſi tamen dubitāt, tenētur. nan præſumendum eſt in favorem Prælati. Sanchez *lib.6.conſ.cap.7.dub.17.*

12 Tandem non tenemur denunciare illud quod ſcimus ab hominibus infimæ notæ, & quod probare nō poſſumus teſtibus, vel indicijs;crimen enim quod nullo modo probari poteſt, ac eſt ſi neſciretur. Excipe ſemper, quæ debent denunciari in S.Officio,& quod eſt contra bonum Communitatis, & quando quis novit impedimentum Matrimonij,nam tunc ſufficit unus Teſtis, ſaltem ad inquirendum de validitate Matrimonij, & differendum.

13 Quæres primò. An quando in edicto præcipitur manifeſtare talem reum, teneatur aliquis manifeſtare Reum emendatum?

Dicendum ſi peccatum habet effectum aliquem pendentem in futurum, teneri. Secus non. Sanchez *lib.2.conſ.2.dub. 15. & in Decalog.lib.6 cap.18.num.4.* Si verò peccatum ſit publicum, & emendatum, & pu-

blicè conſtet de emendatione,non tenetur quis revelare. Limita quando Prælatus intendit præcisè emẽdationem, ſed ſi intendat ſatisfactionem ſcandali,& punitionem, ut in S.Officio,teneris denunciare. Superior enim iuſtè non ſolum inquirit ad emendationẽ ſed etiam ad punitionem. Bonac.Navar.*cap.* 17.*nnmer*.137.

14 Qnæres ſecundò. An reſtituere teneatur dãna tertij, qui non relevat teſtificando, ſeu denunciando, quod præcipitur revelari per Monitorium?

Suppono talem peccare contra obedientiam, & fortaſſis contra Charitem;& ſi aliqua cauſa,& modo licito declinet præceptum Superioris, ut v. g. ſe abſentando nullo modo peccare. Quo ſtante.

Dicendum non teneri ad reſtitutionem, nam præceptum Superioris non inducit obligationem Iuſtitiæ, ſed obedientiæ;ſeu Iuſtitiæ legalis,non autem cõmutativæ. Vide hic Collegium Salm. noſtrum contra Sotum, Valentiam,& alios.

15 Circa obligationes denunciandi in S. Officio etiam ſuſpectos deHæreſi ſine prævia correctione. Vide Carenam *tit*.9.& obligantur Filij, Uxores,Patres, ſed vide quando,& quomodo?

16 Pro praxi. Confeſsarius non abſolvat eum, qui promiſit denunciare, nec denunciavit, niſi fides Pœnitentis ſit benè nota, aut urgeat neceſſitas Communionis.

Sed pro complemento,iudico aliqua eſse dicenda de teſtibus, quare.

Quæro.An, & quandò teneatur quis teſtari? Nemo tenetur, niſi ex Charitate ad avertendum grave pamnum Proximi, ſeu Communitatis, aut ex præce-

cepto Superioris,ut antea dictum eſt.

17 Non tenetur etiam iuridicè, & legitimè interrogatus teſtificari primò. Si ſcias ex confeſſione; Secundò.Si accepiſti ſub Sigillo naturali, ſecundum iam dicta;Tertiò.Si tibi, tuiſque grave damnum immineat, niſi damnum publicum prævaleat. De Lugo *de* I*uſt.diſt*.39. Unde non teneris contra Conſanguineum; Quartò.Si non accepiſti à fide dignis;Quītò.Si factum ſciviſti per iniuriam, ut aperiendo alienas literas; Sextò. Si præſumptus reus, non peccavit in facto, ut ſi inquireretur de fure,qui tamen ſurripuit ad iuſtam compenſationem. Applica quæ diximus.

18 Qui ſciens falsò teſtatus eſt, tenetur ad compenſationem omnium damnorum; tenetur revocare teſtimonium cum æquali ſuo damno, etiam cum periculo Vitæ, Si Reus periclitetur de ea. Si tamen revocando poſset adhibere remedium. (In damno enim æquali)habenda eſt prius ratio innocentis.

19 Pro praxi nota. Quod ſi Teſtis ex inadvertentia,oblivione, ignorantia incalpabili, falſum teſtificatus eſt; tenetur impedire, ſi poſſit; non tenetur tamen ad reſtirutionem, etiam quod Reus damnetur, nam non tenetur ex re accepta, nec ex iniuſta actione, quæ ſupponit delictum.

20 Nota etiam quod debet eſſe cauſa efficax:nā ſi ex aliorum teſtimonio iam damnatus erat Reus,ad nihil falsò teſtificans tenetur, niſi cum alijs conſpiraſſet ad teſtificandam.Layman.*lib*.3.*l*.5.*c*.8.

21 Pro interrogationibus faciendis nota. Quod Teſtis peccat.Si aperiat veritatem, quando eam debet celare.Si affirmat quod ignorat.Si prætium acci-

piat

piat pro dicenda veritate. Si ſe abſcondat in caſu, in quo debeat teſtificari. Si non obediat Iudici, quandò iuſtè interrogat, &c.

22 Quid autem dicendum ſit de iuramẽto, quod communiter datur in Dominio Lucenſi ſupra damna data v.g. in nemoribus? &c. abſolutè.

Dicendum obligare ſub mortali ad revelandos dãnificatores; Nam adeſt Statutum Reipublicæ, quod ſi non invenitur damnificator, tota Communitas dãnum ſolvat. Quare &c. Sed unum pro certo addo, quod ſi vidi aliquem ſurripientem materiam parvam illius Nemoris, cùm verè non ſit damnificator, non teneor, nec debeo illum manifeſtare. Si autem ſucceſſivè multos vidiſſem parum damnum intuliſſe, ex quo ſecutum eſſet damnum notabile proximi; credo illos ſimul ſub mortali manifeſtandos eſſe. Nam tunc pro rata ſolvendo, unuſquiſque gravatur iuxta vires ſuas, & delicta, & conſulitur indemnitati Communitatis, & innocentium; Nec quiſquam in particulari totum onus patitur reſtitutionis; quod mihi durum nimis videretur hoc imponere prò re levi, alicui particulari.

ART. V.

De Suſpenſione.

1 SUſpenſio eſt cenſura, qua Clerico prohibetur alicuius Eccleſiaſtici Miniſterij exercitium. Ex qua definitione intelligitur multiplicem eſſe ſuſpenſionem. Alia enim eſt ab Officio tantum, ſivè Officium ſit iurisdictionis, ſivè Ordinis. Alia tantum à Beneficio, ſeu ab adminiſtratione, & fructibus Beneficij percipiendis. Alia ab Officio, & Beneficio ſimul. Inſuper alia eſt ſuſpenſio ab officio in totum, alia in partem. Alia inſuper eſt ſuſpenſio pænalis, quæ fertur in punitionem commiſſi delicti, & fertur non ad modum cenſuræ, ſed pœnæ. Alia eſt Medicinalis, per quam intenditur emendatio delinquentis, & hæc propriè eſt cenſura.

2 Confeſſarius obſervet ſi ſuſpenſio ſit ad certum tempus, quo elapſo non opus eſt, ut abſolvatur. Cōſideret verba, quibus lata eſt ſuſpenſio: nam cum ſint in re odioſa, non amplius debent extendi quam propriè ſignificent. Quare qui eſt ſuſpenſus ab uno actu,

non eſt ſuſpenſus ab alio &c. Qui tamen abſolutè ſuſpenditur, intelligitur ſuſpenſus ab Officio, & Beneficio.

Fertur neceſſariò ut ſit valida, cum prævia monitione exprimente cauſam ſuſpenſionis ſcripto, & nõ verbo. Undè ſi Superior, qui poteſt excommunicare, dicat: Suſpendo te à celebratione, non dicitur ferre cenſuram, ſed meram prohibitionem, nam in dubio nemo præſumitur peccare; & tunc Prælatus peccaret ſuſpendendo ſolo ve.bo; Sicuti quaudo Prioriſſa ſuſpenditur ab Officio. Non loquor de ſuſpenſionibus à iure. Vide Toletum loco ubi ſupra. Inter quas, pro praxi, cum ſit hæc.

3 Quæres primò. An Clericus Concubinarius notorius ſit ſuſpenſus ante ſententiam Iudicis.

Talis notorius dicitur, per confeſſionem factam ĩ iudicio per ſententiam Iudicis, ſeu per facti evidentiam, quæ tergiverſatione non poteſt celari; ut v.g. quando Clericus tenet Concubinam ad venerem, ut uxorem, Sive Mulier ſit libera, ſive coniugata, & in tali notorietate non requiritur citatio, ſeu declaratoria; licet de conſuetudine fiat.

Dicendum cum Toleto talem Clericum ſuſpenſũ eſſe ab officio, & Beneficio, ante ſententiam Iudicis ipſo iure, licet contrarium ſit probabile. Idem dic de fornicario notorio, & iſti nedum ſunt ſuſpẽſi, ſed etiam irregulares ob infamiam, & indigent diſpenſatione, antequam exerceant actum ſui Ordinis, à qua tamen poſſunt diſpenſari ab Epiſcopo, ſed ſi poſtea ante abſolutionem ſuſpenſionis exerceant actum ſui Ordinis, non poſſunt ab hac Irregularitate diſpenſari niſi à Papa. Excipe caſus in quibus poteſt

Epi-

Epiſcopus diſpenſare. Sunt qui dicunt talem ſuſpenſionem non eſſe in uſu. ſed an bene?tu vide.

4 Queres ſecundò. An ſit peccatum violare ſuſpenſionem, & quale?

Dicendum ex genere ſuo peccari,& quidem mortaliter, niſi parvitas materiæ excuſet.v.g. ſi exerceat actus Ordinis minoris.Lezana *verb ſuſpenſio nu.* 13 Suarez *diſp.*26.*ſect*. 2.*num*.1. Noſter Antonius à Spiritũ Sancto *diſp.*4.*ſect*.5. noſter Gabriel à S.Vincencen.de Cen.*diſp*.5.& alij, excuſatur tamen traſgreſſor in caſibus, in quibus excuſatur excommunicatus operans contra cenſuram.

5 Quæres Tertiò, quænam pœna incurratur?

Dicendum ſuſpenſum ſi actũ Ordinis Sacri, à quo eſt ſuſpensus exerceat ex Officio, aut modo, quo Sæculares non poſsunt; incurrere irregularitatem Pontifici reſervatam *Cap.Si quis Epiſcopus damnatus Cap.* 1.*de Senten.& re iudicata in* 6. *Cap. Cum Medicinalis Extravag*.Pij II.*Cum ex Sacrorum*. Et quod iſta irregularitas incurratur a ſuſpenſo, etiam non per modũ cenſuræ, ſed per modum pęnæ, & ad tempus. Multi afferunt.Bonaccina,Suarez, licet oppoſita ſententia non ſit improbabilis.

6 Quæres quartò.An poſſimus communicare cũ ſuſpenſis in ijs, quę illis prohibita ſunt, ut v. g. Miſſam audire à ſuſpenſo ab ordine?

Dicendum affirmativè, nam nullo iure id cautum eſt; dummodo non communicem cooperando: Sunt tamen invalidi illi actus iuriſdictionis, à qua ſuſpenſus eſt; dummodo ſuſpenſus ſit vitandus, nam eum Eccleſia non tolerat. Vide Collegium noſtrum.Unde ſuſpenſus a Iuriſdictione non poteſt abſolvere, &

nota

nota quod quando præciſè quis abſolutè, & ſimpliciter ſuſpenditur ab Officio, ſuſpenditur ab exercitio Ordinis, & iurisdictionis S.Thomas *in addit. qu. 22. art. 3.* Lezana verbo ſuſpenſio, Suarez. *diſp. 26. ſect. 1.* Vide hic multa apud Salmaticenſe.

7 Quęres quintò. An ſuſpenſio debeat pro culpa gravi imponi, an ſufficiat culpa venialis?

Dicendum. Suſpenſionem gravem, quæ privat beneficio, munere, & Officio, requirere culpam gravem; & dicitur ſuſpenſio maior. Suſpenſionem privantem aliquo Miniſterio, & ad tempus, quæ dicitur minor, poſse ferri pro veniali, ut pœna ſit proportionata delicto.

8 An poſſit incurri pro aliena culpa; lis eſt ſub Iudice; credo tamen quod ſpecialiter, & ſeorſim nō poſſit quis ſuſpendi pro aliena culpa. Sed quando ſuſpenditur Collegium pro culpa plurium, ſeu Superioris, ſubſcribo quod etiam Innocens poſſit ſuſpendi, ſicut valet de Interdicto.

9 De solemnitatibus requiſitis in ferendis cenſuris, & quando poſsunt, & debent omitti ab Epiſcopo, ob periculum moræ, & à Prælatis Regularibus Vide Colleg. Salmatic. & Lezanam, Toletum &c.

10 Circa abſolutionem. Qui habent auctoritatē Epiſcopalem poſsunt abſolvere à ſuſpenſione nō reſervata. Quid poſsint Epiſcopi? Scias quod etiam à reſervatis Sanctæ Sedi poſsunt abſolvere, quando proveniunt ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentioſum. Triden. *Seſſ. 24. C. 6.*

A quibus poſsint Religioſi ex vi ſuorum Privilegiorum? infra dicemus.

Sed quæres ultimò. An Clericus qui poſsidet plu-

ra beneficia ſi committat crimen cui annexa ſit ſuſpenſio abſolutè, & ſimpliciter lata, ſit privatus omnibus fructibus beneficiorum, quæ poſſidet.

Dicendum affirmative, ſi ſuſpenſio lata eſt ob crimen generale, quod reſpicit omnem ſtatum, & locum, ut eſt illa v.g. quæ impoſita eſt contra Clericos non geſtantes habitum Clericalem. *Clement. de vit. & honeſt. Cleric.*

Dicendum 2. Si ſuſpenſio lata ſit ob crimen commiſſum contra particularem Eccleſiam, remanet ſuſpenſus à beneficio, quod poſſidet in eàdem Eccleſia. Deducitur *ex cap. ſi compromiſſarius de elect. in 6.* Palaus *nu.*2. Leand. *qu.*22. Filiuc. *tract.*1 . *cap.* 3. *qu.* 3. *nu.*41. Quibus tamen ſtantibus ſemper debet attēdi intentio ferentis ſuſpenſionem, maximè ſi ſuſpenſus habeat etiam beneficia extra Diæceſim; nam licet ſuſpendatur abſolutè, niſi aliud exprimatur, intelligitur ſuſpenſus à beneficijs, quæ ſunt in Diæceſi Epiſcopi ſuſpendentis, licet poſſit privare ſuum ſubditum iure ſibi inhærente beneficio in aliena Diæceſi. Suarez. *nu.*2. Palaus *nu.*2. Sayr. *lib.* 4. *cſp*6. *nu.* 18. Idem dic de ſuſpenſione iuriſdictionis. Secus tamen de ſuſpenſione Ordinis, nam ſic ſuſpenſus ubique eſt ſuſpenſus, quia exercitium ordinis ubique unicum eſt, ſed iuriſdictio diverſa eſt ſecundum locorum diverſitatem, & beneficium, quod eſt in una Diæceſi, diverſum eſt cum ſuis fructibus, a beneficio, & fructibus alterius territorij. De regulis explicantibus ſpecies ſuſpenſionis. Vide Toletum hic Inſtit. Sacerdot.

ART. VI.

De Depoſitione, & Degradatione.

1 Q Uia cõmuniter à Theologis poſt ſuſpenſionem agitur de depoſitione, & degradatione, dicam de his aliqua, & breviter tantum, quantum ſufficiat ad notitiam mei Confeſſoris. Igitur depoſitio [quæ eſt etiam verbalis degradatio.) Eſt perpetua ab Altaris Miniſterio, & gradu Eccleſiaſtico remotio ſine ſpe reſtitutionis, & cum retentione privilegij fori, & Canonis. Degradatio (nota) includit privationem privilegij fori, & Canonis, non autẽ depoſitio. Sanch. *tom. 1. Conſil. moral. lib. 3. cap. 1. dub. 32 n.* 248. Lezana *in Summ. qu. reg. verbo depoſitio.* Depoſitio ſæpè confuditur cum ſuſpenſione; ſed re vera ab ea differt, nam ſuſpenſio eſt cenſura, non autem depoſitio; hæc enim ſine ſpe reſtitutionis, quod non convenit ſuſpenſioni, etiam perpetuæ, cui ordinarie diſpenſatur, non depoſitioni, cui iure ordinario loquendo, nunquam. Licet à Pontifice tantum, de plenitudine poteſtatis diſpenſetur. Suarez *de cenſuris diſp.* 30. *ſect.* 1. *nu.* 11. Lezana *loco citato.*

2 Sal-

2 Salmaticenſe cum alijs diſtinguúnt depoſitionem,in ſimplicem,& in degradationem verbalem

Depoſitio ſimul, quæ eſt degradatio verbalis, eſt illa,quam facit Iudex in ordinem ad degradationem realem, cum intentione procedendi ad illam. Depoſitio ſimplex eſt illa, quæ fit ſine intentione ulterius procedendi.Unde ad iſtam non requiruntur certæ ſolemnitates. Degradatio etiam verbalis privat nedum fructibus, ſed etiam titulo Beneficij, eſt enim expoliatus talis degradatus, omni dignitate Clericali. Sed depoſito ante ſententiam Iudicis, debent aſſignari ex beneficio alimenta. Laym.*lib.* 2.*cap.*22.*in fin.*& alij.

3 Degradatio verbalis ſic definitur. Eſt pæna Eccleſiaſtica, qua Clericus in perpetuum privatur omni officio Clericali, retento privilegio Canonis, ac fori. At vero realis degradatio eſt pæna qua Clericus primo verbaliter degradatus, certa ſolemnitate expoliatur omnibus veſtibus, ac inſignis Clericalibus, omnique privilegio clericali. Degradatio verbalis igitur comparatur degradationi reali, ſicut ſententia,& executio ſententiæ. Lezana verbo, degradatio.

Sed quæres primò pro praxi,ad quid teneantur ratione ordinis clericalis depoſiti, & degradati, etiam degradatione reali.

Dicendum, ſi ſint in Sacris teneri, ad recitationẽ Horarum Canonicarum ad votum Caſtitatis; nam de culpa non debent portare commodum. Si eſſent tamen in triremibus, ubi commodè non poſſent horas recitare Canonicas, tunc non tenentur.Non poſſunt tamen dicere Dominus vobiſcum, hoc denotat

quamdam dignitatem, nec facere Hebdomadarium. Lezana *verbo depoſitio.* Poſſunt tamen ſi ſint Sacerdotes validè, & verè Corpus Chriſti conficere, licet illicitè, hoc enim pertinet ad characterem.

Quæres ſecundò. Quis poſſit ſententiam degradationis formalis ferre?

Dicendum Religioſos exemptos non poſſe degradari realiter, aut verbaliter niſi a ſolo Papa. An poſſint Prælati Regulares ex Privilegio, ſeu conſuetudine.

Dicendum cum Lezana negativè, quidquid dicant Palaus, *diſp.4.punct.ult.nu.7.* Navarr. *lib.5. conſil. 58.* de Regularibus *nu.3.* Avila, noſter Anton. in Direct. Conf. Quoad alios.

Dicendum. Poſſe Epiſcopos à Metropolitano degradari cum aſſiſtentia duodecim Epiſcoporum; Clericos ab Epiſcopo, ſed quomodo? & quibus horribilibus ſolemnitatibus? Vide Colleg. Salm. ob quæ delicta? Vide ibi.

5 Quæres. Quis poſſit cum depoſito, aut degradato diſpenſare, & illum ad primum ſtatum deducere?

Dicendum regulariter ſolum Summum Pontificẽ. Si verò quis fuerit depoſitus, per crimina minora adulterio, peracta pœnitentia poſſe Epiſcopũ cum illis diſpenſare, ſecus non. *Cap. ſi Clerici de Iudicijs.* Vide auctores, & quæ infra dicemus de Prælatis, & Cõfeſſoribus Regularibus etiam remiſſivè ad Colleg. Salmat.

ART.

ART. VII

De Interdicto.

1 NOn loquor de Interdicto, ut loquitur Lezan.noſter*Sũma quęſt. Regularium* ſub hoc verbo, nẽpe *Interdictum quoad Regulares,* & *tomo* 1.*cap.*9. & *cap.*2. & *tom.* 2.*cap.*1.Nec de eorũ privilegijs circa interdictum, ut v.g. quod Interdicto Populo non intelligantur interdicti Regulares, nec Clerici;. Vide omnia apud ipſum locis citatis; ſed inferius quo ad praxim;de hoc etiam aliqua dicemus. Sed loquor ſimpliciter de Interdicto quantum ſufficit ad notitiam neceſſariam noſtri Confeſſarij, ſolita brevitate. Igitur Interdictum eſt cenſura Eccleſiaſtica, per quam prohibetur participatio quorumdam Sacramentorũ, Divinorum Officiorum, & Eccleſiaſticę Sepulturæ. Ita habetur *Ex cap.Non eſt nobis de Sponſalibus*, & *ex cap.quod in te de pænitentia*& remiſsionibus; Lezana, Silveſter in Summa verbo Interdictum. Sotus *in* 4. *D.*22.*qu.*3.*art.* 1.

2 Interdictum aliud eſt locale, aliud perſonale, aliud Mixtum. Locale eſt cum locus interdicitur,nõ Incolę. Perſonale cum Perſonæ non locus interdicũ-

tur. Rurſus interdictum, aliud eſt generale, aliud particulare; hoc cum locus particularis, puta talis Eccleſia Interdicitur, illud, cum Civitas, Regnum, vel Diæceſis interdicitur. Doctor meus Reſolut. *in 4 diſt.* 11. & communiter.

3 Nota circa definitionem Interdicti quod Baptiſmus, & confirmatio ſolemniter tunc miniſtrari poſſunt. *Cap. quoniã, & Cap. Alma Mater de Sent. Excõ. in 6.* Item Sacramentum pœnitentiæ Miniſtratur ijs, qui non ſunt in culpa, ob quam interdictum latum eſt & etiam ijs, ſi ſatisfecerint, aut dederint cautionem ſatisfaciendi, aut ſaltem iuraverint ſe ſatisfacturos, & in articulo Mortis, etiam datur viaticum. Doctor Meus ubi ſupra. Et probabile eſt cum Sanchez quod ſit licitum Matrimonium, cum miniſtretur à contrahentibus.

4 Quoad Officia Divina, prohibentur Horæ Canonicæ, Benedictiones Solemnes, exceptis certis diebus, de quo vide apud Auctores.

5 Interdicta Civitate interdicuntur Suburbia, Interdicta Parochia interdicitur Sacellum in ea poſitum, & Cæmeteriũ contiguum. Nam acceſſorium ſequitur naturam principalis. Interdicto Populo non interdicuntur Peregrini, nec Religioſi. Sicut interdicto Clero non interdicuntur Clauſtrales, nam tantum in favorabilibus veniunt nomine Cleri.

6 Poſſnnt tamen pro aliena culpa interdici etiam Innocentes, quatenus ſunt Partes Communitatis, nõ quatenus Innocentes ſunt.

7 Pro praxi ſciat Confeſſarius quod Clerici violantes interdictum peccant mortaliter, ſicuti Religioſi, & de facto incurrunt excommunicationem, &

in

inhabilitatem ad electionem activam, & paſſivam, & fiunt Irregulares ſi ex ſcientia, & malitia, violent per exercitium alicuius Ordinis Sacri, eo modo quo à Laicis exerceri non poteſt. Lezana, Doctor Meus de Baccone. Laici etiam peccant mortaliter ſi cõtra InterdictumPerſonale accipiant Sacramenta, ſi violenter ſe ingerant Divinis, & ſi fingant ſe Clericos vel Bullam, & Privilegiũ habere audiendi Sacra, in re enim gravi decipiunt Miniſtros Eccleſiæ. Sed ſi violent Interdictum locale, audiendo v.g. Divina Officia, probabile eſt peccare tantum venialiter. Laym. *cap.* 3. Seclusо ſcandalo, & contemptu, Lezana *n.*39

8 Nota pro praxi, quod Domini Tẽporales ſi compellunt Clericum in loco interdicto publicè, & ſolẽniter celebrare Divina, ſeu convocare faciunt Populum ad ea audienda campanis, aut voce præconis, aut impediant ne exeant ab Eccleſia excommunicati, ſeu interdicti, & iſti moniti à celebrantibus non exierint, ſubduntur omnes excommunicationi Papæ reservatę. Lezana ubi ſupra.

9 *Sed* quęres quomodo intelligatur interdictum, in quo dicitur: interdicitur v. g. Caius ab ingreſsu Eccleſiæ?

Dicendum tunc eſſe aliquod interdictum ſpeciale, per quod illi prohibetur exercitium Ordinis Sacri in Eccleſia, & Sepultura, non tamen prohibetur ingreſſus materialis in Eccleſiam, ſed quomodo? Vide hic Col. Salm. noſtrum.

10 Pro praxi abſolutionis, ſeu relaxationis interdicti. Nota quod quando interdictum eſt ad tempus, vel ſub conditione, traſcurſo tempore ſeu conditione adimpleta ceſſat. Quando autem eſt poſitum

abſolutè, & ſine limitatione non poteſt tolli, niſi per relaxationem, aut abſolutionem illius, qui illud poſuit, vel à Delegato ipſius, ſeu à Superiore. Si autem interdictum ſit perſonale particulare non reſervatum, ſive ſit à iure, vel ab homine, poterit abſolvi à quocumque confeſſario.

Imò etiam ſi reſervatum fuerit, ſi pænitens habuerit Privilegium, ut abſolvatur ab omnibus cẽſuris, etiam reſervatis, quale eſt in Bulla Cruciatæ, pariter à quocumque Confeſſario poterit abſolvi. Suarez *diſt.* 38. Lezana hic, ſatisfacta tamen parte, ſeu præſtita cautione. Interdictum autem locale, ſive ſpeciale ſit, ſive generale, & interdictum perſonale generale non poteſt tolli niſi ab eo, qui habet iuriſdictionem in foro contentioſo ſuper locum, aut Comunitatem interdictam, quia ablatio talis interdicti eſt actus iuriſdictionis contentioſæ, neque poſſunt abſolvi in tali caſu perſonæ Communitatis, remanente interdicta Communitate, quod ridiculum eſset. Suarez *num.6. Colleg.Sal.hic.* Et nota quod ille cuius culpa latum eſt interdictum generale, reſpectu illius eſt ſpeciale perſonale. Nota etiam quod interdicta Communitate ſi diſsolvatur Communitas, remanet quilibet liber ab interdicto, nam amplius non eſsent partes Communitatis, Sicuti ſi aliquis particularis deſineret eſse membrum Communitatis, non amplius eſset interdictus.

11 Sed quæres quid dicendum ſit de Interdicto, quod dicitur deambulatorium. v. g. quando interdicitur locus ubi Petrus fuerit. Habetur. *Cap. non eſt de Sponſal. Cap dilectis filijs de appellationibus.*

Dicendum toli ſtatim, ac illa Perſona mutat lo-

cum

cum, & remanet eo ipſo interdictus locus ad quem ſe transfert. Filliuc. *tract.*18.*cap.*5.*quæſt.*2 *num.*118.

12 Quod ſpectat ad Prælatos Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum. Si iſti habent Privilegia abſolvendi (ut multi habent) à cenſuris reſervatis, poſſunt abſolvere ſuos ſubditos ab interdicto perſonali particulari, etiam reſervato; non poſſunt tamen abſolvere ab interdicto locali, ſive perſonali generali; niſi habeant Territorium. Vide hic Lezanam.

13 Pro praxi, confeſſarius videat pro caſibus, pro quibus in iure incurritur interdictũ. Suarez *diſp.* 37. Pro complemento nota quod.

14 Ceſſatio à Divinis non eſt cenſura, ſed ſimplex prohibitio divinorum Officiorum, ac Sepulturę Eccleſiaſticæ, reſpectu laicorum (ſed quo ad Sepulturam lis eſt ſub Iudice) in ſignum mæroris propter atrocem iniuriam factam honori Divino, quæ etiam vocatur ſuſpenſio Organorum, & hæc ceſſatio ſervari debet ſicut interdictum.

15 Pro praxi obſervet Confeſſarius, quod privilegium conceſſum Clericis *in cap. alma Mater* ad celebrandum tempore interdicti, non extenditur ad celebrandum tempore ceſſationis à Divinis. Extenditur tamen ex conſuetudine, & praxi ad privilegium celebrandi, & ad Officia Divina in diebus, in quibus ſuſpenditur interdictum. Lezana *tom.* 1.*cap.*12. Noſter Pater Antonius à Spiritu Sãcto *in direct. Reg tom.*2.*tract.*2.*diſp.*2.*ſect.*1.*num.*107.

16 Vide quomodo poſſint Regulares in alijs diebus præter dictas feſtivitates, admittere aliquas Perſonas ad Officia Divina.

17 Obſerva ſecundò, quod violantes ceſſationẽ

à

à Divinis, peccant mortalitèr, faciunt enim contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi, ſed non fiunt irregulares cum non ſit cenſura.

18 Obſerva tertiò, quod ſolum tempore ceſſationis, adminiſtratur Baptiſmus pro Parvulis, Pęnitentia, & Viaticum pro morientibus, & tunc ad renovandam Euchariſtiam, poteſt celebrari, nec poteſt adminiſtrari extrema Unctio.

19 Obſerva quartò, quod qui fuit cauſa iuſtæ ceſſationis, tenetur in conſcientia omnia damna reſarcire, quæ paſſa fuerunt Innocentes, ut diſtributiones pro Choro, ſtipendia pro Miſsis, ſicuti pariter tenetur, qui iniuſtè poſuit ceſſationem à Divinis. *Cap.* 1. *Canonici* de Officio ordinarij *in* 6. Bonac. *puncto* 3.

ART. VIII.

De Irregularitate.

1 Quia cõmuniter poſt cenſuras agitur de Irregularitate, licet cenſura non ſit, utpotè nec medicinalis, & ex natura ſua perpetua; pauca adnotabo ad maiorem peritiam confeſſoris. Reliqua doctè, & clarè videbitis apud noſtros. Lezanam, Verbo *irregularitas.* Gabriel à S.Vincentio; Antonium à Spiritu Sancto, *in direct. confeſſ.tract.* 13. *& Coll.Salm.*

2 Irregularitas quod idem eſt ac ſine Regula; ſic definitur. *Eſt impedimentum Canonicum.* (non Divinum ut in fęmina) *ſuſceptionem Ordinum Eccleſiaſticorum, & eorum uſum directè impediens*; quę licet aliquando imponatur ad modum pænæ, propriè tamẽ pæna non eſt: & ex duplici capite contrahitur; ex defectu nempe, & ex delicto. Ex defectu non minus animæ, quam Corporis. Ex delicto, & quidem multa ſunt delicta, ex quibus contrahitur, ut videre eſt apud Doctores. Sed breviter, & clarè apud Toletũ. Dividitur enim in totalem, & partialem. Prima inha-

habilitat ad omnem ordinem ſuſcipiendum,&adminiſtrandum, ut v.g.Homicidiũ. Secunda privat Miniſterio alicuius Ordinis, ut v.g. Sacerdos carens oculis, eſt inhabilis ad celebrandum, non ad confeſſiones audiendas &c.

3 Nota pro praxi quod nunquã incurritur niſi ĩ iure exprimatur;quare in dubio probabili,ſive facti, ſive iuris,debita adhibita diligẽtia tenere potes,quod non ſis irregularis. Excipe ſi dubites de homicidio iniuſto à te commiſſo *ex cap.ad audientiam* 2. *de hom.* Si dubites v.g.in abortu an fœtus ſit animatus. Si in rixa cum aliјs occidiſti, ſi mandato,aut conſilio;*in C ad audientiam,C.ſignificaſti* 2.*cap.penult de Homic.* Et notat hic Colleg.Salm. quod hoc intelligitur de clericis quos magis dedecet homicidiũ, quare Sæculares in his caſibus non ſunt cenſendi irregulares. Clerici autem cenſendi ſunt irregulares quoad duos tantum effectus; nimirùm abſtinendi à celebratione, & quærendi diſpenſationem, & ſic poſſunt adhuc recipere beneficia, nec ſunt privandi obtentis, nec ſunt aliјs pænis puniendi. Sed dices in dubiјs tutior pars eſt eligenda, & habetur. *C. Iuuenis de Sponſalibus cap.petitio de Homicidio.*

4 Hoc valdè nota quia ad multa deſervit. Quod illud dictum triplici limitatione acceptatur. Prima. Quod qui dubitat non ſit in poſſeſſione cum dubio,et à iure non ſit ſtatutum, quod qui poſſidet dubitans, poſſeſſione privetur. Quando enim hoc non habetur in iure,ſemper melior eſt conditio poſſidentis. *Secunda*. Quod in dubio eligatur per ſe pars tutior,per accidens poſtea ratione incommodi, & damni ſecuturi potes non ſequi tutiorem, partem. Quis v.g. poſ-

poſſidet bona fide agrum, poſtea tertius dicit agrum eſse ſuum,& adducit rationes per quas poſſidens redditur dubius, de veritate, non tenetur relinquere agrum, donec evidenter conſtet de eius veritate,aut feratur ſuper hoc ſententia Iudicis declaratoria. Tertia. Quando dubitans exponit ſe periculo peccandi, tunc tenetur ſequi partem tutiorem, ut evitet periculum. Iu caſu noſtro prima limitatio eſt clara, tertia eſt certa, nam opinio aſſerens talem non eſſe irregularem tuta eſt, & ſecura. Quare licet ſit dubius ſpeculativè, practicè non eſt dubius, & tutò poteſt ſe credere non eſſe irregularem. Quod valdè nota in ſimilibus caſibus,in quibus debemus deponere dubium ſpeculativum, & praticè operari, quando habemus in contrarium ſententiam verè probabilem.

5 Infertur ex hoc. Quod quia irregularitas nō incurritur niſi ſit expreſſa in iure, non valet arguere à ſimili, neque à maiori ad minus v.g. qui repetit Baptiſmum eſt irregularis, ergo etiam qui repetit confirmationem, quia utrumque Sacramentum non poteſt reiterari; non valet argumentatio, maior eſt expreſſa iu iure, non conſequentia. Similiter. Qui celebrat in Eccleſia interdicta ſit irregularis, ergò etiam qui celebrat in Eccleſia polluta. Item qui exercet Sodomiam ſit irregularis, ergo etiam qui exercet Beſtialitatem: ut valeat conſequentia oportet ut ſit expreſſa in iure, ſicut antecedens.

6 Quatuor modis tollitur irregularitas. Suſceptione Baptiſmi, profeſſione Religioſa, Ablatione, ſeù remotione cauſæ, ut patet de ignorantia, quæ reddit clericum irregularem,&legitima diſpenſatione. Vide auctores ex quo obſerva quod irregularitas

non

nō tollitur per abſolutionē, ſed per diſpenſationem.

7 Notet Confeſsarius pro praxi, quod in nullis irregularitatibus poteſt diſpenſare, niſi habeat Privilegium. Sicuti ſunt confeſſarij Regulares, de quibus infra agemus. Prælati autem Regulares (licet etiam de ipſis infra) poſſunt cum ſuis ſubditis ex privilegio Pij Quinti, & Gregori XIII. & Sixti IV. diſpenſare in illis irregularitatibus, in quibus poſſunt Epiſcopi cum ſuis ſubditis. Vide Lezanam *tom.* 3. *Verbo confeſſor regularis*.

8 Quæres. Per quam culpam incurratur irregularitas ex delicto?

Dicendum per culpam mortalem, & per actum externum conſumatum. Eſt enim pæna gravis, & difficulter relaxatur, quare per homicidium factum cū moderamine inculpatæ tutelæ, ad defendendam ſuam vitam non incurritur: benè tamen ex defectu lenitatis incurritur, & ex homicidio facto ad defēdendas res proprias.

9 Quæres ſecundò. An ſint cauſæ excuſantes ab incurrenda iſta irregularitate, & quæ nam ſint?

Dicendum illa omnia ab incurrenda irregularitate excuſare, quæ excuſant actum à peccato mortali. Unde inadvertentia, ignorantia, inconſideratio metus gravis, parvitas materiæ, & alia omnia, quæ excuſant à mortali, pariter excuſant ab incurrenda irregularitate. Hæc dicta ſint ad aperiendam mentē noſtri confeſsarij, ut in re gravi ſciat prudentèr dubitare, & auctores hic videre, aut doctiores conſulere.

Hic nota quod Sacerdotibus, & Religioſis circa moribundos omnia licent, quę poſsunt facere laici,

eſto

eſto quod præter intẽtionẽ acceleraretur mors, ut v. g. traſferendo infirmum de lecto in lectum, niſi interveniat lata culpa Theologica, nempè mortalis. Diana *par.5.tom.3.R.*117. Vide Bonaccinam *qu.*4. ubi multos caſus reperies, excuſantes ab irregularitate ex delicto.

Pro praxi conſidera diligenter quæ dicemus. Circa Irregularitatem quæ oritur ex delicto cui annexa eſt infamia, ut v. g. Homicidium, Periurium, Simonia, Sodomia, Hæreſis, & alia, quæ ex iure infamiam inducunt. Notat Collegium noſtrum citans varios Auctores, talia delicta debere eſse notoria ad hoc, ut Irregularitas incurratur, & affert validas rationes omninò videndas, & licet hoc controvertatur à gravibus Auctoribus vocat hanc ſententiam probabiliorem. Coll. Salm:*tract.*10.*de Cēſuris cap.*8.*par.*8. Palaus *par* 19.§.1.2. Corneio *dub. unic.in fine* Enriquez *l.*14.*cap.*4.*num.*6. Sayrus *l.*7.*c.*12. *num.*16. Auil.*dub.*2. Hurtadus *diſp.*2.*diff.*4.*nu.*14.

Unde deducitur quod infamia facti ſi per emendationem, & ſufficientem pænitentiam auferatur, ſine diſpenſatione irregularitas pariter aufertur, ſed vide apud ipſum loco citato, ubi multa doctè, ſolideque dicit, totum admitto, ſed dubito de homicidio &c.

QVÆ.

QVÆST. V.

DE SCIENTIA CONFESSARIJ CIRCA PECCATA RESERVATA.

ART. I.

An in Eccleſia ſit poteſtas reſervandi Caſus? quid ſit iſta reſervatio? & quis habeat poteſtatem reſervandi, & abſolvendi?

1 QUoad primum. Caſus hic accipitur à cadendo, quando quis per peccatum mortale cadit à Divina gratia. An hæc peccata poſſint in Eccleſia Dei reſervari? Affirmativa eſt ſententia communis. Quæ probatur auctoritate, ratione, & uſu. Auctoritate; omitto Canones, in quibus de his peccatis reſervatis fit mẽtio, & remitto vos ad Triden. *Seſſ.* 14. de Sacramentis. Ubi apertè hoc definitur. Quare talem poteſta-

tem eſſe in Eccleſia de fide eſt. Probatur ratione. Ratio enim veri regiminis dictat quod graviora delicta, graviori ſubdantur iudicio, ſicut graviores morbi peritiorem requirunt Medicum. Unde prudenter *M*oyſes conſtitutis viris ſapientibus ſuper minores cauſas, ad ſe difficiliores advocavit. Exod. C. 18. Inſuper per hanc reſervationem fideles à perpetrandis gravioribus delictis deterrentur. Quod poſtea ſit in Eccleſia uſus reſervandi caſus, communiter docent, & demonſtrant Theologi. Vide D. Thomam *in* 4. *Sen.D.*18.*qu.*2.*art.*2. Suarez.*tom.*4.*diſt.*29.*ſect.*1. Valentiam *tom.*4.*diſt.*7.*qu.* 16.*par.*6. Bacconem meum Doctorem Reſolutum *in* 4.*diſt.*15.*qu.*2.*art.* 3. ubi affert varios caſus in quibus propter enormitatem criminum, & ad terrorem, pænitens debet abſolvi ab Epiſcopis, vel à Papa. Vive ergo diceret Phavorinus Philoſophus Moribus præteritis, loquere verbis præſentibus.

2 Unde quando iuxta rigorem antiquorum Canonum, antiqui Patres in abſolvendo ſe gubernabāt ſcilicet (ut dicit Reſolutus Meus) graviora crimina ad Superiorem remittendo, fuerunt inſignes innocentia fideles, ſed quando remiſſius actum eſt, innocentia perijt, & multiplicatæ ſunt culpæ.

3 Quoad ſecundum. Quid ſit iſta reſervatio? Sciatis quod reſervatio, eſt negatio iuriſdictionis circa aliqua peccata. Reſervatio ergo non eſt pœna pænitentis niſi indirectè. Unde ſicut qui caret iuriſdictione non poteſt abſolvere, ita qui non habet auctoritatem cum careat Iurisdictione, circa illa, non poteſt reſervata remittere.

4 Quoad tertium. Poſſunt ſibi reſervare Caſus

Prælati iurisdictionem Epiſcopalem, & quaſi Epiſcopalem habentes; ut Prælati Regulares, ſervatis tamen ſervandis, præſertim ex Bulla Clemẽtis VIII Non ſint ita faciles Superiores in reſervatione caſuum, nec difficiles in concedendo facultatem abſolvendi à reſervatis, ne cedat in deſtructionem, quod fit in ædificationem. Et poteſt ab ipſis reſervatis abſolvere primò, ipſe reſervans; Secundò eius Superior in iurisdictione ſpirituali, ut Papa reſpectu omnium, Archiepiſcopus in actuali tautum viſitatione Epiſcopi. Tertiò. Is cui delegatur facultas. Quartò. Sacerdos inferior quando adiri non poteſt Superior, & ſic poteſt abſolvere Epiſcopus eos qui Romam ire non poſſunt, & à pari, Sacerdotes inferiores currente gravi, & urgente neceſſitate, quæ ſit coniuncta cũ morali impotentia adeundi Epiſcopum, vel eius pænitentiarium, poſſunt abſolvere pænitentem, maximè impoſito onere adeundi Epiſcopum quando fieri poterit, & mandatis eius obedire, ut v. g. quando non poteſt ſine ſcandalo omitti comunio Laym. *tract. de cenſur. par. 2. cap. 9.*

Hoc valdè nota pro praxi; & cautè procede, & ſolum in morali neceſſitate, quando longè diſtat Epiſcopus, & adeſt ſumma difficultas, & grave periculum illum adeundi. Abelli parte poſteriori ſuæ medullæ.

AR-

ART II.

Quomodo debeat ſe gerere Confeſſarius in praxi, circa hos caſus reſervatos?

1 PRimò debet ſcire præter iam dicta quilibet Confeſſarius caſus reſervatos ſuæ Diœceſis; & Confeſſarius Regularis pro Regularibus caſus reſervatos, Clementis VIII. & alios, ſi ſint in ſua Religione, ne faciat irritum Sacramentum pœnitentiæ; ſed in opere compendioſo maiori ordine quo poſſumus, aliqua adnotabimus, primò pro notitia confeſſarij Regularis.

2 Notet ergo confeſſarius Regularis pro ſuis Regularibus, quod non omnes caſus Clementis VIII. ſunt reſervati, ſed poſſunt pro libito ſuæ conſcientiæ reſervare quos ex ipſis voluerint Superiores, nec præter ipſos, alios, niſi ex conſenſu Capituli Generalis pro tota Religione, ſeu Capituli Provincialis pro Provincia. A quibus ſine licentia nullo modo poteſt abſolvere; Sed ſi Superior negaverit facultatem abſolvendi, poteſt Confeſſarius Regularis pro illa vice tantum abſolvere pœnitentem. Tamburinus de Iure Abbatum *tom.2.diſp.13.quæſt.8.num.4.* Leza-

na·*Caſus reſervati*. An poſſint Prælati Regulares præ cipere aliquid ſub pæna excommunicationis ſibi reſervatæ, diximus affirmativè ſupra de excomm.

3 Sed hic pro praxi nota intolerabile inconveniens, quod à multis committitur.

Aliqui enim volunt quod pænitens, qui habet caſum reſervatum poſſit adire Superiorem, & ab illo abſolvi Sacramentaliter à reſervato, & poſtea dimidiata Confeſſione, ab alio Confeſſore etiam à mor talibus non reſervatis. Hoc non faciat nullo modo Pœnitens, uec permittant Prælati. Integritas enim confeſſionis eſt de iure Divino, nec ſufficit iſta cauſa ad eam dimidiandam. Bonaccina *de Sacram. diſp.* 5. *quæſt*.7.*punct*.5.§.3.*num*.2. Lugo *de Sacram. pœnitent. diſp*.20.*ſect*. Lezana, & multi alij. Unde Facundez aſſerit peccare mortaliter Superiorem ſic facientem, confeſſionemque eſſe Sacrilegam, & invalidam. Poteſt tamen Superior hoc facere in caſu præciſæ, & gravis neceſſitatis, urgente etiam neceſſitate confeſſionis, nam tunc erit integra quantum moraliter poteſt, & tunc pænitens alteri inferiori poterit confiteri tantum non reſervata, & ſi oblitus eſset in prima confeſſione alicuius reſervati, ſi fuit generaliter abſolutus à reſervatis, poterit ab illo, ab inferiori etiam abſolvi. Lezana. Sed ego nec hoc abſolutè approbo. Niſi adſit vera impotentia phiſica ſeu moralis. Aliòquin Confeſſio debet eſſe ſemper integra, ex Chriſti inſtitutione. Vide de hoc propoſitionem dãnatam ab Innocentio XI. quæ in ordine eſt. 59.

4 Nec abſolvat Confeſſarius [ut aliqui ſolent] à non reſervatis remittendo pœnitentem ad Superiorem pro reſervatis, eſt enim pariter contra integri-

ta

tatem Confeſſionis, niſi urgeat neceſſitas communicandi ob infamiam, & Scandalum vitandum: nam in tali caſu præſumitur conſentire pia Mater Eccleſia circa reſervationem, cum onere tamen poſtea ſe præſentandi habenti facultatem ſuo tempore, quod extenditur etiam ſi pænitens eſſet excommunicatione ligatus. Lezana, Bonaccina ut ſupra *diſp.* 4. *quæſt.* 7. *puncto* 5. Naldus *in Summa verbo Bulla Cœnæ nu.* 62. & ſi tunc pænitens neglexerit petere per ſe, aut per litteras à Superiore abſolutionem quam primum poterit, peccabit mortaliter. Tunc enim tenetur confiteri ſolum reſervata. Unde ſacrilegè faciunt illi Regulares, qui cum habeant in Monaſterio Prælatum, & alios qui poſſunt abſolvere à Reſervatis, confitentur non habenti facultatem abſolvendi, cum promiſſione tempore viſitationis, ſeu quando omnibus datur facultas abſolvendi, iterum reſervata confitendi. Uterque enim ſacrilegè agit, & pænitens, & Confeſſarius, & uterque cadit in foveam Inferni. Quod proportionaliter intellige de Clericis Sæcularibus, & Præſbiteris Ruralibus. Si daretur caſus, quod Prælatus iniuſtè negaret facultatem abſolvendi, peccaret quidem mortaliter, ſed teneret reſervatio, & ſi ſubdito immineret grave detrimentum, peccaret nedùm contra Charitatem, ſed etiam contra Iuſtitiam, & tunc puto veram opinionem Henriquez, & Dianæ quod poteſt Confeſſarius directè abſolvere, nam iſta reſervatio non debet eſse in deſtructionem. Tu conſidera quæ diximus Capitulo antecedenti.

5 Poteſt tamen quilibet Superior cogere Confeſſarium iuſta de cauſa, vel damno imminente Communitati, ut mittat ad ſe Pænitentem pro abſolutio-

ne, & poteſt imò decet ut aſſignet pænitentiam imponendam pænitenti, ſed prudenter, & cautè. Quod ſi Confeſſarius cognoſceret talem pœnitentiam non eſſe benè accomodatam qualitati pænitentis, iudico poſſe illam moderare, & commutare, nam eſt Iudex particularis ſui pęnitentis, debet tamen ſe accomodare quantum poteſt pœnitentiæ impoſitæ à Superiore. Nec credo derogari Decreto Clementis VIII de pęnitentia taxanda à Superiore, nam loquitur ordinariè, & non in caſu noſtro.

6 Univerſaliter pro praxi poteſt quilibet Confeſſarius abſolvere Peregrinum à caſibus reſervatis eius Diæceſis, licet non habeat poteſtatem ſuper reſervata, & dummodo non ſint reſervata etiam in Diæceſi Confeſſarij. Requiritur tamen quod Peregrinus bona fidė verſetur in alieno Epiſcopatu. Non tenetur enim Confeſſarius, nec commodè poteſt interrogare Peregrinum de caſibus reſervatis eius Diçceſis. Vide Suarez *diſp.* 15. *ſect.* 1. *nu.* 4. qui alios citat, Noſtrum Franciſcum bonæ ſpei *nu.* 78. Noſtrum Gabrielem à S. Vincentio *diſp.* 9. *quæſt.* 3. Et quia qui liberatur ab uno onere, aliud ſentire debet, quod ex illo ſequitur, Peregrinus non poteſt abſolvi à peccatis reſervatis in Diæceſi Confeſſarij licet in ſua reſervata non ſint. Suarez, Lugus, Dicaſtillus, Salmaticenſe noſtrum hic. Adeſt ſuper hoc decretum Clemētis X.

7 Quidquid ſit dę poſſibili, Notet Confeſſarius quod ſola peccata externa completa, conſumata reſervantur in Eccleſia. Unde ſi opus externum non eſt ſufficiens ad mortale, licèt animus internus fuerit peccandi mortaliter, non eſſet peccatum reſervatum

v.g.

v.g.dato quod furtum in Eccleſia eſſet peccatum reſervatum, furans unum obolum cum animo furandi mille,ſi inveniſſet, non committeret peccatum reſervatum. Lezana hic.Unde ſi Inceſtus eſſet reſervatus, ceſsaret reſervatio ſi fieret ſeminatio extra Vas, ſed ſemper attendenda ſunt verba reſervationis. Quando caſus eſt reſervatus ratione excommunicationis, quando non incurritur excõmunicatio ratione ignorantiæ, ſeu ob aliam cauſam, pariter non tenet reſervatio; ut regulariter in caſibus Papalibus. Nota hoc pro praxi.

8 Quando in reſervatione caſuum nulla fit mentio dubij, qui dubius eſt an peccatum commiſerit, vel eſt dubius an ſit peccatum mortale, vel ex levitate materiæ, vel ex defectu perfectæ libertatis, non ĩcurrit reſervationem, hoc valde notetur pro intellectione multorum caſuum .Excipe tamen caſus Bullæ Cænæ.Excipe ſecundò. Si dubitares an percuſſio Clerici eſset levis, ſeu gravis, tunc enim credere debes gravem eſse.Navarr.in Manual.*cap.*7.*nu.*91. Suarez de cenſuris *diſp.*40.*ſect.*6.*num.*5. Henriquez, Urtado, Lugo, Filiuccius, Averſa *quæſt.*17.*ſect.*2. Lezana *num.*13. Reſervatio enim eſt odioſa, quare ſtrictè interpretanda. Nec videtur quod Superior velit talia delicta reſervare, quando ſunt ſub dubio, niſi aliter conſtet de mente ipſius.Imò ſi poſt abſolutionem conſtaret commiſsum fuiſse tale peccatum, remanet pœnitẽs abſolutus,reſervatio enĩ nõ cadit ſuper peccata ritè abſoluta. Deberet tamen confiteri peccatum ſuum ut certum, quod confeſsus fuit ut dubium. Lugus *diſp.*20.*nu.*22.23.Qui mandat, ſeu conſulit [niſi ſit expreſsum in reſervatione) eam non incur

currit: debet enim ut diximus eſſe opus conſumatum, & perfectum iuxta verba reſervationis.

9 Quæres primò. An facultas conceſſa abſolvẽdi pro hac vice aliquem à caſibus reſervatis, extendatur etiam ad peccata reſervata, commiſſa poſt petitam, & obtentam facultatem, antequam ſit facta confeſſio? Inter affirmativam, & negativam ſententiam.

Dicendum cum Lugo, Salmaticenſi Collegio, & alijs.

Quod ſi facultas abſolvendi ſit data ſuper præmiſſa expoſita, & narrata, & toties commiſſa, non extenditur iſta facultas pro committendis, ſed ſi indefinitè conceſſa ſit, extendetur etiam ad committenda: Limita dummodo non adeò differatur confeſſio, ut videatur tanta diſtantia, quę ſit extra intentionẽ concedentis, quæ opinio mihi videtnr certiſſima.

10 Sed dices, ſtante hoc peccator arripięt occaſionem peccandi; ſed hoc eſset per accidens, ſicut poteſt accidere in Iubilæo, ex quo, licet ſuſceturus Iubilæum peccet hac occaſione, & hac ſpe, non redditur invalida Confeſſio. Limita etiam, dummodo non ſint reſervata diverſi generis.

11 Quæres ſecundò. An qui confitetur habenti facultatem abſolvendi à reſervatis, ſi inculpabiliter obliviſcitur alicuius reſervati, poſſit poſtea confiteri, cui voluerit, & abſolvi directè à reſervatis oblitis inculpabiliter?

Dicendum poſſe: nam qui habet poteſtatem abſolvendi à reſervatis, cenſetur velle pœnitentem in quantum poteſt liberare à peccatis. Poteſt liberare à reſervatione, ergo cenſetur eum liberare. Inſuper

pæ-

pænitens voluit liberari à peccatis ſecundum totam poteſtatem confeſſarij, & Miniſter intendit ſemper dare abſolutionem ſecundum totam ſuam poteſtatẽ; ergo remanet ablata reſervatio, & etiam omnis cẽſura, & hoc ſaltem tacitè ſemper verificatur. Et valet tam de delegato, quam de delegante. Nam delegans cenſetur contentus de confeſſione facta ſuo delegato. Quod etiã militat de illis caſib. ex iuſta cauſa ſciẽter prętermiſſis in cõfeſſione ad evitandũ grave damnum ipſius pænitentis, vel alterius.

12 Quæres tertiò. An Confeſſarius, cui delegatur facultas abſolvendi abſolutè à caſibus reſervatis intelligatur ei etiam conceſſa facultas abſolvendi à cenſuris?

Dicendum illi pariter eſse conceſsam facultatem abſolvendi à cenſuris (quidquid dicant aliqui) ſuppono tamen quod ex circumſtantijs delegantis aliter non intelligatur; tunc enim ſtandum eſset ſuæ menti. Ratio eſt quia cum ipſæ cenſuræ ſint pænæ, nomine caſus pariter intelliguntur. Sicut enim dicitur quod homo cadit in peccatum ſic pariter dicitur cecidit in cenſuram. Sed ratio fortior eſt. Quia cum ex Tridẽtino *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. detur Epiſcopis facultas abſolvendi à caſibus Papalibus occultis, omnes concedunt quod intelligatur etiam facultas abſolvendi à cenſuris illis annexis, ergo à pari. *Sed dices* quod verum eſt in caſibus Papalibus, quia illis regulariter eſt annexa cenſura, non in caſu noſtro. Sed contra, ſufficit quod ex hoc deducatur quod nomen caſus extendatur tam ad peccata, quã ad cenſuras. Credo tamen certiſſimè quod non extendatur ad irregularitatem, nam hęc non abſolvitur, ſed diſpenſatur, & difficiliter; qua-

re

re non debet ad hanc extendi. An extendatur ad diſpenſanda, ſeu commutanda vota; placet negativa ſententia, demum.

13 Pro praxi nota, quod cui à Papa tribuitur facultas abſolvendi à ſuis caſibus, non conceditur niſi exprimatur, facultas abſolvendi à caſibus Bullę Cęnæ, & cui tribuitur etiam hæc facultas, non tribuitur ad abſolutionem hæreſis propter ſpecialitatem iſtorum caſuum. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *parte diſp.* 21. *ſect.* 3. *num.* 3. Riccius in praxi aurea *reſol.* 333. Henriq. *in ſumma lib.* 8. *cap.* 16. §. 3 Azor. *Inſtit. moral. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *num.* 12. Lezana hic, ſed Boſſius *de trip. Iubilæi privileg. ſect.* 1. *caſus* 8. cum alijs dicit, quod in Iubilæo poteſt abſolvi ab hæreſi ſi poteſt abſolvi à caſibus reſervatis in Bulla Cænæ, & vocat hanc ſententiam veriorem, ipſum vide.

AR-

ART III.

De pænis Confeſſariorum abſolventium ſine facultate à Caſibus tam Papæ quam Epiſcopis reſervatis .

1 SCiat Confeſsarius quod qui abſolvit à caſibus reſervatis [extra caſus iã dictos) peccat mortaliter ſacrilegè , confeſſioque irrita eſt , ſed inſuper incurrit excommunicationẽ Papæ reſervatam . Secundò privatur Officijs, dignitatibus,& beneficijs, quæ habet,redditurque inhabilis ad officia , Præfecturas , ac beneficia, & hæ pęnæ ligant tam Confeſsarios Sæculares, quam Regulares ; qui tamen Regulares ſi abſolvant à caſibus reſervatis à Prælato ſuo Regulari licet peccent mortaliter , & nulla ſit abſolutio , non ligantur excommunicatione . Limita.

2 Non incidit in iſtas pænas, qui probabiliter ignorat eſſe reſervatum , ſed ſi ignorat quia non vult legere Tabellam caſuum, vel non vult interrogare pœnitentem , incidit in iſtas pænas .

3 Non incidit ille, qui probabiliter exiſtimat ſic abſolvere poſſe , licet poſtea animadvertat non potuiſſe . Nec incurrit qui bona fide , oblivione , & incon-

conſideratione inculpata abſolvit, nam ad incurrẽdum requiritur auſus, & præſumptio. Unde nec incurrit qui dubitat an caſus ſit reſervatus, licet peccet mortaliter, & abſolutio ſit nulla.

4 Quæres quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius, qui abſolvit à reſervato, à quo abſolvere non poterat.

Dicendum ſi poteſt, petita licentia, moneat pœnitentem de errore, nunquam tamen abſolvat abſentem. Quod damnatum eſt; ſed de hoc aliàs.

5 Hic obiter ne multiplicentur inutiliter quæſtiones, & Articuli, aliquid dicam circa propoſitiones damnatas, præter ea, quæ iam diximus, ſupra de excommunicatione, quæ incurritur ob duellum. Iſtæ enim propoſitiones multæ ſunt, & neceſſariò videndæ, & conſiderandæ, aliòquin Confeſſarius exponet ſe periculo malè adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ. Notet ergo quod non omnes damnantur de mortali, ſed aliquæ de veniali, pro quo debet põderari gravitas, vel levitas damnatæ propoſitionis, eiuſque malitia, & ſecundum hoc iudicare. Caveat à diſputatione per quam defendatur damnata propoſitio. Incurruntur enim tunc pęnæ, & cenſurę, ſed ſe humiliter, ut decet, Theologum Catholicũ ſubijciat ſupremo Tribunali, eiuſque venerando Iudicio, eas ſæpius legat, & conſulat doctiores, ne decipiatur, & abſolvat quod minimè poteſt; & notet quod damnantur, ut iacent, igitur non varietur propoſitio, ſed conſideretur, ut iacet. Sed de iſtis principalioribus multa dicemus, in hoc opere.

AR-

ART IV.

De Prælatis Regularibus, & Confeſſarijs Regularibus circa abſolutionem à caſibus reſervatis, Cenſuris, Votis, ſecundum eorum Privilegia.

1 PAucis me expediam, nam multi dilatant fimbrias; an bene? alij videant, certum eſt Prælatum Regularē eſse verè Prælatum, habereque in utroque foro iuriſdictionem ordinariam; uti ſunt Generales, Provinciales, & Priores, ſeu Guardiani, & poſsunt ſibi eligere Confeſſarium non approbatum extra Religionem, & ſuis ſubditis concedere hanc licentiam niſi in contrarium extent Cōſtitutiones. Præbendo tamen talem licentiam, non cenſentur dare licentiam, ut abſolvantur à reſervatis, niſi hoc exprimatur; Quod in eorum abſentia, poſsunt eorum Vicarij; ſed de noſtris non approbo, niſi ſaltem ſint Priores extra Diæceſim: Vide Dianam *in Summa Privilegia Prælat.* Reg.

2 Hic nota obiter quod Vicarij Generales, qui eliguntur in Capitulo Generali, ut ſunt in Noſtra Cōgretatione Carmelitana Mantuana, & in Congrega

gatione præclara Hæremitarum S. Auguſtini de Lō-bardia nuncupata, & in ſimilibus, habent omnia privilegia, quæ competunt ipſis Generalibus nam verè ſunt Generales in re, licet non in nomine, Vide Lezanam *verbo Vic. Gen. quæſt.* Reg.

Dummodò non obſtet aliquid in cōtrarium, quod certè quidquid ſit de aliquíbus, non verificatur [Teſte ipſo Lezana ex noſtra Religione] de noſtra Congregatione: In qua à Sententia Vicarij Generalis nulla datur Appellatio ad Generalem; Quare illi competunt omnia iura, dignitates, & Privilegia, quæ competūt ipſis Generalibus, & quia Generales poſsūt quacūque ex cauſa, & quomodolibet, etiā extraiudicialiter ſuſpēdere ſuos ſubditos ab audiendis Confeſſionibus, poterit etiam hoc facere Vicarius Generalis noſter, & alij ſimiles, Vide Lezanam *Verbo Cōfeſſarius Regularis num. 2. & V. Vicarius Generalis.*

3 Nos autem tantum breviter volumus loqui de ipſis quoad iurisdictionem abſolvendi, diſpenſandi, &c.

Certum eſt Prælatum Regularem diſpenſare poſſe ſuper omni irregularitate cum ſuis ſubditis excepta bigamia, & homicidio voluntario. Lezana, alij etiam excipiunt ex mutilatione.

Quidquid ſit de Privilegio Pauli III. conceſſo Religioſis D. Benedicti Vallisoleti per quod ipſi, & qui cum ipſis participant poſſint diſpenſare ſuper omni irregularitate ex quavis cauſa contracta ex delicto, tàm publico, quam occulto. Vide Rodriquez *in Bullar. fol.* 217. Sed ego credo certiſſimè, & ſic tenendum eſt, & oppoſitum eſt, propoſitio iuſtè damnata, quod nullum Privilegium teneat, quando illi dero-

ga-

gatum eſt à Conc.Trident. Vide hic Colleg. Salmaticenſe, quod multa dicit circa omnes irregularitates, & alia privilegia in legibus, & præceptis Eccleſiaſticis circa ſuos ſubditos, in benedictionibus Vaſorum, & Veſtium Tract. 18. *de Privilegijs Reg. c.6.punct.2.*

4 Poteſt diſpenſare cum illegittimis etiam extra Capitula ad dignitates, & Prælaturas (excepta primaria, quia ſic vidi in praxi ſervari) & in irregularitatibus ex defectu Corporis [dummodo abſit ſcandalum] ut v.g.cum carente oculo dextro, cum claudo habente pedē ligneum. Villalobos *tom.1.tract.22. diff.num.21.* Vecchius *diſp.9.dub.20.num. 3.* Layman *lib.2.tract.5.cap.7.num.3.* Habent auctoritatem abſolvendi ſuos ſubbitos ab omnibus peccatis, & cenſuris etiam Papæ, & Epiſcopis reſervatis, quæ abſolvi poſſunt ab Epiſcopis virtute Tridentini *Seſ.24.* quare quando ſubditus non poteſt adire Pontificem, poteſt eum abſolvere cum onere adeundi ceſſante impedimento Lezana, Colleg.Salmat.hic.

5 Poteſt etiam diſpenſare, & commutare omnia vota ſuorum, & irritare [dummodo reservata non ſit) etiam novitiorum; imò quæ fecerunt in ſæculo; Idem de iuramentis, & cenſuris in quas non reincidūt etiam relicto habitu.

6 Vota reſervata Ponrifici ſunt quinque, Nimirum: Caſtitatis perpetuæ, Religionis, & tria Peregrinationis Ieruſalem, Romam, & Compoſtellam *ſeſ. nu.9.* Sanchez. *lib.9.de Mat.diſt.29.* quæ vota Peregrinationis in Religioſis ſunt irrita, utpotè pendentia à voluntate Prælati, poteſt in inhabilitationibus diſpēſare, in privationibus officij &c. in ſuſpenſionibus, etiam

etiam propter ſuſceptos Ordines ante ætatem. Poteſt diſpenſare in Inſterſtitijs. Approbare tantum quoad vitam, & mores, ad confeſſionem.

7 Poteſt abſolvere ſubditum ab excommunicatione, contracta ob percuſsionem enormem, gravē, & publicam, etiam ſi percuſsiſſet Clericum Sæcularem. Palaus hic *diſp.3.punct.* 21. Noſter Antonius *in direct.Regul.tom.*1.*tract.*3.*diſp.*1.*ſect.*1.*num.* 24. alia vide apud Doctores. Sed ſi Regularis percuteret aliū Regularem diverſi Ordinis, ſeu Monaſterij, ab utroque Prælato debet abſolvi. Lezana *verbo Clericus*. illud tamen non prætereundum, quod non omnes Prælati inferiores, ut Priores, Guardiani poſsunt ea omnia facere, quæ adnotavimus, ſed ſtandum eorum Conſtitutionibus, uſui, & voluntati Superioris: quare quiſque ſe gubernet iuxta propria Statuta, & Decreta.

8 Quid dicendum de caſibus contentis in Bulla Cœnæ, reſpectu ſubditorum, an poſsint ſicut Epiſcopus quando adeſt impedimentum adeundi Papā? Vide Auctores.

9 Quod pertinet ad Confeſſarium Regularem, poteſt audire ſine approbatione(remittendo eum ad Collegium Salmat.ubi ſupra) Epiſcopi, & abſolvere à peccatis ab ipſo reſervatis ſæcularem, qui mox eſt ingreſsurus in ſuam Religionem. Vecchius *diſp.9.du.* 9. *num.*5. Nam talis non venit nomine Secularis. Cōfeſsor Regularis ſi eſt approbatus ab Ordinario, & à ſuo Superiore Regulari, virtute privilegiorum poteſt abſolvere Seculares à cenſuris Epiſcopalibus, & à caſibus Papalibus occultis (excipe ab ijs qui continentur in Bulla Cænæ, & ab exceptis ut infra dice-

mus

mus, à Sac.Cong.iuſsu Clement.VIII.in Italia Vide Lezan.*de oblig.Conf.reg.cap.* 19.]& ab alijs Epiſcopalibus, qui à iure illis competunt, de quibus nihil volo affirmare,quidquid dicant Doctores infra citandi,& ſemper cautè, & reverenter in hoc procedendum, quod tutius eſt. Iam ferè ſunt ablata omnia privilegia, quæ magis afficiebant Regulares; ſi tollantur, & iſta, quæ magis tangunt Pænitentes Nobis obediendum eſt. Tolerabilius eſt non habere privilegia, quàm in illis paucis, quæ remanſerunt vim pati à multis, qui nec ea pauca volunt admittere,ſed videant iſti an peccent, & quomodò. Sed quia non ſatis conſtat, qui nam ſint caſus à iure Epiſcopis reſervati, & aliqui dicunt quod nullus talis caſus datur, alij quod ſunt caſus Papales occulti: ideò prudenter ſe gerant in hoc,confeſſarij Regulares. Solum lis eſt ſecundum aliquos,an excommunicatio contra procurantes abortum ex Bulla Gregorij XIIII.ſit Epiſcopis à iure reſervata,à qua ſecudum aliquos poſſent in tali caſu abſolvere Regulares, & quidem ſi eſſet caſus Epiſcopalis à iure poſſent abſolvere. Sed quia ego dubito, & Epiſcopi particulariter illum ſolent reſervare in Tabella, quidquid dicat de Peirinis *tom.1.Privil.Minimorum conſt.1.Iulij 2. num. 65.* ego non abſolverem. Nota quod ad incurrendam oportet quod effectus Fætus animati ſequutus fuerit, nã Sixt.V.ĩ ſua Bulla requirit effectũ. Abortus fæti inanimati non cadit ſub excõmunicatione Pontific. Bonac.hic. Nota etiam quod qui debet abſolvere,ad hoc debet eſſe ſpecialiter ab Epiſcopo deputatus, nec ſufficit generalis cõceſſio, ſic enim iubet Pontif.

10 Poſſunt Confeſſarij Regulares abſolvere ab

Interdicto perſonali particulari non reſervato, data cautione, ſeu iuramento debitæ ſatiſfactionis, non tamen poſſunt diſpenſare in irregularitate. Lezana hic; ſed vide quid dicat Salmaticenſe Collegium citandum inferius. Confeſſarij Regulares, qui degunt extra Urbem in Italia, licet poſſint abſolvere, ut diximus, ab omnibus caſibus, & cenſuris Papæ reſervatis, ſciant quod excipiuntur ex Decreto Sac. Congregationis Violationis Immunitatis Eccleſiaſticæ ī terminis conſtitutionis Gregor. XIV. *quæ incipit cum alias nonnullis*. Violationis clauſuræ Monialium ad malum finem(etiam poſtea non effectu ſecuto, dummodo violaverit clauſuram ad malum finem, nam talis actus in re, eſt conſumatus cum ingreditur ad malum finem) provocantium, & pugnantium in duello. Conc. Trid.. Inijcientium manus violentas in Clericos. *Si quis ſuadente*. Simonię Realis ſcienter contractæ, atque etiam confidentiæ Beneficialis. A reliquis ergo poſſunt abſolvere hoc valde notandum eſt. Et hic obſerva quod aliqui volunt quod ex Privilegio Pauli III. conceſſo PP. Ieſuitis poſſint etiam Confeſſarij Regulares adhuc abſolvere à prædictis caſibus numeratis, imò ab omnibus Papalibus, quā-do ſunt occulti, nam tunc ſunt Epiſcopales; utpotè commiſſi Epiſcopis ex Trid. *Seſſ.* 24 *c.* 6. Diana *parte* 2. *tract.* 2. *reſol.* 13. qui refert Sanch. *tom.* 1. *in Decal.* & Marull. Sed quid quid ſit de hoc, cōſulo Regulares, ut ſēper cautè procedāt, & iudico hoc nō eſſe admittēdū ſaltē ita univerſaliter, & ſine debita cōſideratione.

11 Poſſunt tamen Confeſſarij Regulares diſpenſare in omnibus votis, & iuramentis, & ea commutare in qibus poteſt Epiſcopus, exceptis Papæ reſervatis, & etiam excepto voto Peregrinationis ultra

duas dietas. Ita ex communi Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* 5.*qu.*4.*nu.*92. etiam extra confeſſionem, & poſſunt vota commutare in minus bonum. Medina *lib.* 1. *cap.* 14.

12 In iuramentis factis in favorem tertij & acceptatis, dummodo adimpleri poſsint, non diſpenſent, niſi conſentiente Perſona, in cuius favorem facta eſt iurata promiſſio de Baccone *in* 4.*diſt.*13.*art.*4

13 Item ſi eſt deputatus à Superiore, poteſt diſpenſare cum coniugatis inceſtuoſis ad debitum petendum in Sacramento Confeſſionis, in domibus Religioſis, & Eccleſijs ſuis tantum. Quæ deputatio durat ad libitum, & expirat morte, & mutatione ipſius Superioris. Vide Lezanam *tom.*5.*verbo Affinitas nu.*4.5. Circa vota, ac Iuramenta, & cauſam, & auctoritatem diſpenſandi, videatur Coll. Salmatic. *de voto, ac iuramento tract.* 17.

14 Hic nota quod in dubio. An aliquod Privilegium ſit revocatum non debet præſumi revocatum. Pariſius *lib.*2.*conſ.*61.*in fin.* Poſſeſſio enim ſtat pro Privilegio. Melior eſt conditio poſſidentis. Et dubia privilegiorum regularium an v. g. ſint revocata interpretanda ſunt in favorem Regularium ex Priv. Alexand. VI. facto Benedectinis Valliſoleti Sanchez *lib.*1.*cap.*10.*num.*13. Nota etiam quod opinio verè probabilis, & error communis dant iurisdictionem, dumodò de eius probabilitate cõmuniter nõ dubitetur. Summus tantum Pontifex poteſt revocare omnia Privilegia conceſſa à S. Sede, etiam Principibus; undè ſemper obſervandum diligenter an ſint verè revocata?

15 Nota ſecundò. Valdè pro praxi, quod non

ſolum dicitur occultum illud, quod per accidens non eſt manifeſtum, nec probari poteſt per Teſtes, ſed dicitur occultum illud, quod non eſt publicum, nec notorium, aut famoſum, licet poſſit probari Teſtibus, dummodo non ſit deductum ad forum contentioſum, vel ſciatur à maiori parte viciniæ. Collegij Monaſterij, ſeu Parochiæ. v. g. ex viginti vicinis ſaltem ab undecim ſciatur; tunc quando ita non eſt dicitur occultum. Et tunc pariter dicitur deductum ad Forum contentioſum, quando in tali foro, etiam uno Teſte probatum eſt, a quo delicto tunc non licet abſolvere.

16 An poſſint diſpenſare ſuos pœnitentes in omnibus irregularitatibus, in quibus poſſunt Epiſcopi? Vide Coll. Salm. *de Privileg. Regul.*

An Confeſſarij regulares itinerantes, quando facilis non eſt aditus ad Epiſcopum, Parocho non repugnante in quocumque loco poſſint confeſſiones fidelium audire tutò, & ſine ſcrupulo? Vide ibi Colleg. §. 4. De quibus nihil affirmo.

17 Probabile etiam eſt quod confeſſarij regulares poſſint diſpenſare à quibuſvis pænis Eccleſiaſticis v. g. Privationis, inabilitationis, incapacitatis, quæ ponuntur in conſtitutionibus Pontificijs. Sanch. *l. 6. in decal. cap.* 15. *num.* 78. in fine, & alij multi Lezana: *hic verb. Confeſs. reg. num.* 8. iudicat probabilem iſtam ſententiam.

18 Quod pertinet ad Confeſsarium Regularem, reſpectu pænitentium regularium, & de eorum privilegijs vide præcipuè loco relato Lezanam *num.* 12. *&* 13. Tutius eſt ut iſti pænitentes in rebus dubijs recurrant ad Prælatum ſuum, & non ad ordinarios Cõ

ſeſ-

feſsarios. Portellus. Lezana.

19 Qui Prælati Regulares poſſunt limitare, reſtringere imo etiam tollere ſuis ſubditis uſũ quorũcũque Privilegiorum, etiam à Sancta Sede emanatorũ: Lezana *num*.20. Sed ego hoc limitarem libenter quã do adeſset iuxta cauſa, ſeu obſtarent conſtitutiones, & uſus adeſset, aliòquin non ſunt tollenda, nec limitanda iſta privilegia propter reverentiam S. Sedis & utilitatem ſpiritualem Religioſorum.

26 Et ipſi Prælati, ne ſint deterioris conditionis poterunt abſolvi à caſibus, à quibus poſſunt ipſi dare facultatem alios abſolvendi; non tamen à caſibus reſervatis ab eorum ſuperiore, nam ab iſtis, nec ipſi ſuos ſubditos abſolvere poſſunt.

21 Sed quia multa conceduntur in Iubilæis confeſſarijs omnibus, pro complemento, & pinguiori Doctrina, & praxi, aliqua dubia diſsolvam. Igitur.

Quæres primò. An qui virtute Iubilæi fuit abſolutus à peccatis, tranſacto Iubilæo poſsit abſolvi ab oblitis reſervatis, quando eorum recordatur, per quemcumque confeſsarium approbatum?

Dicendum poſse, vide Lugum *disp*.20.*nu*. 99.

22 Quæres ſecundò. An ſi pænitens tempore Iubilæi confeſsus ſit animo lucrãdi Iubilæum, poſtea non lucretur, non ſervando reliqua requiſita, maneat liber à reſervatione caſuum, à quibus abſolutus fuit?

Aliqui volunt in priſtinam cenſuram, & reſervationem incidere, ſed contrarium omninò tenendum eſt: Nam non pendet abſolutio à conditione futura; neque illa abſolutio cenſurarum, data eſt ad reincidentiam. Vide hic Colleg. Salm. quod plures citat Au

ctores. Nec mortaliter peccat pænitens obmittendo requiſita, quidquid ſentiat Suarez *de relig.tom.2. lib.2.cap.6.num.*11.nam nullum fundamentum invenitur, ad inducendam talem obligationem. Difficiliter enim debet induci Theologus ad dicendum, hoc eſt mortale peccatum, nec fieri debet ſine debito fũdamento. Quod à multis video non benè conſideratum, unde facile enunciant illud durum verbum. Eſt peccatum mortale. Et hoc, pręcipuè in ma teria de obligationibus Clericorum, & Regularium. Non loquor tamen de Suarez, qui eſt Doctor magnę auctoritatis, doctrinæ, & prudentiæ, ſed obiter.

23 Quęres terriò. An quis tempore Iubilæi nõ eſt confeſſus, quia facto debito examine, non invenit mortale, & innitens opinioni probabili, quod nõ ſit neceſſaria confeſſio tempore Iubilæi non habenti mortale, ſi poſtea recordetur peccati reſervati commiſſi ante Iubilæum, poſſit à quocumque approbato abſolvi?

Dicendum poſſe. Nam Iubilæum lucratum illi hoc ius tribuit, Thomas Sanchez:, Lugus *nu.* 102. Diana *reſol.*150.

24 Quæres ultimò. An regulares tempore Iubilæi, ut à reſervatis abſolvantur expreſſis in Iubilæo, debeant confiteri confeſſario approbato ab Epiſcopo, vel ſufficiat ut confiteantur approbato à ſuo ſuperiore?

Lis eſt ſub Iudice. Noſter Gabriel à S. Vincentio *diſp.9.qu.5.*& Coll. Salmat. cum alijs dicunt ſufficere confiteri approbato à proprio Prælato. Ego conſulo ad maiorem cantelam, partem negativam. Lezana dicit quod ſi in Iubilæo dicitur tantum, confiteantur

ap-

approbato ab Ordinario poteſt quilibet confiteri ap probato à proprio Superiore, ſi autem dicatur ab ordinario loci, neceſſe eſt quod Confeſſarius eligendus, ſit approbatus ab Epiſcopo.

25 Pro reſponſione aliquorum dubiorum, quæ ĩ praxi tempore Iubilæi communiter quæruntur.

Sciatis quod non oportet, ſed tutius eſt quod omnia opera Iubilæi fiant in gratia, ſed ſufficit quod ultimum opus in quo Indulgentia applicatur ſit factum in gratia. *I*mò ſi quis non lucraretur Indulgentiam propter peccatum, recedente fictione probabile eſt poſtea lucrari. Diana hic ſed meritò controvertitur.

Si quis famulo daret pecuniam ut faceret eleemoſinam, non lucraretur Iubilæum, ſi famulus non præberet illam pecuniam in eleemoſynam, aut præberet poſt tempus præſcriptum. Sed quidquid multi dicant, ego contrarium ſentio cum Sà, Verbo *Indulgẽtia num*.4. & mihi perſuadeo quod ſic intelligatur ex benigna mente Pontificis, ne iſte fruſtretur in ſua bona intentione; nam verè quantum in ſe fuit, præbuit eleemoſynam; præſertim, ſi aliqua iuſta cauſa hoc fecit. Lezana.

26 Quando eſt neceſſaria confeſſio ut opus iniunctum, vel quia quis eſt in mortali, poteſt fieri die Dominico, licet Breve dicat ut in hebdommada cõfiteamur, & die Dominico communicemus; Nam talis dies eſt complementum tranſactæ hebdomadæ in qua ieiunatum eſt. Ita declaratum fuit à Gregorio XIII. Patribus Societatis Ieſu, teſte Acoſta in Bullà Cruciatæ *qu.*14.*du.*3. Diana hic.

27 Circa facultatem abſolvendi, & commutandi vota &c. debent attendi verba Pontificis, Iubilæ-

um concedentis; & qui non poteſt præſtare opera præſcripta petat à Cōfeſſario commutationem. Imò etiam poteſt commutare omiſsa ex malitia, unde ſi quis dolens de ſua negligentia ultima Dominica, petit opera commutari, ſeu prorogari, poteſt hoc facere Confeſsarius; Nam tunc eſt verè impotens, nec ſpirat facultas Confeſsario. Idem dic de eo qui omnia opera præſcripta fecit, ſed die Dominico inadvertenter bibit, huic poteſt hoc opus in aliud commutari. Henriquez. *lib.7. cap.* 10.*num.*8.*par,*3.*reſol.*152. Diana. Rationabili de cauſa poſsunt opera iniuncta perfici in duabus hebdomadis, dummodò ieiunium fiat totum in una hebdomada; & eſt opinio multorum. Vide Lezanam. Poteſt anticipari communio ante diem Dominicum. Nam Pontifex non pręcipit hoc, ſed conſulit ut congruentius. Boſsius de Iubil. *Sect.*4.*cap.*20.*num.*17.

Poteſt ex iuſta cauſa Confeſsarius abſolutionem alicui pęnitenti differre poſt Iubilæum, ſed reſervationem, & vota debet commutare antequam ſit trāſactum tempus Iubilæi; & ſi pænitens illo tempore, cadat in nova peccata reſervata, poteſt abſolvi, nā is nondum acquiſivit Iubilæum, & ex obedientia Cōfeſsoris factus eſset deterioris conditionis quam cæteri. Boſsius *ſect.*1.*cap.*38.*&* 39.*par.*3.*reſol.*147.

28 Qui ignoravit invincibiliter Iubilæum eſse, poteſt lucrari illud poſt quindecim dies à die notitiæ. Negligens lucrari in Patria, poteſt lucrari in alio loco; & poteſt bis acquiri; particula enim diſiunctiva quæ eſt in Bullis Pontificis, nempe quod gratia eſt cōſequenda in una ex duabus hebdomadis reſpicit tantum commoditatem fidelium. Molfertius

tom.

tom. 1. *tract.* 7. *cap.* 16. *num.* 45. Diana hic. Alij autem negant, & afferunt declarationem Congregationis Cardinalium. Bonaccina. Et licet hoc ſit dubium, certum eſt quod Iubilæum anni Sancti poteſt lucrari toties, quoties, fiunt opera præſcripta. Bonaccina ex declaratione Vrbani &c.

29 Nota quod tempore Iubilæi Anni Sancti, nō ſuſpenduntur indulgentiæ pro Defunctis, ueque pro conſtitutis in Articulo Mortis, neque Indulgentię nō plenariæ, etiam pro vivis. Lezana, & in Urbe nullæ ſuſpenduntur. Sed ſtandum determinationi Pontificis in Bulla.

30 Nota etiam quod Regulares non poſſunt abſolvi à reſervatis, ſuis Superioribus, ipſis invitis, etiā tempore iſtius Iubilæi, unde non poſſunt eligere Cōfeſsarium, ut ab ipſis abſolvantur. Sed hoc ut notavi mihi durum videtut, niſi obſtent conſtitutiones, ſeu aliqua iuſta cauſa, & uſus non ſit in contrarium, & credo quod non poſſint hoc, ſuis ſubditis prohibere tempore Iubilæi. Quidquid ſit de Bulla Cruciatę propter aliquam declarationem Pontificis. Vide Lezanam V. *Bulla Cruciatæ*.

31 Tandem pro ornatu ſciatis, Iubilæum dici ab Iobel, quæ vox hebraica eſt, & ſignificat remiſſionem, ſeu initium, nam & remiſſio peccatorum, & initium innocentis vitæ dantur per opera præſcripta in Iubilæo; & deſumptum eſt ab uſu antiquo Hebræorum; nam anno quinquageſimo vacabant ab agricultura, debita remittebantur, & poſſeſsiones reſtituebantur antiquis Dominis. Levit. 25. & 26. & ille Annus qui erat remiſsionis, Iubilæus vocabatur; quare Eccleſia remittit &c. & vocat talē annum Iubilæi &c.

&c. Eſt enIm Iubilæum plenaria Indulgentia, includens facultates expreſſas ĩ illo.

De Privilegijs Regulariũ circa adminiſtrationẽ, & receptionem aliorum Sacramentorum. Vide Colleg. Salm. paſsim in quolibet Sacramento, & præcipuè hic. Nota quod multa licent in Hiſpania, & in alijs Regionibus, quæ prohibentur in Italia.

Certè Colleg. Salmatic. eſt omninò videndum, ſed maturè conſiderandum *de particularibus Privil. Regulariũ*. Res eſset nimis longa hic recenſere, & examinare quæ multis citatis affirmat. Illud tamen non prætereundum. Privilegium, circa Recitationem Divini Officij, ad tranquillitatem, & quietem conſcientiæ pono.

Clemens VII. (in Bulla) conceſsit Clericis S. Sylveſtri, qui Theatini vocantur, quod Fratres vacantes prædicationi Verbi Dei audientiæ Confeſsionum lectioni Sacrorum Canonum, ſaluti animarum, ſtudio, ſeruitio infirmorũ conceſſit, inquam ut poſsint diſpenſari à recitatione Divini officij. Hæc ſunt præciſa verba. *Ad hoc ut ipſi occupati, vel impediti certũ pſalmorum per ipſos Superiores, eis aſſignandum numerum non minus ſeptem aut ſex cum diviſione, ac orationem Dominicam ſepties, Symbolum Apoſtolorum bis: Graviter autem ægrotantes orationem Dominicam ſemel, & ſalatationem Angelicam ſepties in die recitando, ſeptem horis Canonicis, & toti officio ſatisfeciſſe cenſentur.*

Quæritur ergo primò. An hoc privilegio tuta cõſcientia uti poſsint Superiores?

Dicendum affirmativè. Privilegiatus enĩ tutò poteſt uti Privilegio. Sic Manuel Rodriguez *quæſt. Regul.*

*gul.tom.*1.*qu.*42.*art.*5.Hyeronim. Rodriquez *in compend.quæſt.regul.reſol.*34.*num.*6.Tambur.*de iur.abbat. tom.*1.*diſp.*10. *quæſt.* 1.*num.*8Lezana *tom* 1.*cap.*1.*num.* 31.Thomas Urtadus *tom.*1.*tract.*3.*cap.*1.*reſol.*8.Martinus à S.Joſeph *llib.*2.*de orat.tract.*4.*num.*6. Pelli 37. *tract.* 5. *num.* 25. Paſqualigus *tom.*2. *quæſt.*19.*num.*4. Corduba *Horæ Canon. in adnot.* Bruno Caſaijq.*in privil.regul.*2.*p.tract.*8.Leo X.quos numerat,& ſequitur Colleg.Salm. *Tract. de Hor.Can.cap.*3.*de recit.Offic. punct.*7.

Sed dubitabis quænam occupationes requirantur ad hoc, ut tutò Prælatus diſpenſet?

Dicendum ſufficere quod ſint tales quod ex ſe non excuſent à recitatione;nam ſi ex ſe excuſarent, fruſtraneum eſſet privilegium, nam tunc iure communi quis excuſatur à recitatione, ideo non opus eſt ut ſint nimis graues.

Diſpenſatio enim, non habet locum ubi lex in caſu particulari deſinit obligare Pellizzar.*nu.*126. Paſqual. *nu.*4.Antonius à Spiritu Sancto *tract.* 2.*diſp.*2. *nu.*150.Colleg.Salm.ut ſupra.Concionator enim,qui tota quadrageſima prædicat poteſt diſpenſari, dummodò non ita memoriæ retineat Conciones, ut ferè ſine ullo ſtudio concionari poſsit.

Refert idem Coll.Priv. Martini V. & Eugenij IV. pro infirmis,& convaleſcentibus. Ubi dicit. *Dum fuerint infirmi ,& etiam ſenex,& valetudinarij, qui tenentur ad Horas Canonicas, ſatisfaciunt recitando aliquas, vel id quod ſuis Confeſſoribus viſum fuerit.*Martinus V.Vide ibi alia Privilegia Leonis X. & Innoc. VIII. circa illos qui recitant Officium cum male pronunciantibus,'& Senibus, nec audiũt omnia quæ dicun-

cuntur ob ſtrepitum, vel ob quamcumque cauſam, ut non teneantur repetere quæ non audierunt. Non loquor de Privilegio Leonis X. quod Regulares poſsint mentaliter recitare Divinum Officium, nam multi negant et præcipuè Lezana *tom.* 1 *cap.* 12. *nu.* 31.

Hac occaſione Quia communiter ad ſupplendos omnes defectus, & culpas commiſſas in recitatione Divini Officij dicitur in fine ex Indulto Leonis X. Oratio *Sacroſanctæ, ac individuæ Trinitati* etiam cũ verſiculo *Beata viſcera &c.* & Reſponſ. *Et beata ubera quæ lactaverunt Chriſtum Dominum.*

Sciatis pro aſſecutione iſtius remiſsionis culparum & defectuum. Tria requiri. Primum ut tales defectus ſint ſolum culpæ veniales. Nam mortale ſic nunquam poteſt remitti, ut patet. Secundum ut recitans non ſit in ſtatu peccati mortalis, nam venialia non remittuntur non remiſsis mortalibns, ponat ergoſe in ſtatu gratiæ ſaltem per contritionem. Tertium quod deteſtentur illa peccata venialia. Nam illa oratio non remittit pęnam per modum Indulgentię, ſed culpam per modum cuiuſdam Sacramentalis, ex Sacramentalia non delent venialia ex opere operato, ſed ex opere operantis. Ergo ſaltem per actum attritionis excitatum per Sacramentalia, ut vult opinio communior Doctorum, & debet hęc Oratio coniungi moraliter cum recitatione Divini Officij antequam recitans ſe divertat ad alia.

Adeſt aliud indultum Gregorij XV. conceſſum indulgentijs quinque Sanctorum, ut qui in fine Diei (quod ſufficit) recitaverit Pſalmum *Laudate Dominum omnes gentes*. Suppleat omnes negligentias, & de-

Defectus commiſſos inadvertenter in celebratione Miſſę in recitatione Diuini Officij, & in alijs operibus Spiritualibus eodem die. Vide Bordon. *tom.1. Reſol.27.num.27.*



QVÆ

QVÆST. VI.

De Scientia requiſita in Confeſſario, ad cognoſcendam differentiam inter peccatum Mortale, & Veniale.

ART. VNICVS

Quomodo peccatum Mortale, & Veniale inter ſe dignoſcantur?

1 PEccatum eſt voluntarium factum, dictum, concupitum, aut omiſſio contra legem æternam Dei. Lex enim Dei eſt prima regula cuiuſcumque rectitudinis. Hæc definitio eſt bona, & propriè competit peccato mortali; nam veniale non eſt contra legem, ſed præter legem, & non eſt contra finem legis, ideſt contra charitatem. Ad rationem peccati duo præſertim requiruntur, nempè ut talis actus ſit humanus, ideſt voluntarius, & liber.

Cer-

2 Certum eſt de fide dari aliqua peccata, quæ ſunt mortalia, & aliqua venialia. Trident. *ſeſſ.6.cap.* 11.

Sed licet hoc ſit certiſſimum, & apertiſsimè conſtet peccata mortalia, & venialia, inter ſe differre; difficillimum eſt, in ſpecie, & individuo talem cognoſcere differentiam, & periculoſiſsimum definire. Teſte Auguſtino *lib.21.de Civit.cap.27*. Sed quia officium Confeſsarij poſtulat, ut dignoſcatur inter leprā, & lepram, ut rectè munere ſuo fungatur, aliquid pro praxi dicemus.

3 Et certum eſt, quod aliqua peccata ità habēt gravem repugnantiam cum lege Dei, & recta ratione, quod etiam à cæcis cognoſcuntur eſſe mortalia, ut v.g. Periurium, Homicidium: alia verò non ita gravem habent, ut ab omnibus facilè dignoſcatur eſse venialia, cuiuſmodi ſunt venialia, quæ enumerat Sanctus Auguſtinus ſerm.4.de Animab. def. *Quoties aliquis in cibo, & potu, plus accipit, quam neceſse ſit, quoties plus loquitur qnam opportet, aut plus tacet, quam expediat, quoties pauperem importunè petentem exaſperat, & ſimilia*.

4 Sed quia omnia non ita clarè patent, ad dignoſcenda mortalia, & venialia, duę regulæ cōmunitèr aſsignantur.

Prima eſt. Quando Sacra Scriptura comminatur ęternam damnationem; Dei inimicitiam; ob aliqua peccata, certum eſt talia peccata eſſe mortalia, ut Eph.5. *Omnis fornicator, aut immundus, &c. non habet hæreditatem in Regno Dei*: & ſimiles loci, &c.

Secunda Regula deſumitur ex communi Eccleſiæ Doctorum conſenſu. Quandò enim Scriptura de ali-

qui-

quibus peccatis apertè non loquitur; Si communiter Doctores Eccleſiæ dicunt eſſe mortale, aut veniale, illis ſtandum, & credendum eſt.

Quod ſi Doctores inter ſe diſsentiant, probabilior aut ſaltem verè probabilis, & tuta ſententia eſt eligenda.

5 Et hic valdè miror, quod aliqui Confeſſores timoratæ conſcientiæ, ut creduntur, ne conturbent ſuas pænitentes, ornantes ſe iuxta modum vaniſsimum huius corrupti temporis, excuſent etiam illas à peccato veniali, non reſpicientes ad Edicta Sanctiſsimi Domlni Innocentij XI.neque ad tot Sanctos Patres, qui terribili voce illis minantur mortem æternam, iramque Dei, plus uſum Mundi aſpicientes profanum, quam Dei voluntatem in Sacris litteris apertiſsimè expreſsam, ut meritò ſaltem propter varias circumſtantias quærant Thæologi an mortaliter peccent, ſed quod ſaltem negari non poteſt, habent affectum ad illud veniale peccatum vanitatis, quod quam dedeceat Chriſtianam animam, eamque reddat periculoſam maioris lapſus, alij iudicent prudentiores. Ego in meo opuſculo cui titulus *La Dama Chriſtiana diſingannata*, ex Sanctis Patribus, evidentiſsime hoc demonſtravi: Et in vita S.Bernardi melliflui,& mirabilis Doctoris, & ex eius authoritate, pauca addidi,ſed efficacia: Valdè, inquam, miror huius doctrinæ, & neſcio qua fronte, qua conſcientia,qua fide, indefinitè, & ſine aliqua, ſaltem reſtrictione ad loca, ad tempus, illam liberè doceant. & profiteantur. Sed redeamus ad noſtra.

6 Pro praxi obſervent Confeſſarij: quod peccatum ex genere ſuo mortale, duobus modis poteſt fieri

ri veniale. Scilicet ex levitate materiæ, ut qui furaretur unũ quadrantem: & ex imperfectione actus, tàm ex parte intellectus, quàm voluntatis, ut v.g. qui magna ira conturbatus vindictam gravem appeteret. Sciat tamen Confeſſarius, quòd in rebus venereis, ratione parvitatis materiæ, peccatum non ſit veniale, unde cum advertenter accedit voluntas, & ſimus in venereis (non loquor de ſenſitivis) peccatum eſt verè mortale.

7 Pariter peccatum, quod ex genere ſuo eſt veniale, ſex modis poteſt fieri mortale. Primò ſi quis ex conſcientia erronea crederet eſſe mortale, & adhuc illud committeret; Secundò ſi ordinetur ad aliquod mortale, ut ſi quis diceret verbum otioſum, ut induceret mulierem ad carnalitèr peccandũ. Tertiò ratione finis ultimi, ut ſi quisità eſset paratus ad committendum veniale, ut illud committeret etiam ſi eſset mortale. Quartò, ratione ſcandali, cum ex tali commiſſione prævidit, aut prævidere debebat, ſequuturum aliquod grave ſcandalum. Quintò ſi trãſgreſſio aliqua ex ſe venialis, committatur ex contemptu formali legis, ſeu legislatoris; nempè quia illi non vult ſe ſubijcere, nam eſt peccatum conſumatæ ſuperbiæ; Aut quia hæc res minima eſt præcepta, ideò illam exequi nolo, nam eſt inobedientia formalis. Sextò, ratione periculi, peccatum veniale, & opus indifferens tranſijt in mortale: v. g. aliquid facis ſine ſufficienti cautela, & neceſſitate, per quod cadis in mortale, ſeù in proximum periculum peccandi mortaliter: & eſt explicanda in Confeſſione ſpecies peccati, cuius periculo te expoſuiſti, quia peccatum eiuſdem ſpeciei comiſiſti. Proximum peri-

riculum peccandi illud cenſetur, quod illius conditionis homines frequenter in peccatum mortale inducit. *Qui enim amat periculum peribit in ipſo*.

8 Quæres primò, An ex pluribus peccatis venialibus poſsit conflari unum mortale.

Dicendum. Non poſse ex S:Thoma *qu. 76. Art.4.* & eſt communis ſententia. Sequeretur enim contra Tridentinum, quod per peccata venialia excluderemur à gratia ſanctificante *ſeſſ.14.cap.5.* Sed contra. Ex pluribus furtis venialibus fit unum furtum mortale cum pervenitur ad ſufficientem materiam furti, ergo ex pluribus peccatis venialibus fit unum mortale.

Reſpondetur. Hoc fieri, non ratione cuiuslibet furti venialis ut ſic, ſed ratione voluntatis expreſsè, ſeù tacitè retinendi ultimum furtum, quod cum præcedentibus furtis parvis, eſt materia ſufficiens furti mortalis.

9 Quæres ſecundò. An qui unico actu vellet cōmittere omnia venialia, peccaret ne mortaliter? Dicendum cum Granado *in 1.2.controv.6.tract.2.Seſ.7.* Negativè præcisè in ſe: ſed ratione periculi, quo ſe exponeret. Sanch. dicit peccare mortaliter; ſicuti Religioſus, qui vellet transgredi ſtatuta omnia regulæ, non obligantia ad mortale. Diſponunt enim nimis venialia, præſertim commiſsa ex voluntate determinata, & cum affectu ad veniale, ad committēdum mortale. *Noli deſpicere peccata tua* (dicit benè S. Auguſtinus ſerm.244. de tempore) *Noli deſpicere peccata tua, quia parva ſunt, nam, & pluviarum guttæ parvæ flumina implent, & arbores cum ſuis radicibus tollunt. Tu qui dicis quia parvum peccatum eſt, velim*

ſci-

ſcire quoties tale peccatum admittis, ſi tot parvulas plagas in corpore, & maculas, aut ſciſſuras in veſtibus tuis fieri velis? cum ergo nec in corpore plagas, nec in veſte ſciſſuras, vel maculas fieri acquieſcis, qua conſcientia hoc facere in anima tua non metuis?

10 Videant ergo Confeſsarij quomodo agendũ ſit præcipuè cum pænitentibus mulieribus, quæ frequentant Sacramentum SS. Euchariſtię, nec volunt cohibere ſe à vanitatibus, à converſationibus inutilibus, domum famulorum libertati relinquendo per plures horas. Videant ergo an benè diſpoſitæ frequẽtent tam ineffabile Sacramentum. Legãt igitur quid de hoc, ſcribit ille incomparabilis devotionis Magiſter Sanctus Frãciscus Saleſius, in ſua tam ſuavi introductione ad vitam devotam, & iuxta præcepta ibi tradita ſe gubernent. De diſcrimine inter mortale, & veniale, etiam vide noſtrum Patrem Magiſtrum Ioſeph Zagaglia tom. 6. ſui curſus Theolog. *Diſp.* 3. *ſect.* 1. de ſatisfactione. Aliqua digna ſcitu reperies apud Reſolutum de Baccone in pr. *Diſt.* 47. *qu.* 1. *art.* 2. §. 2. *& diſt.* 48.

11 Nota quod peccata venialia extra Sacramẽtum pænitentiæ multis modis expiantur, nempè per contritionem, & in homine iuſto etiam per attritionem de ipſis, per actus aliarum virtutum elicitos in ordinem ad delectionem peccati venialis, & per omnia Sacramenta dummodo non adſit affectus ad ipſa. Remittuntur poſtea, & mediatè per omnia Sacramentalia, nempè per orationem quotidianam, aſperſionem aquæ benedictę, Manducationem panis benedicti, eleemoſinam, benedictionem Epiſcopi, ſeu Abbatis conſecrati. Nunquã tamẽ ſine remiſſione mortalis, & requiritur ſẽper ſaltẽ ĩplicitus actus pænitẽtię

QVÆST. VII.

De Scièntia Confeſſarij in ordinem ad circumſtantias.

ART. I.

Quid. & quotuplex ſint circumſtantiæ?

1 NOmine Circumſtantiarum à Theologis intelliguntur accidentia quędã actus humani, ſic dicta, quia illum circumſtant, & ipſi iàm conſtituto in aliqua ſpecie boni, vel mali, adveniunt.

Certum eſt, quod bonitas, vel malitia actus deſumitur etiam à circumſtantijs. Laudatur in Scripturis Eleemoſina facta in abſcondito, & loquimur de illis circumſtantijs, quæ conferunt ad bonitatem, ſeù malitiam actus, non de circumſtantijs impertinentinentibus, v.g. percutere aliquem manu dextera, vel ſiniſtra. Iſtæ enim circumſtantię aliæ minuunt bonitatem, ſeu malitiam actus, ſeù augent intra eamdem ſpeciem, & aliæ addunt actui bonitatem, ſeu maliti-

am

am ſpecie diſtinctam, ut v.g.percutere benefactorem in primò caſu: Sacerdotem in ſecundò. Quare aliæ ſunt circumſtantiæ, quæ mutant ſpeciem: aliæ quę aggravant in eadem ſpecie.

2 Circumſtantiæ præcipuæ actus humani, quarũ aliquæ modo unum, modo alium actum afficiunt,& aliquando illum transferunt de una ſpecie in alterã, aliquando ſolùm aggravant in eadem ſpecie à Doctore meo Reſoluto de Baccone *in 4.diſt.16.qu.1.artic.*1. Multæ aſſignantur, quas etiam confundit cum conditionibus Sacramentalis Confeſsionis, ut videre eſt apud ipſum. A Sancto Doctore ſeptem numerantur, & ſunt.

Quis, quid, ubi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando.

Quis qualitatem agentis deſignat, & coincidit cum meo Doctore loco citato, *Quid*? obiecti conditionem, *Vbi*? locum, an v.g. peccatum ſit commiſſum in Eccleſia. *Quibus auxilijs*? adiumenta actionis. *Cur*? finem actionis, *Quomodo*, modum peccandi publicè, aut ſecretò; advertentiam actionis, & malitiæ. *Quando?* tempus ipſius actionis, an die feſto, aut ſolemni, ut in tribus diebus ultimis Hebdomadę Sanctę, ſeù in Paſchate, Pentecoſtes, Natalis, &c. Quod credo, ſi fiat data opera,& non cauſaliter eſſe circumſtantiam aggravantem notabilitèr, ſeù quaſi in infinitum, neceſſariò exprimendam in Confeſſione: ut dicemus, demonſtrat enim nimiam perverſitatem, & irreligioſitatem animi, unde mutat notabiliter iudicium prudentis Confeſſarij, videndo pænitentem ultroneè peccare in diebus tã Sanctis: Unde loco citato, rectè Doctor meus dicit, quod de-

bet exprimi [intellige non ſemper neceſſariò] tentatio, ſi ultrò ſe ingerit, aut prævenit.

3 Ad dignoſcendum quando iſtę circumſtantiæ mutent ſpeciem, & quando notabiliter aggravent, hæc regula ponitur. Nempè, quando faciunt quod actus peccaminoſus opponatur pluribus virtutibus, tunc ſunt circumſtantię mutantes ſpeciem, ut furari in Eccleſia, tale furtum, nedum opponitur iuſtitię, ſed etiam virtuti Religionis, per quam violatur cultus Dei. Furari poſtea ſex, aut centum, non opponitur diverſis virtutibus, ſed aggravat peccatum, notabiliter, ſeu quaſi ĩ infinitum in eadem ſpecie, quare eſt circumſtantia aggravans. Diana V. *Circumſtantiæ.*! Sed hæc ratio non ſatisfacit: Nam omiſſio actus fidei quando urget præceptum ipſum eliciendi, & hæreſis, differunt ſpecie, & tamen ſunt contra eamdem virtutem Fidei. Prodigalitas, & Avaritia differunt ſpecie, & pariter ſunt contra eamdem virtutem, nempè Liberalitatis. Sodomia, & Beſtialitas differunt ſpecie, & ſunt contra eamdem virtutem Caſtitatis. Quare.

4 Dicendum. Quando actus peccaminoſus eſt contra plures virtutes, utique habet malitias diſtinctas; Sed addendum, vel quando eſt contra eamdẽ virtutem per exceſſum, ſeu per defectum, ut Prodigalitas, & Avaritia, vel contra eandem per omiſſionem, ſeù comiſſionem, ut Hæreſis, & omiſſio actus fidei. Quod verò pertinet ad ſpecies luxuriæ. Sciatis quod habet regulam particularem, Luxuria enĩ ſe habet, ut genus, & habet ſuas ſpecies ſub ſe, nam per propriam differentiam particularem, Luxuria contrahitur, ut genus ad ſtandum, v.g. pro Luxuria

Adul-

Adulterij, Stuprj, Sacrilegij, inceſtus, Raptus, Beſtialitatis &c. Species enim ſunt ſimplex fornicatio, Adulterium, Stuprum, Sacrilegium, Inceſtus, Raptus. Peccata contra naturam, Delectatio turpis, Oſcula venerea, Tactus venerei, Et intuitus turpis.

Sed ego noto, quod aliud eſt quærere quando unicus actus peccaminoſus per circumſtantias habeat plures malitias; Aliud quando duo actus peccaminoſi, licet ſint contra eamdem virtutem, ſint ſpecie diſtincti. Primum fit quandò unicus actus eſt contra diverſas virtutes. Secundum, quando plures actus iā ſunt completi in propria malitia, & contra eamdē virtutem feruntur, differenti malitia formali, per diverſa pręcepta contracta, ut v.g. Prodigalitas, & Avaritia, ſunt enim ex ſe peccata iam diſtincta, licet ſint contra eamdem virtutem.

5 Hic obiter nota gravitatem peccati mortalis, quod proportionaliter intende de veniali, præcipuè commiſſo cum plena deliberatione, & advertentia. *Quis* (eſt enim prima circumſtantia] Peccat homo vilis, miſerabilis, qui erigit ſe contra Deum Creatorē ſummum bonum &c. *Vbi*? in facie, & coram Deo, non veretur committere, quod coram hominibus nō committeret; unde David ſe accuſans dixit, & malum coram te feci. *Quibus auxilijs*? Ipſius Dei, utitur enim contra Deum donis ipſius, memoria, voluntate, corpore; Unde conqueritur omnipotens, *Verumtamen me ſervire feciſtis peccatis veſtris*. *Cur*? fortaſſis ne pereat Mundus, aut in gratiam alterius divinitatis? nihil omninò, ſed ut ſuam adimpleat contra Deum voluntatem, & ſua perverſa deſideria! *Quomodò*? publicè petulanter coram Deo, & Angelis eius,

conſumata malitia. *Frons Mulieris Meritricis facta eſt mihi. Quando?* Poſtquam Deus ſua morte tantis nos cumulavit Beneficijs, poſtquam factus eſt homo, ut nos filios Dei conſecraret. Hæc diſcurrendo, dilata, ſemper cogita, & nunquam peccabis.

Queres, an iſtæ circumſtantiæ; omnes mutent ſpeciem, vel notabiliter, & quaſi in infinitum ſint aggravantes?

6 Dicendum negativè, mutant ſpeciem tantum illæ, quæ actui peccaminoſo tribuunt novam malitiam moralem ſpecificè diſtinctam, modo ſupradicto; Et illæ aggravant notabiliier, ſeu quaſi in infinitum, quæ mutant notabiliter iudicium prudentis Confeſſarij, ut v.g. furari decem, aut mille, tunc certò Cõfeſſarius aliud formabit iudicium, de furto decem aureorum, aut de mille. Ceteræ mediocriter aggravant, & poteſt ſervari rectitudo iudicij ſufficienter, ſine illarum notitia.

AR-

ART II.

Quænam circumſtantiæ ſint neceſſariò confitendæ?

1 CErtum eſt circumſtãtias moraliter ſpeciem mutantes neceſſariò confitendas eſſe,eſt de fide *Trid. Seſſ.*14. *Cap.*5.*Can.*7. alioquin nõ rectum iudicium formaret Confeſſarius,& deciperetur in re graviſſima. Quare qui non confitetur circumſtantias ſpeciem mutantes, interrogandus eſt à Confeſſario de illis,v.g. Qui confitetur ſe habuiſſe rẽ cum muliere, interrogandus eſt de ſtatu mulieris, & ſuo: tota difficultas eſt, an circumſtantiæ notabiliter aggravantes in eadem ſpecie ſint neceſſariò cõfitendæ; magnum diſſidium eſt inter *Do*ctores.

Diana adducens ultra quadraginta ſeptem Auctores. Cardinalis de Lugo *diſp.* 16.*ſect.* 3. & tribuitur D.Thomæ in 4.diſt.16.& multi alij, dicunt non eſſe neceſsariò confitendas, ſed perfectius eſt eas confiteri. quam opinionem propter authoritatem, ut credo D.Thomæ,amplectitur Colleg. Salmaticenſe

no

noſtrum. E contra verò Nugnus de Sacram. *q.9.art.* 2. *dub.* 2. Petrus de Ledeſma de Sacram. Pænitentiæ cap. 19. citans Alexandrum de Ales, Riccardum, Maiorem, Marſilium, Caietanum, Victoriam, Canum, Cathechiſmum *Pij* V. Ioannem à S.Thom. 1.2. *quæſt.* 28. *diſp.* 10. qui inſuper dicit eam ſibi certiſſimam videri, & quod non auderet oppoſitum conſulere. Eãque ſequitur Suarez, Thomas Sanchez, Enriquez, Fagundus, & multi alij. Quibus quam libentiſsimè me ſubſcribo, & eam omninò in praxi tenendam eſse iudico.

2 Aliqui poſtea, licet primam ſententiam, ut probabilem admittant, faciunt multas limitationes, excipiendo v.g. quantitatem furti, gradus conſanguinitatis, quod ferè nobiſcum ſentiunt.

Nituntur præcipuè Auctores contrariæ opinionis authoritate Tridentini, quod *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. declaravit peccata, quoad ſpeciem, & numerum eſſe explicãda, ideſt, circumſtantias mutantes ſpeciem, ergo ſine fundamento obligantur fideles ad iſtud novum onus ſubeundum confitendi circumſtantias aggravantes notabiliter, intra eamdem ſpeciem. Sed reſpondetur, Concilium certum declaraſſe, nolens in hoc derogare ſententiæ Doctorum, nec Scholæ Thomiſticæ ſecundum morem ſuum, in illis rebus, quæ de fide non ſunt: Sed contra inſtat Colleg. Salmat. Hæc eſt obligatio dubia, & incerta, nec lex in dubio legis latæ obligat, ut Thomas Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 10. *n.* 32. Card. de Lug. & alij.

3 Sed reſpondeo, quod eſt etiam dubium, & magis periculoſum, quòd iſtę circumſtantię non ſint neceſſariò confitendæ; ſed in dubijs quando agitur de va-

validitate Sacramenti, tutior pars eſt eligenda, ergo opinio noſtra eſt tenenda, cum pænitens in aliena sẽtentia ſe exponat periculo nullitatis Sacramenti, non præbendo materiam debitam, & neceſſariam. Quod evidentiſſima ratione probatur. Ideò circumſtantiæ mutantes ſpeciem ſunt confitendæ, quia ſine ipſis prudens iudicium, & ſufficiens ferre non poteſt Cõfeſsarius, ſed ſine confeſsione circumſtantiarum notabiliter aggravantium in eadem ſpecie, ferri non poteſt iudicium prudens, & ſufficiens, ergo circumſtantiæ notabiliter aggravantes in eadem ſpecie ſunt neceſsariò confitendæ. Confirmatur, quia hic non agitur de quadam opinione probabili in aliquo caſu, ſed ſimpliciter, quid confitendum ſit? Nempè agitur de materia neceſsaria Sacramẽti Pœnitentiæ, in quo caſu, tutior pars eſt accipienda.

Reſpondebis cum Collegio noſtro Salmaticenſi. quod æquitas in pænis iniungendis ex Tridẽtino ſufficit, quod ſervetur non ita exactè, ſed cum minori proportione. Totum libentiſſimè concedo, & ideò non ſunt neceſſariò confiteñdæ circumſtantiæ qûomodolibet aggrauantes, ſed circumstantiæ notabiliter aggravantes, quia mutant in re gravi, & notabiliter, iudicium prudentis Confeſſarij; ergo.

4 Quare [hoc nota pro praxi] ſi accedat pænitens, qui dicat, rem habui cum muliere habente votum Caſtitatis. Statim interroga, an habuerit cum habente votum ſimplex, aut ſolemne? licet ſit eiuſdem ſpeciei ſaltem ſecundum probabilem ſententiã) votum ſimplex, & votum ſolemne. Quia aliud feret iudicium Confeſſarius, ſi rem habuiſti cum Moniali profeſſa, aut cum muliercula ſimplex habente votũ caſtitatis.

Ac-

Accedit qui furatus fuit rem inducentem furtum mortale. Interrogabis ſtatim de quantitate. Nam aliud iudicium facies de decem aureis, quam de mille.

Sed dices, Votum ſolemne differre ſpecie à voto ſimplici. Qua ratione? Non ne utrumque eſt deliberata promiſſio facta Deo de meliori bono? & ſolum differt ratione ſolemnitatis; Sed cur miſcere ſcolaſticas ſpeculationes cum moralibus, & obligare pænitentem ad hoc intollerabile onus, & improportionatum, ut plurimum, ſuæ capacitati? Nonne tutius, & clarius eſt dicere, quod pænitens confiteatur totum id quod iudicat notabiliter aggravare ſuum peccatum? ſed dices, & hoc cum rudibus eſt difficile; concedo: ſed primum impoſsibile, & minus tutum.

Ad ſecundum reſpondetur, quod furari mille, aut decem, certè confitendum, ſed non ratione circumſtantiæ notabilitèr aggravantis præcisè, ſed quia aliquid eſt intrinſecum ipſi furtò, quod neceſſariò debet exprimi. Vide ergo quantis ſe limitationibus purgari debent Auctores primæ ſententiæ, quod etiam de gradibus conſanguinitatis, & affinitatis coguntur dicere. Hoc eſt onus grave facere Ruſticum, & idiotam, Theologum. Hoc onus grave, & non ſecurum. Undè pace tantorum virorum, quos ſummopere veneror, hanc ſententiam in praxi iudico non ſequendam, noſtraque probatur clarè; & eſt, quod me efficaciter movet. Eſt circumſtantia notabiliter aggravans, ergo notabiliter mutat iudicium prudentis Cōfeſſarij; Ergo nullo modo ſine iſtarum Confeſsione ſalvatur rectum iudicium prudentis Confeſſarij. Eſt enim etiam medicus Confeſſor, nunquam plagam ſana-

nabit, ſi notabilitèr eum vulnus latebit. Quomodo pænitentem adiuvabit conſilijs opportunis? Medicamentis neceſſarijs? exortationibus proportionatis? ſi notabiliter ei eſt ignotus ſtatus pœnitentis? Chriſtus eſt agens ſecundum rectitudinem rationis; voluitque ſuos Sacerdotes in hoc tàm ſancto Miniſterio fungi varijs officijs, quare credendum eſt velle eos, non eſſe ignaros in illis rebus, in quibus notabiliter poſſunt munus ſuum aptè non exercere. Totum confirmatur ex Rituali Romano approbato à Paulo V. in Rubric.de Sacr.Pænit.ubi dicit, quod ſi pęnitens numerum,ſpeciem [nota] & circumſtantias explicatu neceſſarias non expreſſerit, Sacerdos eum interroget. Vide ergo quod Pontifex diſtinguit circũſtantias à ſpecie? Reſpondent adverſarij, quòd debet intelligi de circumſtantijs, quæ addunt ſpeciem accidentalem actui, ut furari in loco ſacro,quod accidentale eſt furto (ſed hæc certè eſt circumſtantia, quæ ſpeciem mutat) vel quæ inducunt, cenſuram, ſeu reſervationem. Vel deſerviunt ad iudicium ferēdum, ut quantitas in furto, circa reſtitutionem faciendam, vel ſalțem, ut innoteſcat Confeſſario diſpoſitio pænitentis. Vide ergo quantis exceptionibus ſe defendunt Auctores primæ ſententię, quantis vinculis Confeſſarium, & pænitentem ligant? Tutius ergo, & expeditius eſt dicere; cum circumſtantiæ notabiliter mutant iudicium prudentis Confeſſarij,tunc aperiendę ſunt Confeſſario, v.g. furari decem, aut mille; habere rem cum habente votum ſimplex, aut ſolemne caſtitatis; magna diuturnitas odij non interrupta, deſiderium continuatum adulterandi; Quid quid ſit an votum ſimplex,aut ſolemne differant ſpe-

cie,

cie, & maior quantitas in furto, ſit aliquid peccato intrinſecum ſpecificandum, an circumſtantia aggravans notabiliter. Quã opinionem ſequitur in ſua Medulla Epiſcop. Abellij, & cõmendat, & in praxi tenẽdam inculcat, cum vix poſſint Confeſsarij ſine tali notitia, munus ſuum adimplere; ſic non eſsent, nec Medici, nec Iudices proportionati, ſemper enĩ quod valdè urget, notabiliter ignorarent cauſam, & morbum pænitentis; Et hæc videtur opinio mei Reſoluti de Baccone, nàm poſtquam dixit art. 1. quod confeſſio debet eſse expreſsa quoad circumſtantias, quod debet eſse integra quoad õnia peccata, & quod debet exprimi numerus, iterum in fine dicit, quod debet eſse integra, quia nunquam aliquem ſanavit, quem omninò non liberavit de pæn. diſt. 3. quod non poteſt intelligi niſi de circumſtantijs notabiliter aggravantibus, ſed quidquid ſit de ſua mente; hanc ſententiam firmiſſimè iudico in praxi tenendam, quæ etiam à Salmaticenſi vocatur ſatis probabilis intrinſecè, & extrinſecè.

Quæres pro praxi, & Caſus ſæpæ occurrit. Titius peccat cum muliere, & ignorat eius ſtatum, nempè an ſit ſoluta, an coniugata, an habeat votum caſtitatis, tenetur ne explicare iſtam ignorantiam? Dicendum affirmativè, quia exponit ſe periculo probabili peccandi in alia ſpecie. Idem enim eſt in moralibus ſe exponere periculo probabili, & proximo peccandi in aliqua ſpecie, & in illa peccare, ut dicemus in quæſtione Myſcellanea. Tenetur etiam pænitens exprimere circumſtantiam ignorantiæ quando excuſat ab incurrenda cenſura, & quando excuſat

à

à mortali,ut Confeſsarius poſſit iudicare de ſtatu pęnitentis. Sed de hoc fuſius in quæſtione miſcellanea in fine operis.

5 Quæres quomodo multi ſæculares rudes poſſint eſse ſecuri in conſcientia, accedentes ad Confeſsarium cum ignorent circumſtantias mutantes ſpeciem, & notabiliter aggravantes? erunt enim ſemper perplexi an ſuas bene fecerint Confeſsiones?

Dicendum ſufficere, quod tales perſonæ nihil velint reticere eorum, quę ab ipſis debent manifeſtari, dicendo illas circumſtantias quas eſse credunt manifeſtandas. Parati pariter ad ſincerè reſpondendum, ſi de alijs interrogarentur, ſicque deponere debent ſcrupulos, & anxietates. Hoc in praxi notent Confeſsarij ob tranquillandam eorum conſcientiam.

6 Debent etiam confiteri peccata,quoad numerum certum ſi conſtet, ſi non conſtet, dicatur numerus probabilis plus minusve; Unde, qui diceret decies plus minuſue fornicatus ſum, & poſtea recordetur hoc, feciſse duodecim vicibus, non eſt neceſse, ut denuo confiteretur, satis enim ſe expreſsit dicendo plus, minuſve; ſecus ſi dixiſset decies, & reminiſceretur eſse quindecim, deberet hoc denuò confiteri, quia reſpectu decem quinquies multum relevat; Quare in ſimilibus caſibus ſtandum iudicio prudentis viri. Eſt communis. Reſolutus meus ubi ſupra. Quãdo in hominibus, aut mulieribus perditæ vitæ, non poteſt haberi numerus probabilis, interroga de conſuetudine, de tempore, vel frequentia in die, in hebdomada. Actus verò interni declarari poſsunt, dicẽdum ſe paratum fuiſse tanto tempore ad committẽdum, vel deſiderandum tale peccatum, ſi fuiſset occa

caſio. Eſt communis Suar. *nu.* 39. qui dicit, quod in tali caſu confeſsarius non debet neceſsitare pœnitentem ad proferendum aliquem numerum, cum ſæpè in ſimilibus caſibus ſit moraliter impoſsibile.

7 De conditionibus confeſsionis, v.g quòd ſit humilis, lacrimoſa, ſimplex, vide hìc apud omnes auctores; & vide Bacconem meum Reſol. loc. cit.



QV-

QVÆST. VIII.

De Scientia requiſita in Confeſſario in ordinem ad peccata, quæ ſecum trahunt obligationem reſtitutionis?

ART. I.

Quid ſit reſtitutio, & qui ad eam faciendam teneatur?

1 REſtitutio eſt actus iuſtitiæ commutativæ, quo damnum proximo irrogatum reparatur. Reſtitutio eſt neceſſaria ad ſalutem, nam reſtitutionis lex eſt iuſta, quia proprietas bonorũ eſt licita, Vide Doctorem Meum Reſolutum *in 4. diſt. 21 quæſt. unic. art.* 1. non eſt tamen neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij, ſeu finis, ſed neceſſitate præcepti. Et licet ſecundum ſonum verborum, videatur præceptum affirmativum, verè, & realiter eſt negati-

vum, nam pertinet ad præceptum non furandi. Vide Valentiam *tom.3.diſp.5.quæſt.6.punct.3.* Caietanũ in ſumma *verb.reſtitutio cap.6.* Lugum *diſp.8.ſect.2.* Salmaticenſe noſtrum in hac materia continuò vidẽdum, licet non ſemper citetur, & de hac materia Bacconem meum Reſolutum loco citato, qui varia dicit, Unde, qui rem alienam iniuſtè poſſidet, nec illam reſtituere vult, & tamen poteſt, continuatè peccat non quidem addendo novum peccatum, ſed illud per iniuſtitiam continuando, & augendo; & etiam creſcit ratione damni, quod Domino infertur; nec eſt (nota pro praxi) abſolvendus, niſi ſaltem det certam cautionem hoc præſtandi, & tantum hoc in caſu neceſſitatis.

2 Omnes illi tenentur ad reſtitutionem, qui ſunt (hoc valdè nota) cauſa influens, & efficax damni ſecuti. Et illi, qui ex officio, & obligatione tenentur ad cavendum dammum proximi, Unde Prælatus mutus, & non obſtans, tenetur ad reſtitutionem pro Eccleſijs, & ſubditis gravatis à Principibus, ſine iuſta cauſa, & conſenſu Papæ, Ioannes de Baccone *in 4.diſt.ut ſupra art.2.*& ſimiles. Non illi, qui ex charitate tenentur, qui licet peccent mortaliter contra charitatem, non peccant contra iuſtitiam commutativam, quare non tenentur ad reſtitutionem.

Sed mihi ſummopere placeret, quod quando aliquis ſine damno ſuo, & periculo, cum poteſt, non impedit damnum proximi, licet ad hoc non teneatur ex iuſtitia commutativa, adhuc eſſet obligatus ad reſtitutionem, quæ eſt opinio Gaietani, & Ric. teſte Ioſepho Angles Valentino. *flores theol. reſig. quæſt. quis teneatur ad reſtitutionem?* Et ego dico per quamdam

dam Iuſtitiam commutativam naturalem, fundatam ſuper illud commune axioma, quod tibi non vis alteri ne feceris: ſed non diſcedo a communi opinione. Tunc autem eſset cauſa efficax, licet indirecta damni, & aliqua iniuſtitia commutativa naturalis reciproca intercederet. Unde qui ad reſtitutionem faciendam in ſenſu iam dicto tenentur, his verbis exprimuntur, Iuſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus. Participans, Mutus, non obſtans, non manifeſtans. Quare nedum cauſa principalis iniuſtæ actionis tenetur ad reſtitutionem, ſed concauſæ iam dictæ.

Iuſſio nempè qui mandat ſivè tacitè, ſivè expreſsè tenetur ad reſtitutionem, non autem ille, qui ratum habet opus nomine ſuo factum, ſicuti mandans non tenetur ſi ante executionē mandati ſe retractat, & hoc mandatario innoteſcit, quia tunc non eſt vera cauſa efficax, & influens Filiuccius *t.*52.*n.*54.

3 *Conſulens* tenetur, qui ad damnum induxit præcibus, aut promiſſionibus, qui ſi ante executionem, conſilium ſuum retractavit, & quantum potuit contrarium ſuaſit, & ſi verè non perſuaſerit, præſertim ſi cautè, ac prudenter monuit eum, cui damnum parabatur probabile eſt, quòd excuſetur à reſtitutione *Sà v.Conſilium*, Diana *tract.*2. *Miſcel. reſol.* 18.*tom.*5. *reſol.*83. Quod multi non admittunt, vide hic Colleg. Salm. Si tamen conſilium tuum concurrit tantùm ad modum, vel ad circumſtantiam loci, temporis, ad nihilum teneris. Laym. *lib.*2.*ſect.*5. *tract.*2.*cap.*5.*n.*2. Sed ſi parato furari mille, conſulas furari plus, teneris ad reſtitutionem illius exceſsus. Leſſius *c.*13.*dub.* 2.*num.*8.*qu.*3.*t.*5.*reſol.*23.47.*&* 48. Si autem parato

furari plus, conſulas minus, ad nihil teneris. Si autẽ parato furari pauperi, conſulas furari diviti, cum alia via non poſſis eum a malo propoſito avertere, aliqui volunt, quod ad nihil tenearis, de quo nimis dubito, niſi fortaſſis eſſet conſilium in generali, dicendo, minus malum eſt furari aliquid diviti, quàm pauperi. In dubio, an ex tuo conſilio damnum ſit ſecutum, teneris ad reſtitutionem; poſſeſſio autem ſtat pro obligatione præcepti, & contra te ſtat præſumptio. Alij tamen contrarium dicunt, & mihi placeret, ſaltem aliqua reſtitutio ad ratam dubij. Vide Merollam *tom.*1.*diſp.*3.*c.*3.*corol.*6.*num.*41.*&* 44. Enriq.*lib.*14.*cap.*16.*nu.*3. Sanch.ĩ Summa *tom.*1.*lib.c.*10. *num.*44.

Conſenſus. Ideſt qui ſuo conſenſu, ſuffragio, calculo eſt cauſa efficax damni. Filiuccius *t.*32.*c.*3. Vide hic, & de iſtis caſibus Reſolutum meum de Baccone *in* 4.*diſt.*22.*art.*3.

Palpo, Ideſt tenetur ad reſtitutionem ille, qui adulatione, laude, vel exprobatione ignaviæ excitat, & animat aliquem ad damnificandum.

Recurſus. Nempè illi, qui dant recurſum inferenti damnum, receptant furta, occultant inſtrumenta, rapinas fovent emendo: Hi omnes tenentur furta, nõ manifeſtato fure, reſtituere Domino, Qui verò poſt delictum iuvat reum ad fugiendum non concurrendo ad delictum, non tenetur reſtituere, dummodo Reo non det ſpem refugij in poſterum. Nam Reo licet fugere, & iuvans ad fugiendum, non eſt cauſa damni.

Participans. Tenentur participantes de præda, cooperantes, parantes inſtrumenta, litteras conficien-

cientes, Domum monſtrantes ſcienter, & liberè ad comburendam [niſi hoc facerent iuſto metu, & actione per ſe non mala) Teſtes falſi ſcienter, & culpabiliter, falſum iurantes in damnum tertij. Excuſarentur, ſi abſque eorum falſo teſtimonio, iam damnum i llatum eſſet.

Mutus non obſtans, & non manifeſtans. Hi tenentur ad reſtitutionem, quando cum tenentur impedire, aut manifeſtare damnum proximi ex iuſtitia non faciunt; Undè Principes, Magiſtratus, Duces, tenentur de malis illatis à latronibus, à Civibus, à militibus factis eorum negligentia. Sicuti Prælati, Canonici, capitulares non impedientes iniquas electiones, conſtitutiones. Cuſtodes fontium, agrorum, montium, ſylvarum non impedientes, ſeu manifeſtantes damna. Vide hìc Auctores.

2 In ordinem ad furta confamulorum, ille ſolus tenetur ex iuſtitia, cui cuſtodia illius rei eſt ſpecialiter commiſſa. Cæteri enim peccant contra charitatem, hìc contra iuſtitiam: Ex quo deducitur, quod Teſtis quantumvis citatus, ob fugam, non teneri ad compenſandum damnum parti ſecutum; Nam non conſtat illum teneri ex iuſtitia ad impediendum dãnum leſæ partis. Idem dic de non revelantibus ex vi monitorij, licet peccent contra obedientiam, & Charitatem; non peccant contra iuſtitiam, ſi aliter ex hac non teneantur, ut ſupponimus.

Damna verò Fiſco ſequuta ex non inflicta pæna pecuniaria, neque Rei, neque Teſtes, neque Iudices, neque cuſtodes, neque non manifeſtantes, neque Inquiſitores tenentur reſtituere; nam iſti omnes non peccant contra iuſtitiam commutativam, licet

peccent contra iuſtitiam legalem, per quam iuſtitiā commutativam obligantur ad pacem ſervandam, ad damna Tertij impedienda, ſed non ad Fiſcum ditā-dum: Vide hìc Dianam. Quare.

4 Tres ponimus radices reſtitutionis, ex quibus tantum reſultat talis obligatio. Prima oritur ex iniuſta actione; Pro qua, intelligitur omnis actio, & omiſſio peccaminoſa contra iuſtitiam commutativam. Secunda oritur ex re accepta, ſivè benè, ſivè malè accipiatur, quod ſi malè reducitur ad primam radicem; ſed aliquid reſtat dicendum, cum de ſecunda radice diſcurremus, quæ etiam poteſt appellati, iniuſta retentio, nàn non peccas niſi iniuſtè retinendo. Tertia radix oritur ex contractibus, de qua, ſuo loco aliqua ad notitiam mei Confeſſarij, breviter tangam.

5 Hic valdè nota pro praxi, quod in foro conſcientiæ ſaltem probabiliter non contrahitur obligatio reſtitutionis ex delicto, niſi ex culpa lata, & Theologica, quæ coīcidit cum peccato mortali, ſeù veniali, & culpa lata gravis obligans ad reſtitutionem eſt omiſſio illius diligentiæ, quàm homines illius ſtatus communiter adhibere ſolent. Quæ diligentiæ ſi tamen ex oblivione, & inconſideratione inculpabili omittantur, nulla erit culpa ſaltem gravis Theologica obligans ad reſtitutionem, licet non adhibeatur diligentia, quam adhibent diligentiores, in quo adeſt culpa levis, aut diligentiſſimi in qua datur culpa leviſſima; undè non teneris ad reſtitutionem [non loquor de culpa latiſſima; quæ eſt dolus manifeſtus, nec de lariori, quæ eſt dolus præſumptus] Unde accendis ignes ad coquendos cibos, adhibes diligenti-

am

am, quam ſolent homines communiter adhibere, ne domus, & ſata comburantur, tamen incenduntur, non teneris ad reſtitutionem, licet advertentèr non poſuiſſes illam, quàm ſoleat diligentiores, & diligentiſſimi, & ſic de ſimilibus caſibus (Quidquid ſit de foro exteriori, in quo proceditur ſecundum culpam iuridicam) non loquor, quando ex Officio, ſeù contractu teneris ad damnum præcavendum. Salmatic. Colleg. Azorius 3. *par. lib. 9. c8.* Lugo *diſp. 8. ſect. 5. n. 56.* Sotus *lib. 4. qu. 7. art. 2. & alij.* Quare ex delicto oritur obligatio reſtituendi ſolùm ex culpa lata, & mortali. Nulla enim negligentia obligat ad reſtitutionem, dicit Toletus *lib. 5. inſtruct. Sacerd. de reſtitut.* quæ non ſit peccatum mortale; Quòd benè verificatur de caſibus fortuitis, qui ſunt extra humanam prudentiam.

6 Dantur tamen tres caſus in Iure, ex quibus ſine culpa, ad aliquam reſtitutionem obligamur, ſed non obligant pæne in conſcientia, niſi poſt ſententiã Iudicis. Lugo *diſp. 8. ſect. 3.* Coll. Salm. hic. Primus eſt, quando animal tuum læſit ſegetes, aut homines. Secundus ſi ſine pariter tua culpa mancipium tuum aliquem læſit. Tertius, quando è Domo tua in viam publicam. ſeù privatam aliquid proijcitur, quod nocuit tranſeuntibus, ſed vide diffusè in Coll. Salm.

Sed hæc erit culpa iuridica, ſecundum quam in foro externo proceditur ex caſu fortuito, nam iſti caſus ſunt extra humanam prudentiam. Ignorantia cõcomitans excuſat à reſtitutione (Nota pro praxi) Proijcis ſagittam, & adhibes diligentiam neceſſariam, ne inferas alteri damnum, es tamen paratus ad proijciendam, licet damnum prævideres, ſequitur

 dam-

damnum, ad nihil teneris. Nam actio illa non fuit cauſa voluntaria illius homicidij, & licet homicidiũ non ſit contra voluntatem, non eſt tamen à voluntate cum cognitione, & ſic non poteſt dici voluntariũ. Bonac. de reſt. *diſp. pr. quæſt. pr. par.* 3. Lugo *diſp.* 8. *ſect.* 6. *num.* 72.

7 Sed quęres primò. An Confeſsarius, qui ex Officio tenetur audire Confeſsiones, ut Curatus, ex ignorantia, non obliget pænitentem ad reſtitutionem faciendam, ipſe Confeſſarius teneatur ad reſtitutionem?

Dicendum negativè, quia licet teneatur ex officio admonere pænitentem de ſua obligatione, non tenetur ex iuſtitia ad præcavendum damnum tertij: Si tamen ex malitia impediret reſtitutionem, aut ignorantia craſſa, ſeu culpa lata, tunc ad reſtitutionem teneretur. Ratio eſt, quia tunc conſilio ſuo eſſet cauſa efficax damni, & hoc intellige etiam de quocumque Confeſſario.

8 Quæres ſecundò, An Clerici, & Religioſi teneantur ad reſtitutionem? Dicendum teneri: Doctor meus Reſolutus *in* 4. *diſt.* 21. *queſt. pr. art.* 2. multa dicit circa reſtitutionem Clericorum, quam facere debent in ſuis Eccleſijs, ſi expenderint de bonis ipſius ĩ meliorationem proprij ſtatus, aut ſi propter eorum incuriam neglexerint negocia Eccleſiæ, vel donaverint ad malum finem, & dicit, quòd tam ipſi, quàm accipientes tenentur reddere de proprijs Eccleſiam indemnem. Vide illum, & quid dicat de ditatione parentum. De Religioſis pariter dicit, quòd tenentur ad reſtitutionem, & ſi malè expendant, utpotè contra voluntatem Superioris puniendi ſunt, ut propieta-

tarij, ſed quomodo excuſentur dicam cum inferius agam de cauſis excuſantibus à reſtitutione.

9 Quæres tertiò. Quomodo intelligatur, quòd qui impedit proximum a conſecutione beneficij teneatur ad reſtitutionem: Dicendum. Quando impedit vi fraude, & dolo verè, & efficaciter, & iniuſtè teneri; Non ille, qui impedit precibus exortationibus, & pollicitationibus, qui iuſtè etiam vi, & fraude, tunc non tenetur; Imò non quæcumque ini uria damnoſa obligat ad reſtitutionem, ſed illa quæ infertur proximè, & immediatè. Nam ſi Petrus aperiens litteras Pauli videret vacare Beneficiũ, & præveniret Paulum, non teneretur ad reſtitutionem, obtento Beneficio, commiſiſſet enim iniuſtitiam in apertitione litterarum, non in conſecutione beneficij.

10 Quæres quartò. Quid ſentiendum de pluribus damnificatoribus qui cõcurrunt ad eamdem iniuſtam actionem v.g. rapiendo, expoliando, incendendo.

Dicendum quemlibet teneri inſolidum, & ſi unus reſarcivit totum damnum, niſi ſocijs condonet, ipſi tenentur pro rata reſtituere illi, qui totum damnum compenſavit. S. Thom *qu.62 ad 2*. Bacconus Reſolut. *art.2.q.2*. qui etiam dicit, quod in foro Iudiciali, ſi poteſt diſcerni damnum, & furtum unius, à furto alterius, nullus tenetur, niſi de ſuo damno, citat enim legem de hoc.

11 Quæres quintò. Stante quod diximus, & eſt pulcherrimum dubium, quod reſtitutio ſupponat culpam latam, in ſenſu dicto; An qui omitteret exactiorem diligentiam, aut exactiſſimam, hoc fine, ut ſine ſua culpa lata reſultaret malum alteri; An in hoc caſu

ſu teneretur ſic operans ad reſtitutionem? Quidquid dicant aliqui affirmãdo, ratione pravitatis affectus.

Dicendum non teneri ad reſtitutionem (dummodo aliud non intervenerit pactum) nam non læſit ius proximi, quia adhibuit ſufficientem diligentiam. Sed ratione pravitatis affectus peccavit mortal. Sed dices

12 Quare ex culpa levi Theologica, pariter nõ oritur levis obligatio reſtitutionis?

Dicendum oriri ſi culpa levis ſit cum plena advertentia, ſed quia obligatio, de qua loquimur eſt circa materiam gravem, non poteſt oriri ex levi culpa. Vide hic Coll. Salm. Nota tamen, quod lata culpa, facilius contrahitur ab eo, qui tenetur ex officio, quam ab eo, qui ex ſolo delicto tenetur damnum proximi præcavere. Unde depoſitarius ex ſtipendio, ne peccet mortaliter, & teneatur ex lata culpa reſtituere, debet maiorem adhibere diligentiam, quàm depoſitarius ſine ſtipendio. Idem dic de iis, qui tenentur ex contractu. Hæc enim maior diligentia in ſimilibus caſibus communiter requiritur, & exhibetur, præſertim quando depoſitum factum eſt in gratiam depoſitarij; Unde culpa, quæ in uno caſu eſt levis, in alio erit gravis, & peccaminoſa, & erit culpa lata Theologica obligans ad reſtitutionem, licet in ſe præciſe non eſſet.

Nota quod culpa iuridica non reſpicit quod ſit peccatum vel non, licet multoties coincidat cũ Theologica, & hæc culpa iuridica alia eſt latiſſima, ut dolus manifeſtus, alia latior, ut dolus præſumptus, alia lata, ut dictum eſt, alia levis, & eſt omiſſio illius diligentiæ, quã diligentiores adhibent, alia leviſſima nẽpe omiſſio diligentiæ, quam ſolent adhibere homines prudentiſſimi, & vigilantiſſimi.

AR-

ART. II.

An Homicida, Stuprator, Adulterans, Detractor, Inducens ad peccatum, Avocans à Religione, teneantur ad reſtitutionem, & quomodo?

1 Licet detur probabiliſſima ſententia multorum Doctorum dicentium, præcisè ob mortem, mutilationem, vulnus, vel aliquod damnum naturale, debere reſtitui de bonis alterius ordinis, ſcilicet in pecunijs, vel honoribus, ut videre eſt apud Sotum *de iuſt. lib. 4. qu. 6. art. 3. ad* 3. Molinam *tom. 4. tract. 3. diſp.* 88. Valentiam *tom. 3. diſp. 5. qu. 6. punct.* 5. & alios.

Ex qua ſequitur, quod pro alapa, fuſte, deformatione præcisè, debeat fieri compenſatio ſaltem in pecunijs, ego ſequor contrariam opinionem, nempè quod pro damnis præcisè in vita, aut membris hominis liberi, nihil ſit reſtituendum in bonis fortunæ, ſeu honoris. Sed ſtante prima opinione quid ſit reſtituendum? inter ipſos controvertitur; Alij volunt homicidam debere exponere propriam vitã in bello iu-

iuſto, alij ſe iudici offerre pœnam condignam ſubiturum, alij tantùm tradere, quantum pars poſtulaverit, quæ omnia gratis dicuntur, & dura ſunt; ſed conveniunt communiter ſtandum in hoc,arbitrio boni viri, penſatis circumſtantijs perſonarum, quod magis rationabile eſt, ſed.

1 Hæc ſententia non eſt tenenda, nec communiter tenetur quia vita, & membra hominis non ſunt prætio extimabilia, & ſic prætio licet magno, non poſſunt compenſari, quia ſemper nulla adeſt proportio.

2 Solum oritur obligatio reſtitutionis pro damnis temporalibus inde ſecutis, ut communiter tenetur. Unde ſi propter deformationem, aut mutilationem,fæmina nubilis pateretur damnum temporale, hoc certè reſarciendum eſſet. Sicuti, qui occideret alienum ſervum, aut deformaret, eſſet reſtitutio facienda, iuxta quantitatem damni dati, quia ſunt bona eiuſdem ordinis. Sequitur ex hoc, quod homicida non tenetur ex iuſtitia offerre eleemoſinas, præces, Sacrificia pro occiſo [quamvis oppoſita ſententia ſit probabilis;] ſicut fur, qui non poteſt reſtituere non tenetur ex iuſtitia compenſare furtum orationibus, quia ſunt bona ſuperioris ordinis. Confirmatur, quia quod debetur ex natura reſtitutionis, omnibus debetur, quibus ſimilis fit iniuria, ſed in ſpiritualibus reſtitutio omnibus, licet ſimilis fiat iniuria, non debetur,ergo. probatur minor, hæc reſtitutio orationis, & Sacrificij, ab homicida non debetur infidelibus, neque damnatis. ergo Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 32. *c.*8 *num.*105.Azorius *par.*3.*lib.*5.*c.*3.*qu.*12. Salmatic. Colleg.& alij multi. Eſt tamen multum conveniens, & debet dari à Confeſſario hæc pænitentia inter alia ho-

homicidis, ut orationes, & Sacrificia fiant pro anima occiſi. Unde occiſor mutilator, vulnerator debet occiſi omnia damna reſarcire, quæ proveniunt hæredibus ex ſua iniuſta actione, expenſas neceſſarias in curatione, & omne quod poterat lucrari, damnum emergens, & lucrum ceſſans, quia fuit cauſa efficax damni, non autem expenſas in funerali, quia hę debebant fieri. Omnia arbitrio boni viri, computatis periculis, in quibus probabiliter non poterat lucrari, minuendo, quę ipſe conſumpſiſſet in uſibus proprijs.

Notet tamen Confeſſarius pro praxi, quod occidens non tenetur reſtituere pro homicidio involuntario inculpabili & quando mors ſequitur incuria Medici, Chirurgi, vel ipſius ęgroti.

3 Ponderanda eſt ætas, ut ſi erat Iuvenis robuſtus, peritia ſi erat artifex inſignis; in vulnerato ponderandum eſt ſi alià via poteſt lucrari, & ſic minuenda reſtitutio; nec quoad reſtitutionem curandum eſt quomodo ſit factum homicidium, proditoriè, an nō: æquale enim eſt damnum. Semper tamen tutius eſt cum parte læſa ſe componere.

4 Iterum notet, quod inter nobiles non admittitur hæc compenſatio, ut uſu patet. An homicida à Iudice plectendus propter homicidium, teneatur adhuc ad reſtitutionem? ego credo teneri, ſicut latro ſuſpenſus, quia propter mortem tantum ſatisfacit Iuſtitiæ punitivæ, & adhuc tenetur reſtituere propter iuſtitiam commutativam. Dummodo non ſubiret pęnam mortis ad inſtantiam partis, nam tunc videtur pars iſtius pœnę ſatisfacta. Nec tenetur reſtituere homicida, ſi fuit provocatus ad pugnam, vel ſi duo

ſe

ſe ad invicem provocent. Nam uterque cenſetur renuntiare iuri ſuo, & hic notet Confeſſarius quod ſic occiſus ante mortem, monere tenetur hæredes, ne aliquid petant ab homicida: ſecus dicendum ſi occiſus fuerit, coactè provocatus ad pugnam, aut voluntario mixto involuntario, tunc occiſor qui provocavit tenetur ad reſtitutionem, licet etiam in hoc caſu aliqui etiam negent, nàm non tenebatur pugnā & duellum acceptare; Quare in ſimilibus caſibus cautè eſt procedendum. Vide hic Salmatic. Invaſus iniuſtè ſi occidit invaſorem, notabiliter excedendo moderamen inclpatæ tutelæ, non tenetur compenſare omnia damna, ſed plus, minuſvè arbitrio boni viri, penſatis penſandis &c. Sotu. *lib.* 4. *qu.* 6. *art.* 5. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt. ult. ſect.* 2. *par.* 1. & *alij*. Sed

5 Quæres quibus debeat fieri reſtitutio ob damna ſecuta, ex homicidio. Dicendum. Quidquid aliqui dicant. Reſtituendum tantum eſſe hæredibus neceſſarijs. videlicet Filijs, Uxori, quæ quoad hoc tali nomine venit, & Parentibus, qui unum cenſentur cum occiſo, non autem fratribus. Vide hic Colleg. Salm.; Sed ſi uxor notabile nocumentum non accepit, aut æquè commodè poteſt nubere, licet non ſit, ad nihil reſtituendum tenetur homicida. Lug. *diſp.* 11. *ſect.* 4.

6 Et probabile eſt ſecundum aliquos, quod ſi occiſus dum viveret non convenit de pretio cum occiſore, & Parentes, Uxor, & Filij non egent, non teneri ante Iudicis ſententiam homicidam ad reſtitutionem, ſed hoc multis, & meritò non placet. Soto *lib.* 4. *q.* 6. *art.* 3. *ad* 3. Lugo *n* 87.

7 Quidquid occiſus conſumpſit in ſua curatione, &

& in lucro ceſſante, & damno emergente talis ægritudinis, debet reſtitui ab homicida etiam hæredibus non neceſſarijs, ſicut ſi pęcuniam accepiſſet ab occiſore pro remiſſione iniuriæ. Vide Lug. *diſp.* 11. Banez 2.2.*q*.62.

8 Non tenetur tamen homicida ſolvere debita defuncti, ſuis creditoribus, licet occaſione mortis, fraudentur ſuis creditis, nam creditores non habent in foro externo actionem contra læſorem debitoris: Filliuc: *tom.* 2. *tract.* 32. *cap.* 8. *num.* 209. Lug. *diſp.* 11. *ſect.* 4. *num.* 83. & alij; ſi autem faceret animo nocēdi creditoribus, quia tunc eſſet cauſa efficax per ſe damni, credo quod teneretur.

9 Nota pro praxi, quod non ſufficit, quod occiſus remittat iniuriam ad hoc, ut ſit liber a reſtitutione occidens, ſed debet generaliter ſe exprimere, quod etiam remittit damna, & reſtitutionem. Quod pertinet ad reſtitutionem pro ſtupro.

10 Dicendum. Nomine ſtupri propriè (nam extenditur hoc nomen ad omnē concubitum damnatum) intelligi Virginis violationem, maximè ſi fiat per vim, nam tunc eſt contra iuſtitiam, & eſt circūſtantia explicanda in confeſſione, quæ mutat ſpeciē, & pæna capitis punitur in iure. Quod ſi Virgo ſine vi, minis, voluntariè conſentiat probabile eſt, quod in tali peccato non adſit alia malitia, quàm ſimplicis fornicationis. Nec ſic deflorata tenetur detegere in Confeſſione, an ſit prima copula, per quam amiſit Virginitatem, an non, nec de hoc interroganda, nam nihil facit ad explicandum ſuum peccatum, cū nec ſit circumſtantia notabilitèr aggravans. Quod ſemper inviolatè obſervandum eſt à Confeſſore, ne

af-

afficiat ſine cauſa pænitentem pudore, cum periculo, ob verecundiam mentiendi, licet etiam virgo eſſet ſub Patris, ſeu Tutoris cuſtodia; Sotus *in 4. diſt. 18. qu. 2. art. 8. par. 7. concl.* Suar. *de confeſſ. diſp. 22. ſect. 4. nu. 2 Circumſt. quid num. 7.* & multi alij.

11 Undè delectationes moroſæ circa Virginem dūmodo nō coniunctæ ſint cum voluntate ſtupri, non habere aliam malitiam, niſi ſimplicis fornicationis, dicunt prædicti auctores.

12 Dicendum ſecundò. Si ſpontè Virgo conſenſit licet præcibus, donis, blanditijs, ſtupratorem ad nihil teneri in foro coſcientiæ; Nā ipſa quoad uſum, eſt ſui corporis dominā, nec ei infertur iniuria, nam ſcienti, & conſentienti nulla fit. Lug. *tom. 1. de Iuſt. diſp. 22. ſect. 1 nu. 2. &* 8. Villalob. *tract. 11. diffic. 30. nu. 1.* Petrus Navar. *lib. 2. de reſt. Cap. 3. dub. num. 425.*

13 Dixi in foro conſcientiæ, quia iu foro fori cogetur eam ducere, vel dotare, & in tali foro Virgo mulier præſumitur, etiam quod non ſit, & pariter præſumitur quòd ſit decepta: Sed ſi verè ita non fuit, non poteſt ſine mortali agere contra virum, nec poteſt in conſcientia recipere compenſationem.

14 Sed multum nota. Quod ſi ſtuprator ſit nobilis vir, & valde dives, & pauper Virgo, eam dotare debet, etiam ſi ſpontè conſenſit, nam cenſetur hæc tunc tacita conditio. Quod obſervent Confeſſarij pro praxi, ſaltē quoad partē dotis, Bannez. 2. 2. *concl. 4. nu. 3.* Si infamia ex delicto oriatur quando Virgo ſpontè conſenſit, an aliquid ſit reſtituendum, lis eſt ſub Iudice, ſed quando aliquis vi, vel fraude, aut minis Virginem violavit, tenetur omnia damna fortunæ, honoris, ipſi, & parentibus reſarcire; quia fu-

it

it illorum iniuſta cauſa *cap. ſi culpa de iniurijs*: ad menſuram damni, & ſpei nuptiarum, itaut nihil detrimenti patiatur. Lug. *diſp.* 2. *ſect.* 1. *nu.* 13. Sanchez. *lib.* 7. *diſp.* 14. *n.* 12. & debet etiam ei aliquid dare ratione periculi, ut v. g. ſi deſponſata à viro cognoſcatur deflorata; malè tractetur, aut dimittatur. Si deflorator eam vi, fraudibus deflorauit, ſed ſine promiſsione coniugij, non tenetur eam ducere in foro cōſcientiæ, ſed eam, vel ducere, vel dotare. Lug. *n.* 11 Et ſi deflorata non velit coniugium deflorantis, eam tenetur dotare. Lug. *diſp.* 12. *n.* 12. citat Axorium, & Turr. Si deflorator dubitet an deflorata eſset Virgo, cenſenda eſt Virgo, donec oppoſitim conſtet. Imò ſi reperiat eam Virginem non eſse; adhuc tenetur ea damna, quæ ſequuntur compenſare, quia vi, & fraude eam infamavit, nam reputabatur Virgo, & ſuo iniuſto concubitu, damnum intulit eius famæ. Si tamen Virgo violata vi, & fraude, adhuc æquè benè nubat, aut ſponte ingrediatur Religionem, ad nihil tenetur ſtuprator, quia nullum intulit damnum. Niſi pro periculo interceſserit pactum de aliqua pecunia ſolvenda. Lug. *diſp.* 18. Sed ſi poſt coniugium damnum evenit ex tali delicto cognito, tenetur ad illud compenſandum. Similiter ſi moriatur puella, ſeu debitum remittat ad nihil tenetur. Lug. *n.* 9. Vaſquez *opuſc. de reſtit. c.* 3. *§* 2. *dub.* 4

15 Nota etiam, quod per repetitas preces, niſi acceſserint minæ, aut metus reverentialis, non infertur violentia, ſed aliquando preces moleſtiſsimæ æquiparantur violentiæ, ſed hoc non facile eſt admittendum. Si tamen vi incepit violentiam in oſculis, & in tactibus, licet poſtea mulier conſenſerit dicetur

vio-

violenter corrupta, per illam antecedentem violentiam, nam eam poſuit in tali proximo periculo conſenſus, inſuper ſi quis noluit diſcedere, niſi habita copula, & mulier conſenſit, ne ſubiret notam infamiæ, ſi ſola reperiretur cum viro, pariter dicetur violentèr corrupta; ſed in his duobus caſibus minor eſt facienda reſtitutio pēſatis penſandis iudicio viri prudentis. Colleg. Salmat.

Si ſtuprum ſit coniunctum cum raptu, qui ſemper includit rapinam, & violentiam, raptor eſt infamis, excommunicatus, incapax dignitatum, & etiam ōnes quoad hoc, auxilium, & favorem dantes Conc. Trid. *ſeſſ.24.cap.6.* & non poteſt contrahere Matrimonium, neque ſponſalia cum rapta, niſi ipſa parti tutæ, & liberæ reſtituatur.

Sed nota quod duplex eſt raptus, unus qui fit cauſa nubendi cum rapta, alter cauſa explendi libidinē, & controvertitur, an de utroque raptore intelligantur pęnæ canonicę impoſitæ à Concilio. (Non loquor de pænis à civili lege taxatis] Multi affirmant. Sanchez verò *lib.7.diſt.* 12.*num.4.* dicit quod iſtis pęnis Canonicis tantum ſunt ſubiecti fęminarum raptores cauſa Matrimonij contrahendi, non cæteri, & hæc opinio vocatur probabilis. Sed nota pro praxi, quod rapiens Sponſam ſuam de futuro invitis parentibus, & fœmina virum ut ei nubat, non comprahēduntur à Concilio. Vide Sanch de Matrim. *cap. penult. de raptu*. Nota pariter quod pænæ Concilij excepta excommunicatione, nulli reſervata, & inhabilitate contrahendi cū rapta, requiritur, ut incurratur Iudicis ſententia.

16 Quæres quam obligationem ſubeat, qui virgi-

ginem violavit ſub promiſsione Matrimonij?

Dicendum ad eam ducendam licet fictè promiſiſſet, unde ſicut illa ſua parte adimplevit conditionẽ, ita vir tenetur etiam. Quod ſi aliquod impedimentum dirimens ſuperveniat viro, v. g. ſi fiat affinis, ſi contrahat de pręſenti cum alia, ſi ſacros ſuſcipiat ordines, tenetur ad compenſanda omnia damna, ut dictum eſt de defloratione per vim, & fraudem. Quod ſi parentes nollent illi dare puellam in Vxorem, aut illa puella renuerit, ad nihil amplius deflorator tenetur, per illũ enĩ nõ ſtetit, ut adimpleatur cõditio. Lugo *diſp.* 12. *ſect.* 2. Imò non tenetur, nec illam ducere, nec aliquid reſtituere, ſi fœmina cum alio fornicetur, quia per fornicationem ceſſat obligatio coniugij, quare non remanet alia obligatio, quia ſolùm ad hoc ſe obligavit. Lug. *nu.* 26.

17 Diximus, quod deflorator remanet obligatus ad eam ducendam, & hoc currit etiam, quando vir eſset valdè nobilis, nam ſciens inęqualitatem, ut ſupponitur, ad hoc ſe obligavit. Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 14. *nu.* 2. Sed hoc intelligendum, niſi immineant ſcandala (ſed totum debet maturè penſari) aut grave damnum, & rixæ, & diſſentiones inter conſanguineos, quia iuſtitia cum non obliget ad illicitum, in tali caſu non poteſt obligare ad matrimonium, quod ratione ſcandali eſſet illicitum, ſolum tunc tenetur ad cõpenſationem damni, & ſic, vel ad dotandam, vel ad augendam dotem, Sed de hoc vide inferius in 6. Decalogi præcepto. Hic tamen nota, quod ſi fœmina decipiat virum ſe virginem fingendo, ad nihil vir tenetur; neque ad damna, nam mulier ea ſibi imputet, quæ virum ſub conditione virginitatis decepit, &

vir

vir ſub eadem conditione promiſit, Lugo *diſp.* 12. *ſect.* 2. *n.* 29. Leſsius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3 *num.* 28. Sed debet conſtare virginem non eſſe, nec leves ſufficiunt coniecturæ. Quod etiam valet, ſi puella non deciperet virum, ſed ille putans eſſe puellam promiſiſſet matrimonium, & eam iam corruptam cognoſceret, ad nihilum tenetur, Demum quid dicendum.

18 Dato quod deflorator haberet votum Religionis, ſeu caſtitatis perpetuæ, & virgo pateretur deflorationem cum promiſsione matrimonij neſciendo defloratoris votum.

Dicendum non teneri eam ducere. Quia talis promiſsio ratione voti fuit illicita, ſed ſolum tenetur dãna compenſare ſi ſequantur. Diana 3. *par. tract.* 4. *reſol.* 280.. Sed ſi non poſset aliter damna compenſare, tenetur petere diſpenſationem voti, quæ in tali caſu faciliter datur.

19 Pro Coronide. Quæres ultimò. Qui ex virgine, ſeu alia non coniugata filium ex copula ſuſcepit, ad quid teneatur?

Dicendum. Si fuit ex vi, ſeu fraude, teneri ad partum alendum, & ad omnes expenſas ex ventre, & damna ſequuta reſarcire, fuerunt enim cauſata per iniuriam, ergo ex iuſtitia debent reſarciri. Si poſtea fœmina liberè conſenſit, tenetur ipſa alere partum tribus primis annis, deinde tenetur vir donec filius poſsit ſibi de neceſsarijs providere; et tenetur iure naturæ, & pietatis, non de rigore iuſtitiæ alimenta præbere *ex c.* 2. *de converſione infidelium.* Quæ brevitati ſervientes tangimus, ut noſter Confeſsarius ſciat dubitare, videat omnia per extenſum apud auctores citatos, & ut plurimum apud noſtrum *Sal-*

tic.

matic.quod mira diligentia & ſoliditate õnia dilui t.
20 Quod pertinet ad reſtitutionem pro adulterio.
Dicendum ratione Adulterij præcisè, adulterantes ad nullum damnum teneri; ſed ratione damni inde ſequuti. Adulterium eſt violatio alieni Tori, & ſi uterque adulterans eſt coniugatus, fit iniuria duplici Toro, & hęc malitia in confeſſione explicanda eſt, licet coniux conſentiret in adulterium uxoris, nam adhuc fit iniuria Sacramento, & ipſi conſentienti, quia in hoc non poteſt cedere iuri ſuo. Sciat Confeſſarius, quod parentes quando certò ſciunt prolem eſſe ſuam, tenentur eam alere, ut dicemus. Mater nempè uſque ad tertium annum, pater deinceps uſq; ad tempus, in quo poſſit filius ſibi de neceſſarijs providere. Undè ſi parentes ſint divites, illos hoſpitali exponentes, tenentur ad reſtitutionem expenſarũ, & ſufficit, quod poſſint illos alere, ut teneantur ad reſtitutionem Eſt communis; licet oppoſitum ſentiat Henriquez *lib.* 11.*de Matrim.cap.*19.*& alij*; cuius ſententia eſt probabilis; ipſum vide.Sed neceſſe eſt, quod adultero conſtet prolem eſſe ſuam, nec ſufficiunt rationes probabiles, nam poſſeſſio ſtat pro Matrimonio, nec filius debet privari iure legittimitatis. Lugo *diſp.*13.*ſect.* 2.*num.*17.Leſſius *lib.*2.*c.*10. *dub.* 6. *nu.*39.Sanch.*lib.*4.*conſil.cap.*3.*dub.pr.n.*3.*& alij multi.* Undè ſi tempore conceptionis maritus habitabat cũ uxore, non tenetur adulter credere prolem[etiam ſi haberet in facie propriam ſimilitudinem] eſſe ſuam, & Mulier iuraret eſſe adulterinam. Quare nec filius tenetur credere matri aſſerenti nõ eſſe filium legitimum. Sed adeſt difficultas. An ſi adultera habeat ſimul rem cum duobus viris, quis eorum

rum Pater cenſendus eſt? Vocatur à Colleg. Salmat. opinio aſſerens non teneri quemquã illorum alimẽta præſtare, nec partialiter, probabilior, quæ mihi certè non videtur conſona pietati, cum iniquum videatur, talem filium deſtituẽdum parentum ſubſidio; quare tunc alendum partialiter iudico cum Molina *tom*.4.*diſp*.103. Vaſq. 2.2.*diſp*.60.*cap*.8.*nu*.47. Bonac. *de Matrim. punct*.15.*n*.10 Azorio, Palao, Rebellio, & alijs. Suppono tamen filium adulterinum certò eſſe filium unius ex duobus.

21 Sed quæres ad quid teneatur tàm adulter, quã adultera, ex damnis ſequutis ex filio verè adulterino; Non in dubio, nec in probabilitate, nam tunc ad nihil tenentur.

Dicendum teneri ad reſarcienda omnia damna ex adulterio provenientia, quæ poteſt ſine diſpendio vitæ, & famæ (loquor de adultera) procurando ne legittimi patiantur detrimentum in hæreditate, & ſi habet bona, quæ extraneis poteſt relinquere, dare legitimis, expenſas in quantum poteſt minuere, filium adulterinum, ſi aptus ſit, ad ſtatum Religioſum inducere &c. Sed notet in his, ne fama, aut vita detrimentum patiatur, undè ſemper cautè procedendũ. Nec ideo in dubio ſpei fructus, tenetur crimen ſuum adulterino fateri, ut diximus, nam ex Regula iuris, *alleganti ſuam turpitudinem non debetur fides*, & intelligitur cum eſt in præiudicio alterius, nec privandus dicto unius tertij filius ſuo iure; communiter Canoniſtæ, Soto *lib*.4.*q*.7.*art*.2. Nec tenetur adultera quãdo aliter non poteſt damna compenſare cum periculo vitæ, & famæ, crimen ſuum fateri. Quidquid aliqui dicant in caſu magnæ hæreditatis, ſeu Regni ne

ad

ad Spurium tranſeant hęc magna bona, quia tunc melior eſt conditio innocentis hęredis, & tunc adultera tenetur famam ſuam poſponere. Non eſt hæc ſententia audienda, ſunt enim vita, & fama bona altioris ordinis. Sic Divus Thom.2.2.*q* 62.*art*.6.*Canoniſtæ in cap.Offic.9.de pænit. & remiſſionib.* nec in hoc caſu debet negari abſolutio adulteræ, & cenſetur,& iure meritò communior, & probabilior. Excipe ſi Spurius eſset malæ indolis, & Reipublicæ mala gravia imminerent, tunc per accidens,bonum commune vitæ propriæ eſset anteponendum. Dato quod verus ſucceſsor eſset bonæ indolis.

22 Adulter excuſatur à reſtitutione ratione periculi vitæ, famæ, diſcordiarum, & quia ut plurimû non eſt certus an proles ſua ſit. Sed & ipſe tenetur in quantum poteſt damna reſarcire, &c. Quare Confeſſarius debet uti ſumma prudentia in ſimilibus caſibus

Quid reſtituendum pro honore, & fama?

Honor eſt quædam proteſtatio de excellentia bonitatis alicuius D.Thom. 2.2.*q*.10.*art*.2. Poteſt eſſe honor, & dari honor ſine reverentia; Deus enim honorat Sanctos, quos non colit, nec reveretur; Et ſine ſummiſſione datur honor, Princeps enim honorat privatas perſonas, quibus non confert honorem ſubmiſſione.

24 Fama, quæ dicitur à fando,quando eſt bona, Eſt illa clara notitia, quam alij habent de aliquo,& fama differt ab honore, nam ego poſſum honorare Principem, & de illo malam famam habere; Undè poſſum lædere honorem, & non famam. In occulto alapam infligis viro honorato, honorem læſiſti, & non famam, & ideo ad illud reſarciendum, non ad

hanc reſtituendã teneris.Honorẽ denigraſti alicuius, falſa crimina ei obijciendo,quæ credita non fuerunt, Honorẽ,non famam læſiſti, & illũ teneris reſtituere, nõ hanc.Et ſcias,quòd eſt maius bonũ fama,quàm honor;nã honor in tantũ æſtimatur, quia eſt teſtificatio famæ. Sed ne diſcedam à brevitate in re tàm ampla.

25 Scias quòd contra honorem, & famam, ſunt duo peccata præcipua oris; nempè detractio, & cõtumelia. Detractio lędit famam proximi in abſentia, contumelia in præſentia, & eſt gravius peccatum,nã per eam vim patitur maiorem iniuratus. Leſſius *lib. 2.cap.11.lub.2.num.7.*Bonac.*diſp.2.q.5.punct.*8. & eſt circumſtantia ſpecificanda in confeſsione.

26 Contumelia fit etiam factis, ut ſi percutias aliquem alapa, ut oſtendas eum parum æſtimare, ſed primariò conſiſtit in verbis,per quæ verba ſi obijcias in præſentia defectus,ut v.g.tu es cæcus,claudus ſtultus,eſt convicium Si improperas auxilium,quod indigenti dediſti, dicitur improperium. Eccleſiaſt. 20. *Exigua dedit,& multa improperavit*; nec requiritur, quod contumelia corã multis fiat, ſufficit quod ſit coram illa perſona, quæ afficitur contumelia,vel quod ad eius notitiam facias illam contumeliã pervenire, ſemper tamen eſt iniuſtior, & gravior quantum magis erit coram multis. Omnes contumeliæ ſunt eiuſdem ſpeciei, & ex genere ſuo ſunt peccata mortalia.Bonac. *diſp.2.q.3.punct.*1.Lugo *de pænit.diſp.16.ſect.5.nu.*265 Sotus *lib.5.qu.9.art.1.ad fin.* Poteſt etiam eſſe peccatum veniale, cum levis eſt iniuria, & ſi ex ira ſine intentione dehonorandi fiat. Sed

27 Quæres primò.An ſemper teneamur ſuſtinere contumelias?

Dicendum negativè. Nam præcepta patientiæ

ſunt habenda in præparatione animi, ut dicit S. Thomas *in* 1.2. ideſt ut ſis paratus ſuſtinere ſi opus ſit Cęterum Chriſtus dixit, *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſi autem benè cur me cædis?*

Quare in Proverb. 20. *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur;* Manſuetè, & modeſtè tamen, ut fecerunt Sancti, qui compoſuerunt apologias, ut ſe purgarent ab obiectis. Vide S. Hyeronimum contra ſuos detrahentes, & S. Franciſcus Saleſius vult quod modeſtè ut detur locus veritati, negemus delicta atrocia de nobis dicta *in introduct. ad vitam devotam.* Hic nota quod damnata eſt hæc propoſitio ſub Innoc. XI. *Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam iuſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* Hoc dico propter quandam opinionem relatam à Colleg. noſtro, hic.

28 Quæres ſecundò. Quę nam ſit differentia inter Suſurratorem, & deriſorem? Sciatis quod detractio, & ſuſurratio licet in multis conveniant, præcipuè quia utraque dicit malum de proximo in abſentia: attamen.

Dicendum differre ſpecie, ut dicit S. Thomas 22. *q.*7.*ar.*5. Nam detractor intendit famam proximi denigrare, & minuere, ſed ſuſurrator intendit minuere amicitiam, & vult commovere animum audientium. Undè Proverb. 26. *Suſurrone ſubtracto iurgia ceſſabunt;* eſt enin hæc circumſtantia nota pro praxi, exprimenda in Confeſsione. Et etiam nota quod ſuſurratio ratione finis mortalis, inducit novam ſpeciē malitiæ exprimendæ, ut v. g. Si quis ſuſurrando de Principe intenderet uſurpationem dominij peccaret

contra Iuſtitiam, & ſic magis diceretur latro, quam Suſurrator, & ſic de cæteris.

29 Quod diximus de amicitia intelligendum eſt de amicitia fundata in virtute, non de damnoſa, ſic licet, ut aliquis auertat amicum à mala amicitia mulieris, dicere (dummodo verum dicatur) illam eſſe deformem, & Meretricem, ſemper intellige citra diffamationem. An ſine vi, & fraude poſſim alium ab amicitia repellere citra infamationem, ut me loco ipſius intromittam? lis eſt ſub Iudice. Vide Azorium 3.*p.l.*31.*cap.*8.*dub.* 5. Bonac.*diſp.*2. *qu.* 6. *par.*2. *num.* 6.

30 Quod igitur pertinet ad differentiam inter Suſurratorem, & deriſorem, ſciatis.

Quod deriſio, irriſio, seù illuſio definitur: quod eſt verborum ludus ex proximi defectibus, ut erubeſcat.

Dicendum differre ſpecie à cõtumelia, detractione, & ſuſurratione.

Contumelia enim intendit honorem deprimere; detractio famam; Suſurratio amicitiam ſolvere; irriſio pudorem, & verecundiam cauſare. Et ſi graviter deriſus confundatur erit peccatum mortale, ſi irriſio eſt contra Parentes erit peccatum contra pietatem, & ſic de cæteris, &c.

31 *S*ed quæres an qui alium irridet leviter, & iocosè, ſed ſcit graviter laturum irriſionem talis rei minimæ; peccet mortaliter?

Dicendum ſecundum aliquos non peccare mortaliter, niſi prudenter ille contriſtetur, nam tunc agit ſtultè erubeſcendo, & ſe perturbando de minimis, & eſt fatuitas, & ſtultitia; Unde dicit Serra apud

Sal-

Salmat. quod non eſt aſſerendum, niſi velimus mũdum implere peccatis mortalibus. Sed Bonacc. *diſp. 2. q. 5. par. pr. cum alijs* non excuſat, & benè à mortali, ſi talis irriſor præviderct graviſſimam proximi contriſtationem, & erubeſcentiam.

32 Nunc ad detractionem accedamus. Eſt enim denigratio iniuſta alienæ famæ per occulta verba. Ideſt verba dicta in abſentia, & ſic occulta comparativè, ad differentiam contumeliæ. Eſt ex genere ſuo peccatum mortale, quamvis ex levitate materiæ ex imperfecta deliberatione, & ex imperfectione affectus lædendi Proximum ſit veniale.

Multis modis fit detractio, falſum alteri imponẽdo. Secundò aggravando, & augendo delictum, Tertiò occultum revelando, Quartò, quando quod factum in ſe eſt bonum, dicitur factum mala intentione, quod eſt etiam Iudicium temerarium, ſi dicatur ſine fundamento, & ſic duplex eſt peccatum. In his quatuor modis directè læditur fama proximi, & continentur hoc verſu, *Imponens, augens, manifeſtans, ad mala vertens.* Indirectè autem, vel negando bonũ alterius, vel malitioſè reticendo quando ex taciturnitate videtur affirmare malum, quod dicitur, vel minuendo, vel frigidè laudando; eſt enim peius frigidè laudare, quam apertè reprehendere; qui enim malè dicit de inimico, minus ei creditur, ſed qui frigidè laudat non reputatur inimicus, & creditur nihil poſſe reperiri, quod laudet. Et hi quatuor modi hoc verſiculo continentur. *Qui negat, aut minuit, reticet laudatque remiſſe.* Benè igitur dicit S. Franciſc. Saleſius. Quod ſi delerentur linguæ peccata, deſtrueretur Infernus ex magna parte. Non datur in quatuor

istis

istis caſibus reſtitutio famæ ex iuſtitia, quando quis non tenetur ex iuſtitia famę alterius invigilare, peccat tantum contra charitatem; & fit etiam detractio factis, ut ſi quis cornua apponeret portæ Coniugati, ut famæ uxoris, & viri inſultaret. Omnes illi modi detractionis ſunt eiuſdem ſpeciei, licet al ij alijs graviores. Et quæ de cornuis diximus, & ſimilibus aggravant notabiliter; quare confitendi, & ſpecificādi in Confeſſione. Pariter defunctis detrahere eſt cōtra iuſtitiam, & fama eſt illis reſtituenda, quæ etiam reſtat poſt mortem Bonac. *diſp.* 1. *q.* 4. *par.* 2. *nu.* 3. Dicaſtill. *lib.* 2. *tract.* 2. *nu.* 123. Lugo *diſp.* 14. *ſect.* 3. *n.* 44. & etiā eſt mortale detrahere defunctis Paganis, Hæreticis, &c. Si de illis enormia, & ſecreta peccata dicantur, ut de nobili Hæretico fuiſſe proditorem, &c. Bonac. *diſp.* 2. *qu.* 4. *par.* 2. *nu.* 5.

33 Sed quid dicendum de Hiſtoricis, qui narrant mortuorum crimina? Dicendum ſi ſunt omninò occulta peccare mortaliter, licet ſi non ſint nimis occulta ad bonum commune, alijs meritò, velint, poſſe narrare, ſed Conſilium Salmaticenſis Coll. bonum eſt, nempè quod caveant narrare, ea delicta, quæ vergunt nimis in maculam familię, & ſemper cogitandum an prævaleat narrando, bonum commune, aut damnum particulare familiæ.

34 Sed quando componitur Scriptura dicta vulgo *Libellus famoſus*, per quem crimina occulta, tranſeundo de manu in manum fiunt publica, & infamia infertur alicui; vel publicè appenditur talis libellus, ſivè delicta ſint vera, vel falſa, ſemper committitur peccatum mortale: & Iudex in hoc caſu iuridicè nō poteſt procedere ad inquiſitionem, licet notentur

Te-

Teſtes; Et ſi eſt contra Papam, Cardinales, & Ordines Regulares, qui participant in privilegijs cum Dominicanis, & Minoribus, qui hoc faciunt incurrunt præter alias pœnas, excommunicationem Papæ reſervatam.

35 Ut diſcernatur gravitas detractionis penſanda eſt infamia, quæ irrogatur. Unde ſi de viro gravi, aut Religioſo diceretur ſemper mentiri, aut ſæpiùs; eſſet mortale, non autem ſi ſemel, vel bis. Si diceretur de aliquo quod eſſet ſuperbus, avarus, penſatis tamen conditionibus perſonæ dicunt non eſſe mortale, ſicut de iuvene Sæculari, quod eſſet luxurioſus. Sed totum eſt periauloſum, undè penſanda eſt fama, quæ aufertur. Si quis in generali diceret ego cognoſco v.g. Petrum, ſed volo tacere de eo, eſt fina detractio, & mortalis. Lugo *diſp.14.ſect.4.nu.*50. Undè in ſimilibns locutionibus penſanda eſt fama, quæ aufertur, & perſona de qua loquitur. Eſt etiam mortale, crimen occultum alicui perſonę gravi ſine urgenti cauſa revelare, quid quid multi dicant. Lugo *diſp.14.ſect.4.nu.*52. etiam dicendo audivi de Petro v,g. tale crimen, ſi poſſit ex hoc eius fama denigrari. Crimen tamen publicum in uno loco, narrare in eodem loco neſcientibus uon eſt mortale; ſicuti qui per publicam ſententiam in uno loco eſt diffamatus poteſt in alio loco diffamari; Sicut delictum in uno loco publicum poteſt ubique publicari; Semper tamen ex malo animo, & circumſtantijs poſſet eſſe peccatum mortale contra charitatem, licet non contra iuſtitiam. Si tamen per publicam emendationem peccator ſit emendatus, crimen denuò apud immemores narrare, aut apud neſcientes popalare, aliqui vo-

lunt

lunt quod ſit contra iuſtitiam, & meritò, nam acquiſivit verum ius ad ſuam famam per emendationē delicti.

36 Sed nota quod ſi expediens ſit bono particulari, & magis publico, licet, minori damno, quo poteſt peccatum ſecretum detegere, quantum neceſſarium eſt ad avertendū damnum particulare, aut commune. Non loquor de hæretico occulto, tunc enim dicit Meus S. Franciſcus Saleſius omnes debent vociferari, ut quilibet ſibi caveat.

37 Sed quæres: an audiens detrahentem, & tolerans, peccet mortaliter?

Dicendum primò, ex timore, ſeu negligentia, detrahentem non corripere, non eſſe mortale.

38 Dicendum ſecundò, detrahentem cum commodè poteſt non corrigere, ſeu ad alia divertere diſcurſum, vel ſi aliquid horum non poſſit, ſaltem vultum demonſtrare triſtem, aut egredi è converſatione, ſi hæc omittantur peccare mortaliter: *Detrahere ſeu detrahentem audire* dicebat Mellifluus Doctor, *quid damnabilius ſit non facile dixerim*.

39 Dicendum tertiò, quemcumque Superiorem diffamari, teneri ad impediendam detractionē Subditi. Patet ex regula Iuſtitiæ.

40 Dicendum quartò. Non teneri ſub mortali quēquam detrahentem ſecretò apud ſeipſum impedire, dummodo habeat animum tegendi ſecretum. Certum eſt quod dicere amico ad minuendam animi paſſionem, peccatum proximi, etiam grave factum in damnum ſuum, non eſt mortale, & tuta cōſciencia poteſt audiri, ad conſolandum narrantem. Non licet tamen inducere alium ad murmurandum.

v.g.

v.g. interrogando, urgendo, gratam oſtendendo talem detractionem. Hic vide latè Salm.

41 Sed quæres quomodo reſtitutio horum fieri debeat?

Dicendum breviter eum, qui honorem alterius læſit, debet exhibere debitam reverentiam ātecedēter ſalutando, invitando ad Menſam, eum viſitando & inter cæteros modos honorem compenſandi, eſt veniæ petitio. Sed hic modus non eſt neceſſarius, quando aliter poteſt honor reſtitui. Undè Prælatus reſpectu ſubditi, nobilis reſpectu plebęi, Pater reſpectu filiorum, & ſimiles, ad hoc non tenentur, ſed è contra. Bonac. *diſp.2.qu.5.par.2.nu.5.* Caietan. 2.2. *q.72.art.3.* Villalob. *tract.11.diff.42.nu.7.* Sed ſi quis fuſte percuſsit Virum nobilem non eſt ſufficiens ſatisfactio petitio veniæ, ſed maior requiritur arbitrio boni viri penſatis penſandis, & eſt obligatio in foro interno ante Iudicis ſententiam. Lugo *n.57.* Serra 2. 2. *q.62.art.2.d.4.*

42 Dicendum ſecundò. Detractorem teneri ſub mortali reſtituere ad æqualitatem, quantum fieri poteſt famam, ſivè eam abſtulerit per impoſitionem falſi criminis, ſivè per manifeſtationem veri criminis occulti, & omnia damna indè ſecuta; nam omnis habet ius ad ſuam famam, quando crimen eſt occultum, & pręſumitur bonus, niſi in contrarium probetur. Sic communiter. Sed pro praxi.

43 Nota, quod qui abſtulit famam alterius murmurando, dettrahendo, ſi verum crimen narravit, debet abolere opinionē malam in quantum poteſt, eū laudando nunquam tamen mentiendo, quare dum famam reſtituis utere verbis, quibus mendacium non

dicas

dicas v.g.quod multa dicuntur, quod vera non ſunt, quod proximi actiones malæ interpretantur ut plurimum, quod malè dixiſti, & ſimile, Quod ſi verũ crimen narraſti, ſed occultum, debes famam reſtituere omni modo poſſibili, abſque mendacio. Et potes imò debetur quando alio modo non potes reſtituere, dicere ſe deceptum fuiſſe. Et hoc verum eſt nam omnis qui peccat à ſua paſſione, vel à Dæmone decipitur. *S*e neſciſſe quòd dixit, quando talia protulit, nam quod eſt occultum, & non poteſt revelari, poteſt dici ſe neſcire, ideſt ſcientia utili ad revelandum. *S*e mentitum fuiſſe, quia mentitum eſt contra dictamen conſcientiæ practicum, quod in tali caſu monebat non eſſe loquendum, mentiri enim eſt cõtra mentem ire, & ſimile. Sanchez *in Summa lib.3. cap.7.nu.13.& 15.* & ſufficit apud immediatos auditores ſe retractare.

14 *S*ed dubitatur. An qui alium infamavit per verum crimen occultum, teneatur ad omnia damna inde ſequta integrè reſarcienda? Lis eſt ſub Iudice, ſed probabilior ſententia eſt affirmativa ſi ſua detractio fuit cauſa efficax damni, nam tunc non crimen commiſſum, ſed ſua revelatio fuiſſet cauſa totius dãni ergo.

Et hoc valde nota pro praxi, quòd ſi detractor moriatur ante reſtitutionem famæ, obligatio famæ reſtituẽdæ non tranſit ad hæredes, utpotè debitum perſonale, ſed reſtitutio damnorum ad illos tranſit, nam non ita eſt perſonalis hæc obligatio, quæ non afficiat bona detractoris, & ſic hæredes tenentur reſtituere. Idem dic de votis perſonalibus, & realibus. a Lyman *lib.3.ſect.5.art.3 par.2.cap.7.num.4.* Lugo *diſp.*

*diſp.*15.*ſect.*1.*num.*8. Bonac. *diſp.*2.

45 Dicendum Tertiò. Detractorem qui falſum crimen impoſuit, ſi alio modo non poteſt opinionem malam ex ſua detractione delere, tenetur affirmare ſe falſum dixiſſe, & ſi non ſufficit addere iuramenta, & ſi hæc non prodeſſent, ſi habet, tenetur adducere Teſtes veritatis, nam debet apponere revocationem efficacem. Diana *par. tract.*5.*miſcell.reſol.*29. Soto *lib.*4.*de iur.q.*6.*art.*3. & ſi adhuc non eſt revocata opinio ſiniſtra, ad amplius non tenetur detractor, imputatur enim tunc totum malitiæ audientium.

46 Quoad Teſtes tamen aliqui dicunt non teneri. Et hic nota quod ſi infamator eſt vir valdè nobilis, Prælatus, Epiſcopus, non tenetur ſe retractare cum magno damno ſuæ famæ. Si infamatus ſit longè inferior; tunc enī ſufficit eum laudare in quo læſit, & mihi placet tunc debere cōpenſare pecunia, licèt ſit bonū alterius ordinis, quia tunc daretur non ad compenſationem propriè, ſed in ſubſidium. Vide Leſſ. *lib.*2.*c.*11.*dub.*26. & Valentiam, *qui alios citat*.

47 Excuſaris etiā à reſtitutione famæ. Si es impotens; Si crimen occultum quod revelaſti fiat publicum. Si infamatus verè non ſit ille, de quo malum dixiſti. Si res oblivioni probabiliter eſt tradita. Si cui detraxiſti, tibi pariter detraxit, nec reſtituere tibi vult; ſic fama compenſaretur fama, ſicut pecunia compenſatur pecunia, dūmodo fama nō eſset in aliorum præiudicium, & diffamatus maioris conditionis, ſi non poſſis ſine periculo vitæ, ſi tamen crimen verum occultum revelaſti, hoc nota, Sed ſi falſum teneris, ſi diffamatus pariter per te eſt, & in pe-

culo vitæ. Vide Toletum *de inſtruct. Sacer. de præceptis Decal. & alios.*

48 Quæres, an poſsit licitè condonari reſtitutio famæ, ab infamato?

Dicendum licere in ijs caſibus, in quibus licet ſe ipſum infamare, in alijs talem condonantem, peccare mortaliter. Unde ſi infamia redundet in alios, filios, Fratres, Monaſterium, ſi oriatur ſcandalum, ſi impediatur fructus bonæ famæ, ſi iſta ſit neceſſaria ad muneris gubernationem. In his caſibus peccat mortaliter qui remittit, tenet tamen condonatio. Excipe quando redundat in alios, nam ſi hi non conſentiant teneris reſtituere.

49 Quæres quomodo qui detraxit alteri libello famoſo, debeat reſtituere?

Dicendum contrarijs ſcriptis, exagerando modeſtè enormitatem facti, laudando infamatum; & ſi nõ prodeſt, publica revocatione, ſed in hoc penſatis pẽſandis arbitrio viri valdè prudentis.

50 Quæres ultimò. Titius apud multos detraxit Bertę, reſtituit famam varijs libellis nocte affixis locis publicis Civitatis, ex motivo exhonerationis conſcientiæ. Quæritur an ſatisfecerit ſuæ obligationi de fama reſtituenda.

Caſus fuit in praxi, & conſultus adiudicavi cæteris paribus.

Dicendum non eſſe bonam reſtitutionem, quia nõ fuit ſervata æqualitas reſtitutionis. Imò Titium denuò peccaſſe, niſi illum excuſaret inadvertentia, ſeu ignorantia, aut bona fides, & ſimplicitas, quia renovavit detractionem apud etiam illos, qui illam ignorabant.

Quod

Quod ſi per accidens à cauſa iſta mala, reſtituta fuiſſet fama Bertę, quod difficile eſt iudicare; ad nihil aliud teneretur, ſed quia apud illos audientes certus fuit detractor, & incertum, an libellus fuerit detractoris, aut Bertæ detractæ, aut alicuius amici, & conſanguinei Bertæ, ideò iterum Titius tenetur reſtituere famam ore, ſicut ore abſtulit, niſi alia cauſa excuſaretur.

Sed mihi obiectum eſt. Quod ſicut qui abſtulit decem aureos rectè reſtituit, etiam ſi per alium reſtituat, ergo à pari tenet reſtitutio Titij reſtituentis per illos libellos. Sed non currit paritas, nam in reſtitutione pecuniæ ſervata fuit æqualitas; ablati fuerũt decem aurei, & totidem reſtituti. Sed hic fuit ablata fama per certum detractorem, & non conſtat, an ſit reſtituta, imò verè non eſt reſtituta per incertum, iuxta dicta. Quare in iſta reſtitutione conſideratur præcipuè perſona detrahentis.

51 Quæres. Ad quid obligetur inducens alterum ad peccatum?

Dicendum ſi induxit malo exemplo ſuo, aut ſuaſione, tenetur ex charitate in quantum poteſt ad meliorem vitã illũ inducere, ſi induxit fraude, & dolo tenetur ex iuſtitia, nam quis habet ius, ne lædatur in bonis ſpiritualibus.

52 Quæres ad quid teneatur, qui retraxit aliquem ab ingreſſu Religionis? Si fecit ſine vi, & fraude, tenetur illum reducere ad ſtatum Religioſum ex charitate, nec ad aliud tenetur, quia nullum ius, ut ſupponitur in illum habebat Religio; ſed ſi induxit Religioſum ad Apoſtaſiam, obligatur Religioni ex iuſtitia ad damna ipſi, ex hoc ſequuta. Sed vide

Reſolutum meū *in 4.diſ.22.q.2.art.4.* qui dicit quod qui retraxit aliquem ab ingreſſu Religionis intentione dānificandi Religionem tenetur ad reſtitutionē, ſi autem fecit ob propriam utilitatem ſine vi, & fraude, non tenetur ad ullam reſtitutionem, niſi ſpiritualem &c.

Pu 53 Quomodò Teſtes teneantur ad reſtitutionem famæ? Vide Reſolutum meum *in 4. d. 22. art. 5.* quomodo Iudices? Vide apud Auctores.

De Bello iniuſto, Furto, Rapina, ſuis locis quantum ſufficit, ſaltem neceſſaria tangemus. Et hæc ſufficiant in re tàm ampla, & diffuſa.

ART. III

De Reſtitutione ex ſecunda Radice; nempè ex re accepta, ſeu ex iniuſta retentione.

1 RES alterius, aut benè accipitur, aut malè: & utraque debet reſtitui, ſed cum diſcrimine; Res alterius accipitur benè, quando bona fide accipitur. v.g. Aliquis emit Equum à latrone, quem neſciebat eſſe latronem, iſte dum neſcit habet iuſtum titulum poſſidendi, & quamdiù neſcit venditorem eſſe latronē, dicitur poſſeſſor bonæ fidei. Quando autem hoc ſcit, & non reddit, dicitur poſſeſſor malæ fidei. Poſſeſſor igitur bonæ fidei invento Domino tenetur id tātùm, & non plus reſtituere, quamquod ex re ita poſſeſſa ſupereſt, & id in quo factus eſt ditior, ſuppoſito, quod dominium non acquiſierit per legittimam præſcriptionem, ad quam quatuor conditiones in iure aſſignantur. Nempè poſſeſſio, titulus, bona fides, & continuata poſſeſſio, cum eadem bona fide, tem-

pore à lege prę̄ſcripto. Et hic nota, quod ad præſcriptionem ordinariam rerum immobilium inter præſentes requiruntur decem anni, & inter abſentes viginti. Ad uſucapionem, quæ eſt rerum mobilium, tres Anni ſufficiunt inter præſentes, & quatuor inter abſentes. Non loquor de privilegijs Eccleſiæ, & de alijs, nā maius tempus requiritur præſertim reſpectu Romanæ Eccleſiæ. Sed redeamus ad noſtra. Attriviſti veſtem donatam à fure bona fide: Comparet poſtea Dominus, teneris reſtituere eam veſtem ſicuti eſt, & id in quo factus es ditior, nempè id quod tu expendiſſes in alia veſte iuxta tuum ſtatum. Ita cōmuniter. Si res quæ bona fide a latrone dono, aut prætio accepiſti ſi uſu conſumptibilis eſt, ut v.g. triticnm, & tu cum tuo miſcuiſti, itaut diſcerni nequeat non teneris ad illum numero reſtituendum, ſed tātum in quo factus es ditior, nam per commixtionem bona fide factam dominium accepiſti Inſt. *de rerum diuiſ.* §. *Si duorum l. ſi alieni de ſolut.* Bacc. *diſt.* 1. *q.* 3. *p.* 1. Navarrus, Sylvius, Sàyrus. Nam non eſt ratio cur iſta pars tritici, & non alia cenſeatur aliena.

2 Si poſſeſſor bonæ fidei incipiat dubitare an res ſua ſit; ſi poſt adhibitam diligentiam, ad quam tenetur, adhuc remanet dubius; illam poteſt ſibi retinere, nam in pari caſu, melior eſt conditio poſſidentis Merolla *tom.* 1. *diſp.* 3. & eſt communis. Inſuper poteſt rem illā vendere, ſed debet ſuum dubium emptori manifeſtare, aliòquin, comparente domino, teneretur damnum reſarcire, & ſi manifeſtavit non tenetur, niſi de eo in quo factus eſſet ditior. Vide Sanch. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 18. Vide etiam hic Salmat. Colleg. *de reſtit.*

3 Sed

3 Sed quęres quid dicendum. Si poſſeſſor bonæ fidei inclinet in eam partem, quod res ſit aliena?

Dicendum ad nihil teneri. Palaus *tom.1. diſput.3. punct.2.* Nam poſſeſſio præponderat omnibus aliijs dubijs non convincentibus, etiam ſi omiſerit debitã diligentiam inveſtigandi veritatem, & poſtea factus ſit impotens ad eam ſciendam. Nam poſſidet, & incepit bona fide poſſidere, nec ſatis conſtat, an illa negligentia alicui damnum intulerit, licet peccaverit in omiſſione. Eſt tamen pia, & conſulenda ſententia, quam ſequitur Villalobos hic, quod debeat reſtituere illi, de quo dubitat an ſit dominus aliquid ad rationem dubij, vel pauperibus. Si durante bona fide rem conſumpſiſti, aut deſtruxiſti, vel res ipſa perijt etiam culpa tua, vel ſi rem vendidiſti eodem prætio, ſeù minori ad nihilum teneris; quia talem obligationem non contraxiſti ex iniuſta actione, nec ex re aliena apud te exiſtente. Demptis ergo expenſis tuis, ſolùm teneris in quo factus es ditior. hoc enim undecumque veniat, Domino eſt reſtituendum. Bonaccin. *hic numer 6.* Lugo, Sanchez, & alij.

4 Si autem ſis dubius an ex re aliena factus ſis ditior, non teneris aliquid reſtituere, nam ut detur talis obligatio reſtitutionis, probanda eſt in utroque foro, & in pari caſu, melior eſt conditio poſſidentis. Videndum hic Coll. Salm.

5 Si occaſione rei alienæ bona fide poſſeſſę ſplẽdidius vixiſti, quam tuum ſtatum decebat, nec erat mos tuus, ita vivere ad nihil teneris, nam fuit per accidens ille ſplendidior ſtatus, nec aucta eſt ſubſtãtia tua [ut ſupponitur) nec factus es ditior. Sotus *lib.*

4

4. *q.7.art.2.*Bonacc. *diſp.1.q.2.punct.1.* qui dicit eum qui bona fide poſſedit hæreditatem undè de ſuis bonis magis, quàm feciſſet expendit, poſſe in reſtitutione hæreditatis detrahere expenſas hac occaſione factas.

6 Sed quid dicendum de poſſeſſore bonę fidei. Si latro ipſe poteſt reſtituere, an teneatur adhuc reſtituere poſſeſſor bonæ fidei? Nam res ubi eſt pro Domino clamat. Quęſtio celebris eſt, & in utraque parte defenſa, ſed media via incedendum cum Salmaticenſi noſtro. Nempè ſi res furata fuit permixta cum bonis latronis, ut v.g. triticum cum ſuo tritico, pecunia cum ſua pecunia, tunc cum per illam cõmixtionem latro factus ſit earum rerum Dominus, licet cum onere reſtituendi: tunc poſſeſſor bonæ fidei non tenetur ad reſtitutionem, ſed latro; Si autem res furata non fuit permixta cum alia latronis, tenetur poſſeſſor bonæ fidei: res enī quocumque ſit pro Domino clamat; repetat poſtea ipſe à latrone [debet enim ſemper, nota obiter eadem res reſtitui niſi ſit uſu conſumptibilis, pro omnibus reſtitutionibus, & non prætium, niſi rationabili de cauſa) Ex quo infertur, quod ſi quis Equum proprium vendat, pecunijs furtivis, ſi antequam pecunias acceptas cum ſuis permiſceat, ſciat pecunias eſſe furtivas, teneatur ad reſtitutionem pæcuniæ furtivæ invento Domino; ſecus ſi antequam ſciverit eſſe furtivas, pecunias bona fide cum ſuis miſcuiſſet.

7 Quod pertinet ad poſſeſſorem malæ fidei? Iſtæ tenetur reddere rem ipſam ſi extet, ſi non, prætium equivalens, licèt perierit non culpa ſua, ſeu fuerit ablata, cum damnis emergentibus, & lucris futuris

iuxta

iuxta probabilem ſpem; quæ res eſt clara apud Doctores. S. Thomas 2.2.*q.*64.*art.* 6. Qui mala fide rem emit à latrone non poteſt reſcindere contractum [ſicut poteſt qui emit bona fide] ſed debet rem domino reſtituere, ſibi enim imputet de damno, ſi ſequatur. Vide de ementibus furta mala fide,& de eorum obligatiõnibus. Doctorem meum Reſolutum *in* 4.*ſenten. diſt.*22.*art.*5. Et nota ſaltem quo ad forum conſciẽtiæ, quod tàm poſſeſſor bonæ, quam malę fidei cæteris paribus, non tenetur ad plus, niſi ad æqualitatem damni dati. Ex hac conſideratione multa dubia dilucidantur, unde nec maius prætium rei venditæ, nec fructus induſtriales ſi verus Dominus in his non patiatur nocumentum; quia in tali loco, ubi pluris valet non vendidiſſet rem ſuam, & talem induſtriam non appoſuiſſet;nullus poſſeſſor tenetur reddere ſaltem in conſcientia, quia verè in hoc Dominus non fuit damnificatus, ſed.

8 Quæres ſi res certò peritura eſset apud dominum, an poſseſsor malæ fidei teneatur reſtituere ſi illam apud ſe conſervet, & de facto pereat?

Si dubites an eodem modo peritura eſſet apud dominum,teneris reſtituere rem, aut prætium, ſi res nõ extet, ſaltem ad rationem dubij,licet ſine culpa apud te pereat, idem de depoſitario moroſo, & debitore, qui eſt in mora reddendi rem alienam. Si res extet, aut prætium eius, licet peritura eſſet apud dominum teneris reſtituere, nam ſemper pro domino clamat. Si verò ſurripuiſti, & perijt apud te eodem modo,& tẽpore,quo peritura erat apud dominũ.v.g. in eadem tẽpeſtate, in eodẽ incẽdio ad nihil teneris, nã in tali caſu in nullo dominũ dãnificaſti. Laym. *lib.* 3.*ſect.*5.*tr.* 2.*c.*4.

2.c.4.Leſſius *lib.2.c.12.dub.15.num.95.* Salmaticenſe. Navigabas cum Petro, & illi rem prætioſam ſurripuiſti in eadem navigatione perijt, ad nihil teneris. Furatus es Equum morbo occulto laborantem, moritur ſine tua culpa, ad nihil teneris, quia in nullo damnificaſti, ut ſuppono; Sed in hoc caſu poteſt aliquod damnum evenire, poterat enim dominus illum vendere. Vide Colleg.Salm.ubi §.5.Invenies expēſas, quæ deduci poſſunt tàm à poſſeſſore bonæ fidei, quam malæ fidei in conſervanda, ſeu melioranda re aliena. obiter.

9 Nota quod quando res perijt in manu alterius domino perijt, ſed excipiendi ſunt quatuor caſus. Primus: quando res perijt ex malitia, ſeù negligentia eam habentis, & diligentia maior, vel minor requiritur, ut dicemus in ſequenti articulo. Secundus. Quando quis convertit rem acceptam in alios uſus, ad quos eam non accepit,& perijt ex tali converſione.v.g. locatus fuit tibi Equus, ut ires Romam,proficiſceris Mediolanum, perijt Equus, teneris ad reſtitutionem. Tertius. Cum es in mora reddendi res alienas, & in tua manu pereunt, teneris reſtituere, maximè ſi ex mora perierunt. Quartus. Si fuit conventio inter dantem, & recipientem, ut res pereat recipienti.

10 Ex re accepta pariter oritur obligatio reſtituendi res inventas, & peccatur ex iniuſta retentione. Quare aliquæ res inventæ nunquam habuerunt dominum, ut v.g. petræ præ tioſæ in littore *Maris*, in locis remotis, ubi naſcuntur, & hæ poſsunt retineri. Aliæ quæ dominum habuerunt, & adſunt hæredes, & ſunt quæ inveniuntur in via, in muris Do-

mus,

mus, & hæ reſtituendę ſunt dominis, ſi facta diligẽtia debita inveniuntur; ſin autem ex communi ſententia dandę ſunt pauperibus ex præſumpta domini voluntate, ſed ſi tu es pauper, potes totum, ſeu partem iuxta tuam neceſſitatem retinere, et ſi facta debita diligentia pauper inventa ſibi retinuit, invento Domino poſtea, non tenetur reſtituere. Toletus. Quod ego puto te ſemper poſſe facere, data tamen parte pauperibus [ſi tu pauper non esſes) & etiam pro Sacrificijs pro Anima dominorũ. Quia ſic videtur uſus, & conſenſus communis hominum, dummodo non obſtet aliqua lex particularis. Aliæ ſunt res, quæ dominum habuerunt, ſed iam non habent, ut theſauri vetuſti, & hos ſi invenias in fundo proprio totum retinere potes. ſi in alieno mediam partem, ſi extrahas voluntate Domini, ſi ſine ipſa totum perdis. Sed in hoc dantur leges particulares Principum in conſcientia obſervandę. Vide hic Toletum *de inſtr. Sacerd. lib.* 4. Obiter.

11 Qui falſam monetam ignoranter accipit, nõ poteſt illam ſcienter expendere, ſed ſi ignoranter expendat, an teneatur reſtituere detecto errore, lis eſt ſub iudice.

12 Quæres ultimò. An qui ſciret in agro alieno eſse theſaurum, poſset illum emere, & ſibi illum retinere?

Dicendum poſse cum S. Thoma. Nam Dominus vendit ſuperficiem, & de hac recipit prætium ſuum. Communiter tamen non admittitur.

AR-

ART IV.

De reſtitutione ex tertia radice, nempe ex contractibus.

QVæ huc uſque diximus, & quæ dicemus militant in foro conſcientiæ, quidquid circa aliqua controvertant Legiſtæ. Hic videndus Doctor meus Reſolutus *diſt.* 22.*qu.*3.*art.*2.

1 Contractus igitur eſt pactum, ſivè conſenſus duorum, quo ſciēter liberè, & legitimè uterque ſe viciſſim, vel ad minimum ſaltem una pars ſe alteri acceptanti obligat, quocumque ſigno externo, id fiat v.g. in contractu mutui ex una parte mutuans ſe obligat non repetere mutuum ante certum tempus, ex altera parte mutuatarius ſe obligat tali tempore illud reddere, & ſic de alijs: in promiſſione verò, & donatione abſoluta, tantum una pars obligatur, altera parte acceptante. Acceptio rei alienæ per cōtractum iniuſtum obligat ad reſtitutionem, quia eſt ſpecies iniuſtæ acceptionis. Quare contrahentes cum Servis, furioſis, pueris, Religioſis, qui non habent do-

dominium, vel liberam adminiſtrationem, tenentur reſtituere quidquid acquirunt.

2 *S*i contractus ſit factus vi, dolo, vel errore verſante circa ſubſtantiam v. g. vendidiſti Berillum pro adamante, acetum pro vino, teneris reſtituere, etiam ſi dolus, aut error non dediſſet cauſam contractui.

Circa qualitatem, & circumſtantias valdè immutantes obiectum, currit eadem paritas. Sed ſi non valdè immutent, validus erit contractus, niſi intentio contrahentis fuerit conditionata. Si promiſiſti, aut donaſti tantùm interius, aut ſi externo ſigno, ſed alter non acceptavit, non fuit contractus: Sicuti ſi materia contractus fuit peccatum, aut illicita, ut v. g. ſi fur vendat rem alienam.

3 Conditiones impoſſibiles (loquor de contractibus conditionatis) & turpes à contractu Matrimonij, & ultimæ voluntatis reijciuntur. Conditiones contingentes ſuſpendunt contractum, donec adimpletæ ſint conditiones; quibus adimpletis contractus fit abſolutus: Vide tamen Auctores nam excipiuntur aliqui contractus. Non eſt invalidus contractus, ſivè onerosus, ſivè gratuitus, etiam ex metu gravi iniuſtè incuſſo, nam adhuc eſt liber, & volũtarius, licet poſſit a Iudice reſcindi, ad arbitrium illius, qui paſſus eſt metum ſecundum menſuram metus. Lugo *diſt.* 22. Controvertitur autem an militet circa promiſſionem, & donationem gratuitam, renunciationem beneficij, & Iuriſdictionem extortam per metum.

4 Contractus etiam in foro conſcientiæ facti, ſine ſolemnitate aſſignata in iure ſunt invalidi. De iuramento adiecto contractui, vide Auctores de contra-

tractibus, quæ res eſt nimis longa,& contra noſtram promiſſam brevitatem.

5 Nunc accedamus ad aliquos contractus in particulari, nam de omnibus, vel citare aliquid impoſſibile eſſet in opere compendioſo, quibus tamen perceptis noſter Confeſſarius in praxi, ſciet prudenter dubitare, & difficiliter falli circa reſtitutionem faciendam ex contractibus. Quod ſpectat ad contractum donationis, & promiſſionis. Qui ficta paupertate recipit magnam eleemoſinam, fingendo ſe v.g. Prælatum exulem, tenetur ad reſtitutionem circa illud (ego noto) quod plus accepit, quam accepiſſet. Secus dicendum eſt de parvis eleemoſynis. Granado *22.con.3.tract.11.diſp.7.nu.4.*

6 Circa promiſsionem, nota quod quando non adeſt iuramentum per ſe non obligat ſub mortali, ſed per accidens poteſt ratione gravis damni, quod promiſſarius poteſt pati. v.g. promiſiſti mutuum, nec das, & promiſſarius patitur grave damnum, mortaliter peccas. Leſsius *lib.2 cap.28.p.5.* Et cum in foro externo cẽſeatur valida promiſsio propter acceptationem, requiritur, ut cauſa promiſsionis exprimatur, alioquin præſumitur facta ioco, aut errore. Trul. *lib.7.cap.16.* Donatio inter vivos poteſt revocari propter ingratitudinem donatarij; ſi enim graviter iniuriaverit donantem, percuſſerit, fecerit ei notabile damnum, ſi non adiuvaverit eum redactum ad magnam inopiam, ſed requiritur ſententia Iudicis. Abellj hic.

7 Commodatum eſt contractus, quo res aliqua mobilis, vel immobilis ad uſum ſolùm conceditur gratuitò ad aliquod tempus implicitè, ſeù explicitè,

de-

determinatū. In precario conceditur res utenda, ſed non ad certum tempus. Depoſitum eſt, quando aliquid traditur cuſtodiendum, ut reddat integrum, ut equus, veſtis, & ordinariè eſt res mobilis, ſeu ſe movens.

8 Commodator non poteſt in conſcientia repetere ante tempus niſi ex neceſsitate. Depoſitarius ex tacita voluntate depoſitantis poteſt uti re depoſitata. v.g. pecunia, equo, frumento, ſi tamen frumentum ſcit ſe habiturum eiuſdem bonitatis tempore debito. Si tamen pecunia tradita ſit incluſa ſacculo, ſeù in arca munita ſigillo, non poteſt ea uti. Azorius, Bonacc. Silvius hìc.

9 Si tamen is cui res fuit comodata, locata, depoſita, & pignorata, negligenter cuſtodiat, tenetur ne ad reſtitutionem?

Certum eſt teneri. Sed de qua culpa teneatur iterum inquiris? Si nihil recipiat pro mercede non tenetur niſi de dolo, & culpa lata, & Diana cum Rebelli *p.2.lib.9.1.q.10.nu.11.* volunt procedere in foro conſcientiæ, etiamſi mercedem recipiant, ut Nautæ, Stabularij, ſed in foro externo ne oſtium fraudibus aperiatur, iſti tenentur de culpa leviſſima (ſicuti Sartores, Molitores, & cæteri artifices; niſi aliter cautum ſit, & ipſi promiſiſſent ſe diligentiores, aut diligentiſſimos, nàm tunc tenerentur etiam de culpa levi, & leviſſima. Idem dic de Medico, Advocato, &c. etiam in foro conſcientiæ, & obſervandum in favorem cuius fuit res depoſitata comodata, &c. tenetur enim ad maiorem diligentiam. Nos tamen explicavimus antea noſtram ſententiam Art. 1. Depoſitarius, & Commodatarius, ſi dubitant an culpa ſua pe-

perierit depoſitum in conſcientia ad nihil tenentur. In dubio enim non præſumitur delictum. Si deponens aliquid apud depoſitarium, aliquid illi debebat, depoſitarius non poteſt ex depoſito ſibi compenſare *in cap. bona fides de depoſ.* ob fidelitatem requiſitam in depoſito, & tenetur etiam in conſcientia.

10 In contractu mutui. Mutuans obligatur monere de vitio rei, alioquin tenetur ad damnum ſi perijt. In mutuo transfertur dominium, non in pignore, hipotheca, depoſito, commodato, & locato, teneretur etiam non repetere rem ante tempus niſi ſit in pari neceſſitate cum mutuatario.

Mutuans tenetur ad reſtitutionem, ſi aliquid accipiat ob mutuum præcisè. Eſt enim uſura. Quæ eſt lucrum immediatè ex mutuo proveniens, quod eſt illicitum iure humano, & Divino. Nam mutuans acquireret lucrum ex re non amplius ſua; res enim mutuata tranſivit in dominium mutuatarij: undè dicitur mutuum quaſi ex meo tuum, & iſta uſura ſi fuit abſque externo pacto, & ſolum intellecta dicitur mentalis; ſi fuit cum externo pacto dicitur realis, & quādo fit implicitè in aliquo contractu dicitur uſura palliata. Vide Toletum *l.5.c.31.* v.g. fingo me dare quīquaginta aureos agricolæ pro Bobus, quos non habeo & poſtea fingo meliorare Boves per duodecim aureos, quare pro quinquaginta mihi debentur ſexaginta duo; eſt enim mutuum quinquaginta aureorum pro ſexaginta duobus, eſt contractus uſurarius.

11 Poteſt tamen accipi aliquid, imò intendi, & ob id mutuare ratione liberæ gratitudinis. Lugo *diſp.* 25. dummodo non deducatur in pactum adeſt propoſitio damnata 42. ab Innocentio XI. Poteſt dari mu-

tuum ob amicitiam captandam, quia amicitia non æſtimatur prætio. Unde omne quod prætio æſtimari poteſt non eſt licitum accipere à mutuatario, niſi ratione liberæ gratitudinis, ut v.g. munus a manu, munus à lingua, munus ab obſequio ſi deducatur in pactum. Similiter poteſt accipi aliquid in pænam ſi intra tale tempus non reſtituatur, ſed debet eſſe caſus merè fortuitus; undè ſi ſciam non poſſe reſtituere, non poſſum apponere tale pactum. Etiam ratione periculi, ſeu difficultatis in recuperatione mutui, dummodo deducatur in pactum periculum illud, tacitè, vel expreſsè. Layman. *l.3.c.4.cap.16.nu.9.*

12 Pro damno emergenti, & lucro ceſſante, poteſt tutò aliquid accipi, ſed nota pro lucro ceſsante, quod non debes habere aliam pecuniam pro negociatione, aut ſaltẽ iſtud lucrum ceſſans debet eſse moraliter certũ, & quia lucrũ ceſsans varijs evẽtibus ſubditur, debet ſẽper accipi minus ex ĩcertitudine ad arbitriũ viri prudẽtis. Vide Bon.*q.3.p4.* Doct. meũ *art.3.*

Mutuare frumentum vetus, cum onere, ut novum reſtituatur tali menſe uſura eſt; ſi mutuans ſciat novum fore melius, & pluris valere. Navarrus. Nota quod ſemper in mutuo debet reſtitui ad æqualitatẽ, undè mutuans centum aureos in moneta aurea, niſi expreſsè aliter deducatur in pactum, debet reddi valor centum aureorum ſecundum valorem tempore mutuationis, licet valor auctus fuiſset, ſeu diminutus eſſet. Et aliqui Doctores hoc volunt intelligi etiam de vino, aut tritico mutuato, quod alij probabilius negant, dicendo quod in pecunia ordinariè non ſpectatur, niſi valor (dummodo aliter conventum non ſit ex iuſta cauſa) ſed in frumento, vino, oleo, &c.

Spectatur ipſa materia, nam non petitur mutuũ frumentum propter valorem, ſed propter ipſum corpus, & ſubſtantiam. Quare creſcat, aut decreſcat valor, poteſt mutuans repetere tot menſuras olei, vini frumenti, &c. quot mutuo dedit. Vide Leſſium *l. c.22. diſt.* 8.

13 In contractu emptionis, & venditionis. Nota quod prætium ſit iuſtum, & pro qualitate exceſſus, committitur iniuſtitia gravis, ſeù levis, & obligat in foro interno ad reſtitutionem, ſi exceſſus ſit materia peccati mortalis, licèt in foro externo non cogatur ad reſtitutionem, niſi defraudaverit ultra dimidiũ. Vide Bonac. *d.3.q.2.p.*1. Quare obſervo quod vilius poteſt emi, ſi emitur in gratiam venditoris res, quæ tibi commoda non eſt, & licet vendat neceſſitate ductus venditor, adhuc venditio eſt libera. Peccat tamen emptor contra charitatem, & quidem graviter, quando pauperes extremè inopes, ducti neceſſitate, vendunt nimis vili prætio, & tunc ille emit.

14 Potes emere minori tutò, ſi multa ſimul emas nàm tunc liberas venditorem à multis moleſtijs, & illum reddis expeditum ad novas mercaturas. Venditor tenetur vendere iuxta prætium taxatum à lege, ſeù a Principe, & ſi non adeſt, iuxta communẽ hominum exiſtimationem; quod prętium non conſiſtit in indiviſibili. Sed adeſt prætium ſummum, medium, & infimum, & omnia cæteris paribus iuſta ſunt.

15 Qui vendunt res in parva quantitate, & minutim, poſſunt carius vendere, quia adhibent maiores labores, & tempus maius expendunt ad eas conſervandas.

16

16 Non licet carius vendere præciſè ob dilatam ſolutionem, nam adeſt virtuale mutuum in tali venditione. Licèt tamen vendere prætio ſupremo ex cō-muni hominum conſenſu, & etiam carius, ſi alius iuſtus titulus interveniat, ut damni emergentis, aut lucri ceſſantis.

Qui ſimul conſpirant, ut frumentum v.g. tali prætio vendatur, non faciunt contra iuſtitiam, ſi prætium ſit iuſtum, licet poſſint peccare contra charitatem.

17 Si ſciat Venditor certò prætium mercis citò minuendum, poteſt vendere adhuc prætio currenti, nec indicare hoc emptori, dummodo abſint fraudes, & mendacia ad alliciendum emptorem quia prætiū currens adhuc eſt iuſtum Bonacc. *q.2.p.5.n.*12. Azor. Leſsius, & alij. Si des alicui aliquid vendendum prętio v.g. infimo, ſi ille vendat prætio rigoroſo, non tenetur exceſsum reſtituere, nàm fuit ex ſua induſtria, Non currit tamen hoc de famulis Mercatorum, nàm illis traditur merces vendendi prætio indeterminato. Lugo *diſt.*26.

18 Si res empta ante traditionem pereat, ſi illa eſt determinata, perijt emptori v.g. hoc dolium vini, hoc modium frumenti, Si res non eſt determinata, ut tres menſuræ vini de hoc dolio, duo modia tritici, de hoc acervo, perijt venditori, quia per iſtam commiſtionem adhuc retinet dominium. Sed ſi res ſit determinata, & tamen ematur ad menſuram, ut ſi emeret totum acervum tritici v. g. uno aureo in ſingula modia, tunc ante traditionem, & menſurationem ſi perijt, venditori perijt dicit Lugo *diſt.*26.*ſ.*14.*n.*216. Bonac.*q.*2.*p.*14.

19 Sunt autem multi alij contractus, qui etiam dicuntur innominati, & ſolent exprimi his verbis. Dò ut des, dò ut facias, facio ut des, facio, ut facias: & alij nominati, ut ſunt contractus. v.g. Cenſus, cambij, locationis, & quamplurimi, de quibus videre potes apud Auctores. Tamen pro omnibus univerſaliter. Nota quod debet ſervari æquale periculum inter contrahentes, quandoquidem æqualitas non ſervatur inter partes, & una ſubijcitur periculo magis, quam altera, nec in aliquo compenſatur, tu hoc contractus benè conſidera, nam ſi non adſint tituli illos iuſtificantes, ſunt illiciti, & uſurarij. Sed quia contractus Societatis, & ſponſionis & etiam ludi frequentiores ſunt, aliquid de iſtis addendum eſt.

20 Quare ſciatis quod ſponſio eſt contractus, in quo duo certant de veritate, aut eventu alicuius rei. v.g. Tecum certo decem aureis, talem civitatem captam eſſe. Ut iſte contractus licitus ſit, requiritur, ut res ſit dubia æqualiter, & cum æquali pæna, ut nempè ſit dubius eventus in utroque ſpondente, & ut ſponſio in ſenſu univoco accipiatur. Sanch. *c.* 8. *dub.* 13. *nu.* 11. Vult quod iſta ſponſio iuſta ſit, etiamſi alter habeat certitudinem de eventu, & proteſtatus ſit ſe habere, quia volenti non fit iniuria. Sibi enim hoc malum imputet, & pertinaciæ ſuæ voluntatis. Quod mihi placet ad reprimẽdos homines duræ cervicis, & obſtinatiſſimę frontis.

21 Contractus Societatis eſt, cum aliqui conveniunt inter ſe, & contributis rebus idoneis ad lucrãdum, ut v.g. pecunia, Animalibus, induſtria, & labore, faciunt commune lucrum, quod pro rata dividunt inter ſe, ſicut damnum. Bonac. *q.* 6. *par.* 1.

Quoad

Quoad hoc nota, quod plus debet lucrari, qui dat pecuniā, & operam, quamqui dat ſolam pecuniam, vel ſolā operā. Cui pereat capitale, ſi culpa ſociorū pereat. Vide hic Bonacc.

An licitus ſit contractus Societatis cum altero, cū pacto aſſicurationis capitalis accipiēdo aliquid quot annis ſupra ſortem. Vulgo *Contractus trium contractuum*. Nempè primus contractus eſt ſocietatis, ſecundus aſſicurationis capitalis, tertius venditionis lucri incerti, pro lucro diminutè congruo, & certo. Gaietanus, Sotus *lib.9.qu.2.art.2.ad* 3. Bannes 2.2.*q.* 78.*art.*4.*de Contr.Societ.dub.*1.*con.*5.& alij negāt, vocantque eum uſurarium, quem contractum Abellij in ſua Medulla vocat ſuſpectum ob aliquas rationes ibi adductas, quæ certè provenirent ex mala intentione contrahentium non ex ipſo contractu, ſi fiat ſine fraude, & dolo. Tamen in praxi ſi fiat bona fide, conſilio piorum hominum non damnat idem Epiſcopus.

22 Sed immerito ab iſtis reijcitur hic cōtractus, nec debemus eſse proni ad damnādas opiniones Catholicas Doctorum ex Gerſone, ut idem Abellj confitetur, & ego addo, nec praxim univerſalem hominum timoratorum; cum ergo hæc ſit ſententia multorum Theologorum bonæ notæ, & praxis per totā Eccleſiam, teſte meo Colleg. Salmat. per Galliam, Hiſpaniam, Italiam, durum eſset huic non ſubſcribere ſententiæ, cui ego libentiſſimè adhæreo. Doctores ſunt Malderus 2.2. *tract.*5.C.2. Sylveſter V. *Societas* Armilla, Bonac. *diſp.*3.*q.*3.*p.*2 Leſſius, Lugus *diſp.* 30.*ſect.*4.*num.*30. Toletus *lib.*5. Diana, & alij multi apud Salmatic. quos ſequitur, & dicit *Certè iſtam ſecundam ſententiam tot populorum conſenſu firmatam, ta-*

antiqua, *& generali conſuetudine approbatam, tot grauiſſimorum DD. auctoritate munitam, rationibus fortiſſimis fulcitam, deſerere non poſſumus*. Deinde adducit tres conditiones neceſsarias, quæ certò ſunt conſiderandæ. Prima quod verè qui accipit pecuniam, eam negocietur: nam aliòquin ſi daretur ad debita ſolvẽda eſset uſura, nam eſset contractus in ſe mutui. Secũda, ut lucrum certum, quod exigitur ſit moderatum, ut compenſentur onera contractus, & dicit quod quinque pro centum ſunt in uſu regulariter, & Serra admittit Octo, moderando iuxta ſpem maioris lucri, & minus periculum capitalis deperdendi. Idem Coll. g. & Bonacc. Tertia, ut hic contractus fiat ad inſtantiam Socij ponentis opera. Nempè in ſubſtãtia, quod tale contractum voluntariè faciat, aliàs ratione pecuniæ, videretur coactus ad aſſicurandum, & ſolvendum ratione virtualis mutui. Iſtas conditiones requirit, idem Coll. & certè duæ primę ſunt neceſſariæ. Tertia, meo videri ſufficit, quod aſsicurans nõ faciat hoc coactè, ſed liberè, licet eſset requiſitus ad inſtantiam partis. Lugus enim loco citato, & alij dicunt non eſse neceſsarium, quod expreſsè fiant tales contractus, ſed ſatis eſse, quod fiant tacitè, & implicitè, ut v. g. dicendo *do tibi centum, ut des mihi quinque*, ſecuro capitali, eo modo quo Doctores dicunt fieri poſse. Vide ergo, quod poteſt fieri ad inſtantiam dantis pecuniam. Monent enim prædicti Doctores hac via excuſari Viduas, Eccleſias, Pupillos, Monaſteria, quę dare ſolent Mercatoribus pecunias, ut dent illis quinque pro centum pro ſua ſubſtentatione, ſicuro capitali, quod mihi ſummoperè placet.

23 An Clerici,& Religioſi poſſint negociari per alium, & hunc inire contractum? Controvertitur ab auctoribus. Ego ſubſcribo dicentibus poſse, maximè propter eorum ſubſtentationem. Vide Colleg. hìc.Leſſium *lib.2.c.21.dub.1.nu.6.* & ſi ſemel atque iterum per ſe negociarentur, ſecluſo ſcandalo, eſſet veniale. Vendere vinum, triticum ex redditibus Beneficij, etiam ſi aliò aſportentur non eſt propriè negociari, nec Clericis prohibitum. Souſa *in Bulla Cænæ*. Niſi tamen hoc multum diſtraheret eos à functionibus Eccleſiaſticis,debitis.

24 Ludus denique eſt contractus quidam inter duos, aut plures dandi rem propoſitam victori. Ludus alius eſt merè fortuitus, Alius merè ingenioſus, Alius miſtus.

Qui vicit decipiendo fraude, & dolo, tenetur ad reſtitutionem, ſicut ille qui alium ad ludendum induxit convicijs, minis,imperio.Similiter qui ſe ignarum ſimulavit,& alterum imperitiorem provocavit. Non tenetur reſtituere, qui aſtutijs ſolitis, adverſarium decepit, fingens v.g.metum, vel habere chartas deteriores, ſecus ſi ipſas a tergo cognoſcat, illas data opera videat. Si autem ex mera negligentia colluſoris, punctum eius videat,probabile eſt non teneri ad reſtitutionem; Sibi enim imputet adverſarius. Conſulerem tamen, ut ſaltem ſemel eum admoneret, ne oſtendat ſuas chartas.

25 Qui ſe totos ludibus tradunt, & ſe reddunt impotentes ad debita ſolvenda, proclives ad rixas, & blasphemias, & ſimilia, mortaliter peccant. Si ludus lege poſitiva prohibitus ſit, ut ludus alearum, & taxillorum, qui ludit peccat,& graviter ſi ſit Cle-

ricus, & pluries luſerit, & adſit ſcandalum. Ludi enim, & aleationes Clericis interdicuntur ſub magna pœna *diſt.35.cap.Epiſcopus.* Vide apud Bacconē Reſolutum Doctorem *diſt.22.art.*4.ubi demonſtrat, ex Canone Apoſtolorum, & ex pæna eſse Clericis ludum prohibitum ſub peccato mortali; ibique pariter demonſtrat mala, quæ ex ludo proveninnt, quę quidem multa ſunt; Sed quia non poſſum a propoſita brevitate deviare, ipſum videatis. Ibi notat etiam quod reſtitutio facienda Monacis, quia eorum bona ſunt Monaſterij, debet fieri Superiori. Quæ autem facienda ſit filijs familias, Patri, quæ Uxori, Marito, Pupillo, Curatori, Intellige quando non ex proprijs, & debita auctoritate ludunt, ibique reperies. Vide etiam Lezanam. V. *Ludus quoad Regulares*, & probabiliſſimum eſt, quod ludere ſemel in hebdomada dicatur ludus frequens, & committatur peccatum mortale, loquendo de ludis prohibitis. Sed ſi fiat non ſæpè, & recreationis gratia, quia ludus ex ſe eſt indifferens ad bonum, & malum, imò ob finem honeſtum recreandi moderatè animum eſt virtuoſus, & pertinet ad virtutem Eutrapeliæ, non damnarem Clericos, imò nec Religioſos, ſi in modica luſerint quantitate, Dummodo iſtis ſub mortali a ſuis Regulis non interdicatur, ut accidere ſolet in ſtrictioribus Religionibus.

26 Nota quod iura poſitiva contra ludos prohibitos abrogata ſunt per contrariam conſuetudinem, ut cum alijs docet Salas *de ludo dub.3.num.5.* Unde tantum remanent peccaminoſi ratione circumſtantiarum, nempè blaſphemiæ, ſcandali, periurij, lapidationis bonorum; quare ſemper, ſeu ferè ſemper

ſunt

ſunt periculoſi, melior eſt iocus, qui verbis fit, quã ludus, qui factis. Undè Tob.ad demonſtrandam ſuã innocentiam dixit *cap.3.Nunqaam cum ludentibus miſcui me*. Undè in Tullio *lib.1.de Offic.ſic legitur. Non ita generati à natura ſumus, ut ad ludum, & iocum facti eſſe videamur; Sed ad ſeveritatem potius, & ad quædam ſtudia graviora, atque maiora. Ludo, & ioco uti licet, ſed ſicut ſomno, & quietibus cæteris, tùnc cum gravibus ſerijſque rebus ſatisfecerimus*.

27 Nota etiam pro praxi, quod quando abſolutè dicitur, quod ludus alearum, & taxillorum eſt prohibitus non aptè dicitur, nam in eodem genere alearum, & taxillorum aliquæ ſpecies reputantur ſcandaloſæ, & aliæ non. Unde ſtandum in hoc conſuetudini locorum, & arbitrio Superiorum. Videatur Cardin.de Luca vir certè eximius, & manibus innocens in annot.ad Conc.Trid. *diſt.19.nu.3*. Quare tam in Sęcularibus, quàm in Clericis, & Regularibus, debent ſpectari ſtatuta particularia, affectus ad malum, nimia temporis conſumptio, ſcandalum, & cæteræ circumſtantiæ. Obſervandum præcipuè in Regularibus, ut non ludant in magna quantitate, cum in hoc non poſſit diſpenſare Prælatus. In voto, & iuramento non ludendi datur parvitas materiæ, quę cõſideranda eſt in ordinem ad id, quod iurans, & vovens primariò vitare intendit.

28 Quæres, An licitum ſit exponere domum ludo?

Dicendum illicitum eſſe, nam miniſtraretur materia deputata ad uſum pravum, nempè aleæ, taxilli, candelę, &c. actu ludentibus, ſæpè blaſphemãtibus, dilapidantibus, rixantibus; quę omnia ad minus

nus non carent periculo proximo peccandi, & mali eventus. Si tamen careret tali periculo [quod vix ſomniari poteſt] ex honeſtate colluſorum nobilium, ut vulgo dicitur(al Caſino)Tunc an talis locatio poſſit excuſari a peccato,alij iudicent, Ego valdè dubito;Nam in iſta multitudine difficile eſt nō adeſſe periculum proximum mali, imò ex ſe,ſemper adeſt. Unde Naldus V.*nu.6.p.2.tit.15.Reſ.65*.vult quod tales exponentes Domum ludo, ſi luſores teneantur ad reſtitutionem, in eorum defectu ipſi teneantur; nec Principes poſſunt hoc permittere, niſi ad maius malum vitandum,cum ex iuſtitia debeant impedire mala Reipublicæ,quorum fons ludus eſt, *Crimine ab uno diſce omnes*.Undè ille tardè hoc cognoſcens dicebat *Alea,vina,Venus: per quæ ſum factus ægenus*.

29 Poteſt tamen locari Domus Meretrici, quia iſta locatio non eſt proximè ordinata ad fornicationem, ſed indifferens, ſicuti eſt proximè ordinata Domus ad ludendum, & uſus alearum, & taxillorum. Adverte tamen, quod ſi Domus, quæ locatur Meretrici, ex ſe præberet maiorem commoditatem peccandi, ſeu fornicandi, puta quia plures habet portas ſecretas, tunc non licere eam locare Meretrici.

De ludibus induſtrioſis qui fiunt ad erudiendam iuventutem,& educandos Equites, & Nobiles,& ad ocia fugienda nihil dicendum: iſti enim cæteris paribus ſunt laudandi, & ubi non ſunt debent introduci, cauſant enim multa bona, & diſtrahunt à multis malis.

AR-

ART. V.

Cui, quid, quando, & quo ordine ſit reſtituendum?

1 PRo praxi obſervet Confeſsarius, quod ſemper regulariter [non loquor de Simonia, nam tunc inſpiciendę ſunt leges Eccleſiaſticæ) reſtituendū eſt vero Domino, & illo mortuo, hæredibus, illiſque deficientibus, aut ignotis ex præſumpta voluntate Defuncti, pauperibus; & ſi ipſe reſtituens ſit pauper, poteſt ſibi retinere partem, aut totum ex conſilio Paſtoris, vel ſui Confeſſarij dummodo ſit prudens, & timoratæ conſcientiæ. Navarrus *c.* 17 *q.* 3. Doctor meus Reſolutus *in* 4. *art* 4. *diſ.* 2. Quod ſi non ſit pauper ipſe, prætium irrogandum in pias cauſas, maximè in alimoniam pauperum, & rêdemptionem captivorum, & præcipuè in loco ubi furta commiſſa ſunt, loquēdo præſertim de incerta reſtitutione de Conſilio Diœceſani *de Epiſcopis* 10. *qu.* 1. *cap. regen. & ſequentibus*; ipſum vide. Poſſeſſor bonæ fidei poteſt reſtituere latroni rem emptam, ut prætium ſuum recuperet, quia non tenetur rem in meliori ſtatu conſtituere, quam antea

erat

erat, idque verum putat Toletus, & alij, etiam de poſſeſſore malæ fidei, dummodo id faciat non animo defraudandi dominum, ſed quod ſuum erat, recuperandi.

2 Quid reſtituendum ſit? Reſtituendum eſt id numero, quod tuum non eſt, nec ſatisfacis reſtituendo prætium, ſi res extet, niſi de conſenſu Domini. S.Thomas *q.63.art.2.* aut aliqua iuſta de cauſa interveniẽte v.g. Si res in manu tua deterior facta eſt, tūc valor reſtitui debet, Sicuti ſi amplius non eſt in poteſtate tua, nec potes eam facilè recuperare, vel ſi timeretur ex tali individuali reſtitutione, probabiliter grave damnum: in his & ſimilibus caſibus, ſufficit ſi iuſtum valorem reſtituas.

3 Qui verò alicui iniuſtum damnum intulit debet illud compenſare iuxta æſtimationem viri prudentis. Quare qui occidit v. g. Vitulum, quem Dominus erat ſervaturus, aut eradicavit novellas Olivarum, non tenetur reſtituere quantùm illæ res erãt valituræ, ſed ſecundum iudicium viri prudentis, pẽſatis circumſtantijs, conditionibus, periculis, & expenſis &c.

4 Quando reſtituendum? Dico ſtatim ac commodè fieri poteſt, & per lij *commodè*, intellige etiam cum tuo aliquali incommodo, & ſi is cui reſtitntio facienda eſt patiatur detrimentum, teneris etiam cũ notabili incommodo, Undè peccant graviter qui nõ curant ſolvere debita, & ſemper malitia eorum augetur; imò cum poſſunt reſtituere multiplicãtur numericè peccata, toties quoties poſſunt, & non reſtituũt, nec abſolvendi, niſi reſtituant: & ſi oportet eos abſolvere ob aliquam neceſſitatem, debent ſeriò

pro-

promittere expeditam reſtitutionem, etiam iuramẽto. Poteſt tamen, & aliquando debet differri reſtitutio, ſi creditor repetat ad peccandum, v.g. Mutuum ad fornicandum, enſem ad occidendum.

5 Quo ordine reſtituendum? Si adſit poſſibilitas omnibus ſatisfaciendi nullus ordo ſervandus cæteris paribus, præter ordinem Charitatis, quæ poſtulat, ut à pauperioribus incipiatur. Si non poſſit omnibus ſatisfieri; debita certa prius ſolvenda, quam incerta: & ex certis prius illa quorum dominium remanſit apud creditorem; ut depoſita, locata, pignorata; & ex alijs debitis certis, prius debita privilegiata. v. g. dos Uxoris, deinde antiquiora: nam qui prior eſt tẽpore, potior eſt iure. Sed nota quod ſervandum eſt ius particulare loci, dummodo non ſit contra ius naturæ.

6 Quæres primò. An debitor, qui videt ſtatum ſuum labentem (vulgo fallire) poſſit alicui nõ facta graduatione integrè ſatisfacere non petenti. Caſus multoties eſt in praxi, quare.

Dicendum non poſſe. Si omnibus non poſſit ſatiſfacere, ut ſupponitur.

7 Quæres ſecundò. An creditor qui ſic accepit, teneatur reſtituere?

Dicendum hoc eſſe ab auctoribus controverſum. Vide hic Bonacc. & Leſſium. Sed.

8 Quæres tertiò. Si ipſe creditor petierit poſſitne tutò retinere?

Dicendum poſſe, nam diligentia fecit eum potiorem. Navarr. Silvius, Bonac. hic

9 Quæres quartò. Au qui reſtituit per alium, & res quæ reſtituitur non pervenit ad creditorem, de-

nuò debeat fieri reſtitutiò a debitore?

Caſus poteſt eſſe frequens in praxi.v.g.

Titius debet Caio centum; ſed quia Caius eſt abſens, vel non poteſt iuſta cauſa à debitore reſtitui immediatè creditori, ob periculum infamiæ, ſcandali, &c. Et tunc dicit S.Thomas 2.2.*q.62.art.6.ad ſecundum*, quod debet eligi Confeſſarius, aut alius pius, & fidelis vir, qui per ipſum reſtituat. Titius ergo dat ſuo Confeſſori, ſeu viro exiſtimato fideli, centum, ut det Caio, ſed iſte eſt unus ex his de quibus Chriſtus dixit *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces;* Non reſtituit, ſed in uſus proprios cõvertit, quæritur ergo, an Titius hoc ſciens teneatur ſolvere Caio illa centum. Et etiam an ſi furati eſſent illa centũ latrones in via, quid dicendum? vel ſi caſu perirent, pereunt ne Domino, an debitori?

Certum eſt, quod ſi fecit reſtitutionem per Nuntium infidelem tenetur iterum ſolvere, nam ex ſua culpa perierunt, niſi talis nuntius deputatus eſſet à Caio, tunc enim Caio perirent.

Secundò certum eſt ſi Caius relinquat voluntati Titij, ut eligat Nuntium reputatum fidelem, licet nõ ſit, ad nihil teneri, nam adhibuit conſenſum creditoris.

Tertiò. Certum eſt, quod ſi à Iudice compelleretur Titius ad talem Nuntium eligendum ad nihil aliud teneretur. Bannes 2.2.*q.62.art.5.dub.9.con.2.* Tapia *lib.* 5.*q.*21.*art.2.num.*5. Quarè dubium eſt quando Titius eligit ſua ſponte portatorem fidelem.

Primò loquimur de illo, qui ex actione iniuſta nimirum propter culpam. v. g. rapinam, aut furtum, debet reſtituere. 10

10 Prima ſententia aſſerit Titium in quocũque caſu ad nihil amplius teneri, primò, quia fur non tenetur per ſe ipſum reſtituere, & ſi elegit virum reputatum fidelem fecit, quod potuit, nam prudenter ſe geſſit. Secundò quia in tali caſu rationabiliter creditur, tacitè dominum conſentire, imò obligatus eſt conſentire, ut talis res ſibi mittatur per Nuntium fidelem. Tertiò, quia talis modus reſtituendi ſaltem per Confeſſarium eſt frequentiſſimus, conſentientibus undique Populis. Hoc docet Sotus *in* 4. *diſp.* 15. *q.*2.*art.*4. Gabriel *ibid.q.*2.*art.*4. Genedo *de pauper relig.dubit.*34.*nu.*8 Ledeſma *tom.*2.*Summa tract.*8.*c.*34. *concl.*8. & in hanc opinionem Palaus inclinat *in præſe.diſp.p.*18.§.*9.nu.*4. illamque probabilem appellant Filiuccius, Trullenc. Leſſius, Hurtado, & Diana 1.*par tract.*16.*reſol.*97.

11 Secunda negat ſi eodem modo non eſſet peritura apud Dominum: Colligitur ex cap. *ſignificaſti de pignorib.l.incendium C.ſi certam petatur* Probatur, quia res quamdiu ad manus Domini non pervenit, nõ eſt reducta ad æqualitatem, inæqualitas cauſata ex iniuſtitia. Secundò, quia poſſeſſor malæ fidei obligatur etiam de caſu fortuito. Tertiò, quandiù res eſt in manu portatoris eſt quaſi in manu mittentis, ſic Papia *lib.*5.*q.*31.*art.*2.*nu.*2. Lugo *diſp.*8.*ſect.*9.*n.* 299. Layman.*lib.*3.*ſect.*5.*tract.*2.*c.*12. Bonac.*diſp.* 1. *q.*3.*p.* 9.*n.*3.*&* 8. Leſſius *lib.*2.*c.*6.*dub.*6.*num.* 67. Filiuc. *tom.* 1. *tract.*32.*c.*5.*nu.*135. & multi alij; quibus Colleg. noſtrum Salm. adhæret, & etiam valet de debitore moroſo.

Reſpondet Colleg. ad obiectiones, ſed meo videri non evelluntur difficultates, & reſpondet ex congruentijs.

12 Ego adhæreo primæ opinioni, & illam indico probabiliſſimam; nam iam diximus, quod in caſibus fortuitis, qui ſunt extra humanam prudentiam ad nihil tenemur, præſertim cum operemur bona intentione, ſed quod mihi vim facit, eſt, quod ſtante negativa ſententia, omnes excuſarentur a reſtitutione facienda, nam ſemper timeretur hoc damnum, quod certè debitor non tenetur pati; & licet poſſit hoc inconveniens rarò ſequi, in longum nimis protraherētur reſtitutiones propter iſtud periculum; omnes enī illud adducerent in excuſationem reſtitutionis; quæ debet fieri, quàm primum poteſt, ſub pæna peccati, & tunc adeſset iuſtus titulus dilationis, quod totum non eſt admittendum. Addo tamen hanc conditionē nempè quando per talem Nuntium, debitor cuſtodiam propriorum bonorum in tali caſu committeret.

13 Dicit tamen Colleg. noſtrum hic *tract.* 13. *de reſt. in com. p.* 9. quod ſi debitum non ſit ex delicto, ſed ex re, quam quis habet apud ſe bona fide, vel ex rebus inventis, vel ex iuſto contractu nempè ob mutuum, comodatum, depoſitum, pignus, in tali caſu ad nihil aliud teneri, ſi per nuntium fidelem mittatur. Sed ſolum ratione actionis iniustæ, dummodo non ſit factus ditior. Vide ibi. Res quæ ſunt debitæ in genere, vel in ſpeciè ex contractu iusto ob mutuum comodatum, pignus, ut v. g. tót menſurę vini; Si pereunt, pereunt debitori, ſi in individuo, ut hic liber, hic Equus pereunt creditori, quia adhuc in individuo ſunt ſub eius arbitrio, &c. dummodo non pereant culpa debitoris. Unde in tali casu patet quid dicendum. Nota niſi in contrarium pactum eſſet, ut nunquam debitor mitteret talem rem, niſi per Nū-

tium

tium à creditore aſsignatum. Vide Lugum *diſp* 3. *punct.*9.*nu.*4.6.& 8.Layman.*lib.*3.*ſect.*5.*tract.*2.*c.*12. Vide tamen Colleg.ad quod te remitto.

ART. VLTIMVS

Quæ cauſæ excuſent à reſtitutione?

1 MUltæ ſunt cauſæ excuſantes à reſtitutione.Prima.Eſt Creditoris rèmiſſio libera, nec metu extorta. Secunda Ceſſio bonorum, quæ in conſcientia excuſat ſolùm ratione neceſſitatis; quare ſi ad pinguiorem fortunam redeat,tenebitur reſtituere, retentis tantùm neceſſarijs ad decentiam status, & debet habere propoſitum reddendi, & ſi poteſt in partem, reſtituere. Reſolutus meus *art.* 4. ubi ſupra. Tertia, inopia, & neceſſitas, cum quis non habet unde restituat, & ſi habet eſt neceſsarium ad ſublevandam ſuam extremam neceſſitatem, vel etiam gravem, nam quis non tenetur excidere à decentia ſui ſtatus; dummodo honeſtus ſit, & iuſtè acquiſitus, & creditor ſimili neceſſitate non prematur: In extrema autem neceſsitate licet creditor ſimili neceſsitate urgeatur, non tenetur reſtituere. Res enim tunc ſunt communes. Hic videndus Reſolutus meus,

ubi ſupra, qui aliquas facit diſtinctiones, licet admittat, quod diximus. Quarta. Eſt damnum grave quod pateretur debitor in vita, libertate, fama, ſi cogeretur vendere res ſuas vili prætio, arbitrio viri prudentis, & damnum debet eſse poſitivè grave, & non ratione lucri ceſsantis, penſatis penſandis. Item excuſaris à reſtitutione facienda in ſententia probabili, quàm tutam iudico in foro conſcientiæ, ſi ſine culpa gravi Theologica, ideſt ſine peccato mortali damnum ſequutum ſit, dummodo aliter pacto non ſis obligatus, aut ex eo factus ſis in aliquo ditior. Undè ſi ex oblivione [ut diximus) non extinxiſti candelã, ex qua factum eſt magnum incendium, ad nihil teneris. Si autem periculum prævidiſti, nec adhibuiſti debitam diligentiam, quàm homines illius conditionis communitèr adhibere ſolent mortalitèr peccaſti, & teneris reſtituere. In foro autem externo proceditur ſecundum culpam iuridicam, quæ [ut diximus] dividitur in latam, latiorem, levem, & leviſſimã. Vide Filiucc. *tract.32.cap.5.* Leſſ.*lib.2.cap.16.*

2 Quæres primò. An Uxor, quæ conſumpſit bona viri, & Monachus Monaſterij, remaneant liberi à reſtitutione, quia quidquid acquirere poſſunt ſunt bona viri, & Monaſterij.

Movet hæc dubia Reſolutus meus; ubi ſupra *art.* 4. & alij quos apud ipſum videre poteritis.

Dicendum ergo, quod, cum ſatisfactio non poſſit fieri de re Uxoris, & Monaci, quia proprietas, & dominium eſt viri, & Abbatis, debet fieri per legem Epicheię, ſcilicet modo poſſibili iuxta leg. Exod.22. *Si non habuit fur, quod pro furto reddat. venundabitur.* [illegible] *imitetur legem Dei, qui pro furto Adæ in Paradiſo*

eum

eum fecit ſervum. Terram in labore colendo. Geneſ.

3 Similiter cum Monacus ſit frater, & Uxor Socia propter alienationem rerum Monaſterij, & viri, reddant ſe promptiores ad obſequendum in ſervitijs humilioribus, & ad utilitatem Monaſterij, & viri, hæc Bacconus, quæ prudenter, & benignè intelligenda ſunt, ideſt reddant quantùm poſſunt. Et hic notent Religioſi, quod ſi aliquis factus ſit ditior in aliquo officio ex bonis Monaſterij, ſtatim debet reſtituere id, in quo exceſſit, nec ſufficit dicere poſt mortem omnia mea ſunt Monaſterij, eſſet enim in malo ſtatu, nam qui poteſt in vita, & vult reſtituere poſt mortem, non debet abſolvi.

Diximus quod nemo tenetur reſtitutionem facere cum iactura bonorum Superioris ordinis.

Sed nota quod ſi eſſet minima iactura in bonis Superioris Ordinis (excipe bona Spiritualia) in perſonis diffamatis v.g. in adultera non bonę famæ, cæteris paribus, nec timeatur grave damnum, tunc debet fieri reſtitutio penſatis pēſandis iudicio viri prudentis, nam in latrunculis diffamatis, & ſimilibus perſonis minima adeſt iactura honoris, & famæ, & hoc per ſe. Per accidens etiam tenemur reſtituere cum iactura bonorum ſuperioris ordinis, quando, ex debito non ſoluto cogimus creditorem excidere cum iactura honoris à proprio ſtatu: tunc cum æquali iactura honoris tenemur debitum illi ſolvere, quia in pari caſu melior eſt conditio innocentis. Unuſquiſque autem tenetur cum æquali damno in bonis eiuſdem ordinis facere reſtitutionem, offendiſti Petrum in fama, illam teneris reſtituere, etiam cum iactura tuæ famæ. Falsò aliquem accuſaſti, propter

quod condẽnatus eſt ad mortẽ, teneris veritatẽ manifeſtare cum æquali vitæ periculo.

Dicendum igitur, quod ſi non poteſt ſolvi debitũ abſque notabili iactura bonorum ordinis Superioris, poteſt differri ſolutio, vel in totum prætermitti, quia in tali caſu creditor eſset irrationabiliter ĩvitus, imò peccaret contra Charitatem, ſi vellet cum tanto onere debitorem cogere ad ſolutionem debiti.

Et mihi placet, quod qui habet iuſtam cauſam differendi ſolutionem licèt debitum ſit ex delicto, non teneatur ad reſtitutionem lucri ceſsantis, neque dãni emergentis, quia iſta damna ſolum tenetur debitor reſarcire, cum eſt in mora reſtitutionis, ſed qui habet cauſam iuſtæ dilationis, non eſt in mora reſtitutionis, ergo non tenetur iſta damna reſarcire. Pala. *diſp.* 1. *p.* 12. §. 10. *n.* 2. Colleg. Salmat. *cap.* 1. *tract.* 13. *de reſt.* 1. *num.* 263.

Pro praxi nota ex Caiet. 22. *quæſt.* 62. *art.* 6. quod bona dividuntur in temporalia, & Spiritualia, & iſta ſemper ſunt illis ſuperiora. Temporalia ſubdividuntur in infima, media, & ſuprema. Res familiares, & quidquid pretio ęſtimatur, infimum locum tenent; honor, & fama, medium; Vita, libertas, ſanitas, membra, & virginitas ſupremum. Villalob. *tract.* 11. *diffic.* 21. *n.* 10. benè dicit quod in aliquibus plus æſtimatur honor, & fama, cum à vera procedãt virtute, nobilitate, actionibus.

QVÆ-

QVÆST. IX.

De Scientia requiſita in Confeſſario in ordinem ad inpendendam abſolutionem, & iterandam Confeſſionem.

ART. I.

Quænam ſint impedimenta abſolutionis?

MUltum intereſt, quod Confeſſarius ſciat quando debet negare abſolutionem pænitenti, ut qua decet ſanctitate, hoc tàm ſalubre Sacramentum fructuosè adminiſtret: Et pariter cognoſcat quādo iteranda eſt confeſsio, ut tanquam Medicus ſaluti pęnitentiū provideat. De hoc igitur in ſequenti Capitulo.

In præſenti ad inveſtiganda ſolùm impedimenta abſolutionis accedimus.

1 Sciatis ergo, quod ex multis capitibus oriri

poteſt neceſsitas negãdi abſolutionẽ,Primũ. Ex defe-ctu debiti doloris; qui enim debitum dolorem ſuperturalem non habet, non poteſt abſolvi. De hoc diximus in introductione huius operis pro fundamento &c.ibi vide.

2 Sed quæres, quando Confeſſarius dignoſcere poſſit, an pœnitens habeat dolorem ſufficientem, nec ne?

Sciatis pro praxi. Quod licèt verum ſit, quod pænitenti pro ſe, & contra ſe teneamur credere, hoc verum eſt, dummodo præſumptio vehemẽs facti, verbis ipſius non opponatur. Quare quando dicit ſe habere verum dolorem, & Confeſſarius prudenter dubitat de hoc, neganda eſt illi, aut certè differenda eſt abſolutio, cum Sacerdos ſit Iudex, & debeat etiam de dolore iudicare, ne Sacrilegium committatur. Quare Confeſſarius obſervet. Si pænitens ſpõtè, & ad remedium, quærendum, & non coactè accedat ad Confeſſionem. Si oſtendat in confitendo ſigna veri doloris, ſi à ſua culpa angatur, ſi aliquam emendationem ſecum afferat, aut ſaltem adhibuerit ad hoc diligentiam. In his ergo caſibus illi credendum eſt, nec ei retardanda abſolutio (niſi iſta inditia ſint valdè dubioſa] ne differendo remediũ pereclitetur eius ſalus. Videte Suarez *de pænit.diſp.*31. *ſect.*3 Henriq. *hic*, Laym. *de Sacram.pænit.*

Quod diximus præcipuè accidit in recidivis, ĩ habentibus proximam peccandi occaſionem, & in publicis peccatoribus.

3 Undè ſciatis; quod recidivi ſunt illi, qui frequenter in eadem peccata labuntur, & hi abſolvendi ſunt, ſi habeant ſufficientem dolorem, quia

ſi

ſunt benè diſpoſiti, niſi aliqua rationabili cauſa, illis differenda eſſet abſolutio. Potens eſt Deus illos ſtatuere, unde cum iſtis prudenter agendum eſt à Confeſsario.

4 Illi dicuntur habere proximam occaſionem peccandi, qui ex tali occaſione ſemper, ſeù ferè sẽper peccant. Et notandum quod iſta frequentia eſt intelligenda relativè, non abſolutè, ſemel in Anno. v.g. Aliquis pergit ad nundinas ſemper cum domina hoſpitij peccat, eſt relativa occaſio proxima ad tale tempus, & locum, abſolutè tollenda.

Occaſio iſta proxima duplex eſt, voluntaria, & involuntaria; Involuntaria eſt illa, quæ contrahitur morali neceſſitate; ut v.g. filij familias qui carnaliter peccant cum famula, quam eijcere non poſſunt de domo. Iſti ſi adhibeant remedia à Confeſſario præſcripta, vel ſunt verè parati ad ea exequenda, debent abſolvi, ſecus non. Iſta remedia regulariter sũt, ut non reperiatur ſolus cum ſola; ut exerceat maiora pietatis exercitia; Maiorem frequentiam Concionum, Sacramentorum. Aliquam pænitentiam rationabilem præſervativam. (Quidquid garriant aliqui contra iſtud nomen pænitentię, ne confundant pœnitentiam Sacramentalem cum iſta præſervativa, ſed nimis leviter] igitur quando morali neceſsitate non poteſt tolli iſta occaſio, adhibitis remedijs, iuxta dicta abſolvantur.

5 Circa occaſionem voluntariam ſciatis, quod ſi pænitens non vult relinquere v.g. illam frequentiã adeundi ad Coreas, ad ludos, ad colloquendũ ubi frequenter peccat, non eſt abſolvendus; nec facilè credendum excuſationibus iſtorum, ſed benè penſan-

dæ: Nam ſunt, ut plurimum inventæ ad Confeſſarium.& magis ſe ipſos decipiendos. De quo in quæſt. miſcell.ultima,dicemus abundanter.

6 Nota tamen quod illi qui nolunt diſcedere à domo, à negocio, in quo adeſt propinquum periculum peccandi,quia non poſſunt ſine maxima difficultate, & gravi damno, ſi ſunt parati ad adhibenda remedia à Confeſsario præſcripta, poſſunt abſolvi, quia occaſio etiã propinqua non neceſſitat ad peccandum,licèt timeatur aliquod peccatum. Nam propoſitum efficax, quod eſt actus voluntatis,poteſt ſtare cum periculo morali reincidentiæ, ſi tamen certus ſit moraliter ſe non poſſe vitare peccata, in tali occaſione, tenetur eam relinquere, nec eſt abſolvẽdus. De Lugo *n.*152. Layman. Undè quia Confeſſarius eſt Medicus, differat abſolutionem, donec pænitens relinquat proximam occaſionem, quia moraliter poteſt; poſtea impendat abſolutionem.

7 Publici peccatores illi ſunt, qui nedum habẽt occaſionem proximam peccandi, ſed etiam peccant cum ſcandalo, Iſti non ſunt abſolvendi niſi urgeat gravis neceſsitas,ſed ſunt probandi per aliquod tempus, & ſi ob vehementem contritionem aliquando abſolvendi ſint, ſaltem eſt ei interdicenda per aliquos dies communio, ut ſcandalo populorum detur debita compenſatio.Hic,Sacerdotes advertant,quod ſi abſolvant incapaces abſolutionis, non eſt emendare, ſed cumulare delicta. Ex hac enim facilitate libido omnia prata pertranſijt, omnem carnem coinquinat, inundant fornicationes, graſsantur adulteria, & Confeſsarij cæci dum cæcis ducatum præbẽt, ſimul in foveàm cadunt Inferni. Aut opus tàm ſan-

ctum deferant peritioribus, aut conſtantia Apoſtolica præditi, negent Sancta canibus, Indiſpoſitis Sacramenta. Et tamen proh dolor! omnes in Paſchate abſolvuntur, & ad Menſam Chriſti accedunt cum Iuda; Nec ad Dominicam in Albis perveniunt, niſi habitibus nigris, & conſuetis induti.

8 Secundum Impedimentum abſolutionis poteſt oriri ex defectu veri propoſiti; Sed quia propoſitum efficax non peccandi includitur in vero dolore, & nõ è contra, ideò prætereunda eſt hæc conſideratio.

9 Tertium. Eſt defectus debiti examinis. Qui enim non fecit examen diligens ſuorum peccatorum iuxta tempus, capacitatem propriam, & alias circumſtantias, non poteſt abſolvi.

10 Sed quæres quando dicatur examen diligẽs? Dicendum. Quando adhibetur illa diligentia, quã adhibent viri prudẽtes in negocijs gravibus, vel qualẽ adhibere ſolẽt viri docti, & timoratę cõſcientiæ: licèt maiori adhibita, alia reperirentur peccata. Bonacc. *tom.* 1. *d.* 5. *q.* 5. Layman. *lib.* 5. *tom.* 6. *cap.* 8 Deus enim hoc Sacramentum inſtituit ſecundum vires, & memoriam fragilitatis humanæ. Quare confeſsio nõ eſt impoſsibilis, nec carnificina conſcientię, ut impiè, & ſtultè garriunt hęretici, nec tenemur cogitare de ante actis confeſsionibus, & ſi aliquid occurrit memoriæ, debemus credere illa peccata fuiſse cõfeſsa: dummodò tamen in mentem non veniret aliquod peccatum, quod propter circumſtantias, & gravitatem moraliter, & prudenter iudicaremus nõ eſse confeſsum, tunc enim eſset confitendum, Secũdum dubium, quod circa illud oriretur. In dubijs enĩ quando verè ſunt dubia, tutior pars in ſalutem animæ

eſt

eſt eligenda, præcipuè in dubio pratico.

11 Quartum Impedimentum eſt. Quando quis non facit cum poteſt integram Confeſſionem materialiter licet de hoc, non debeat facilè iudicare Cõfeſſarius. Pro quo ſciatis, quod duplex eſt integritas Confeſſionis. Alia materialis quando omnia peccata confitentur, quæ poſt diligens examem veniunt in mentem. Alia formalis, quando ea ſola confitentur, quæ poſſunt. Moribundus, qui ſenſibus deſtituitur, ſi eſt paratus omnia confiteri, audito uno peccato poteſt, & debet abſolvi, & ſi nec unum confeſſus fuiſset, ſi dediſſet ſigna contritionis eo modo, quo poterat, debet abſolvi, fuit enim eius confeſſio integra formaliter.

12 Undè obſervet Confeſſarius, quod multæ ſunt cauſæ, quæ excuſant ab integritate materiali Confesſionis. Prima eſt impotentia, ut dictum eſt, & militat etiam in muto, in eo qui eſt diverſi idiomatis, nec adeſt Confeſſarius talis linguæ. in his ſufficit integritas formalis, & ſat eſt per nutum unum, aut aliud peccatum ſignificare. Si tamen mutus ſciat ſcribere, tenetur ſic aperire peccata ſua. Contra Caietanum, Navarrum, & alios. Ignarus tamen linguæ non tenetur per interpretem confiteri, niſi fortaſſis in Articulo mortis, in quo ob periculum tutior pars eſt eligenda, quod ſemper conſulerem ſic faciendum, nempè per interpretem; nam aut ſemper validum erit Sacramentum ſine interprete, aut nunquam, ſed (& eſt ſecunda cauſa, excuſans ab integritate materiali Confeſſionis.]

13 Quæres. An ægrotus ſtatim deſtitutus loquela, qui nullum dedit ſignum contritionis, nec dare

re poteſt, ſit abſolvendus ſub conditione?

Iam de hoc reſpondi affirmativè *Art*.2.*q*.1.de caſibus in quibus Sacerdos non approbatus poteſt abſolvere moribundum. Solum hic appono unam limitationem, dummodo non conſtaret deſtitutum eſſe repentè, ratione, & ſenſibus, in ipſo actu peccandi.

14 Tertia, Cauſa excuſans ab integritate materiali confeſſionis eſt. Quando Confeſſario, ſeu pænitenti imminet periculum vitæ. v.g. Si in actu Confeſſionis dubitetur, quod ægrotus deficiat. Si dum reconciliatur ægrotus ad ſumendum Viaticum, Sacerdos ex reconciliatione intelligat multas feciſſe ĩvalidas confeſſiones, & morbi gravitas, aut ſcandalum circumſtantium non patiatur dilationem abſolutionis. Si ipſe Confeſſarius probabiliter eſſet moriturus antequam poſſet audire totam Confeſſionem; Si tempore peſtis moraliter periculum ſit ne Confeſſarius inficiatur, qui tamen ſi audire voluerit totam confeſſionem, pænitens tenebitur ad illam integram materialiter faciendam. Si tempore belli, & naufragij omnes non poſſint audiri, tunc ſufficit dicere unũ peccatum, quod minus infamet.

15 Quarta, Cauſa excuſans, &c. Eſt quando ex tali confeſſione timetur grave damnum proprium, ſeù alienum; temporale, aut ſpirituale, ut cum timetur probabiliter, quod Sacerdos tale peccatum ſit revelaturus. Si Mulier ex tali confeſſione ſciat Cõfeſſarium anſam accepturum ad illã ad turpia ſollicitandam. Si immineat grave damnum in vita, ſeù ĩ fama. Sed hæc pericula non debent ita facilè fingi. Filiucc. *t*.27. C.6. Lugus hic.

16 Ultima cauſa eſt. Si quis non poſset confiteri aliquod peccatum niſi revelando complicem. Sed ego dico in hoc cautè procedendum, nam in Monaſterijs, in Oppidis anguſtis, in Villis, ferè ſemper poſſent fieri Confeſſiones dimidiatè. Quarè circa hoc magna cautela adhibenda, & maximè penſanda eſt qualitas complicis, & infamiæ. In confeſsione enim regulariter non aufertur fama, & ſibi imputet qui peccavit, ſcit enim complicem teneri ad confeſsionem.

17 Quintum impedimentum; Non poteſt abſolvi qui totam confeſsionem faceret nutu, ſeù ſcripto, nulla cogente neceſsitate. Peccaret enim mortaliter, & ideò non poteſt abſolvi. Diana *p.3.c.4.R.*127.Filiucc.*tom.*1.*t.*7.C.1. Suarez. *diſt.*21.*ſ.*3.*nu.*5.

18 Nec eſt abſolvendus qui nullam prębet materiam; qui cum poſsit non vult reſtituere, nec eum qui ignorat ea, quę ſcire debet neceſsariò, etiam in ordinem ad Sacramentum confeſsionis; regulariter enim prius ſunt inſtruendi. Vide Lezan. *Summ. q. Reg. verb. Confeſſio, Confeſſor.*

19 Quęres. An complicitas peccati impediat beneficium abſolutionis?

Dicendum abſolutè non impedire, niſi in illis Diæceſibus, ubi negatur in tali caſu confeſſario facultas abſolvendi, ut in noſtra Lucana, quod valdè decet propter multa incommoda, quæ ex tali confeſsione faciliter ſequuntur; requiritur enim verum propoſitum, & pudor, & tunc videtur, quod impunè peccetur, & quaſi ex pacto. Sed aliquandò poteſt eſſe expediens, cum illud peccatum rarò ſit commiſſum, & emendatum; & pænitens nimis angatur alteri cõ-

fi-

fiteri , raro tamen , & prudenter hoc faciendum , cũ magna humilitate,& prudentia , & ſolùm ubi non adeſt ſpecialis prohibitio. Vide Bonac. *de Sacram. Diſp. 5. qu. 7. par. 5.* §. 5. *n.* 10.

Qui enim propter iſtas cauſas non poteſt abſolvi, & fuit abſolutus ignorantia Confeſsarij, aut malitia pænitentis , debet iterum confiteri .

ARTIC. II.

Quando debeat iterari Confeſſio?

1 DOctor meus Reſolutus *art. 3. qu. 1 in 4. ſent.* recenſet quinque cauſas propter quas iteranda eſt confeſsio , ipſum videatis; Nã nos ex eius Doctrina , & principaliorum Theologorum, aliqua annotabimus .

2. Sciatis ergo , quod Confeſsio ſit iteranda, poteſt procedere ex parte Confeſſarij , vel pænitentis .

Ex parte Confeſſarij oritur; Si non approbatus audivit confeſsionem , nec fuerit titulus coloratus; & ſi erat approbatus , eius iuriſdictio erat impedita per cenſuram , vel vitiavit eſſentialiter formam abſolutionis , vel non habuit intentionem abſolvendi , vel nullum peccatum intellexit , dico nullum , quia ſi ob ſurditatem , aut aliud impedimentum aliqua non intel-

tellexit abſque malitia pænitentis, eſt benè abſolutus, ſed ſi pænitens adverteret, debet repetere. Si pænitùs ſit imperitus, neſciatque diſcernere iter mortale, & veniale, aliqui dicunt non validè abſolvere cum Toleto, alij volunt poſſe, ſi bona fide pænitens ei ſit confeſſus. Diana *p*.3.44.*R*.121. Hic dicit Lezana, Verbo Confeſſio. Quòd quando adſunt duæ opiniones probabiles circa iuriſdictionem Confeſſarij, ſi ille ſequatur bona fide unam ex illis, eſto ſpeculativè ſit falſa, validè tamen abſolvit, quia Eccleſia in tali caſu illi tribuit Iuriſdictionem &c. & ſubiungit; quod eſt valdè notandum pro Regularibus, quando ſunt opiniones diverſæ, circa valorem privilegiorum, quæ habent ad abſolvendum. Sanch. de *præcept. Decal. t.*1.*lib.*2.*cap.*9.*n.*35. Diana *par.* 2. *tract.* 13. *Reſol.*2. & alij apud ipſos, etiam quod opinio affirmans habere Iuriſdictionem eſſet minus probabilis. Sanch. & Diana, ipſos videatis. Nihil pono de meo. Sed iſta opinio debet eſſe verè probabilis. Ex parte Pœnitentis ultrà caſus enumeratos. Si mortale tacuit, ſi de eo ſe falsò accuſavit, ſi non fecit debitũ examen conſcientiæ, ſi non habuit debitum dolorem, in quo includitur propoſitum efficax non peccandi, quod poteſt ſtare cum periculo morali reincidentiæ, nam propoſitum efficax eſt actus voluntatis, periculũ reincidentiæ, eſt actus intellectus cognoſcentis propriam fragilitatem. Quare ſemper donum perſeverantiæ humiliter eſt à Deo petendum. Hoc in praxi nota ad removendos ſcrupulos eorũ qui attenta propriâ fragilitate, dubitant de ſuo propoſito, an fuerit efficax. Laym. *lib.*5.*tract.*6.*cap.*4.*n.*8. & Marchantius *tom.*1. Tribun. *tract.* 4.*tit.*3.*q* 3. Si noluit tollere

occaſiones, & cavere proxima pericula peccandi, ſi doloſè quæſivit Confeſſarium indoctum, ſeù ſurdum, ſi ipſe pænitens fuiſſet excommunicatus, nec de ea abſolutus.

3 Sed ſi confeſsio repetatur antè eundem Confeſſarium, ſufficit accuſare ſe de peccatis, iam illi cognitis, adducendo cauſam propter quam iteret ſuam Confeſsionem; & ſufficit quod Confeſſarius ſaltem in confuſo recordetur ſtatus pænitentis. Diana *p.*3. *t.* 4.*Reſol.*123. Vaſq. Tolet. Laym. Sà. v. g. dicat: Pater ī præterita, ſeù in duabus præteritis confeſsionibus propter defectum veri propoſiti, ſeù omiſsionis talis peccati mortalis, confeſſus ſum ſacrilegè, doleo, & iterum me accuſo de peccatis, quæ dixi, tunc proſequatur ſuam confeſsionem, fideliterque reſpondeat ad ea, de quibus prudens Confeſſarius interrogabit; hoc obſervent pænitens, & Cōfeſſarius pro praxi. Pariter nota, quod qui fecit Confeſsiones volūtariè ſacrilegas, poſtea bona fide, & legitimè multas alias fecit, non tenetur repetere illas, quas bona fide fecit; Sed ſufficit repetere factas ex errore culpabili.

4 Quæres. An quando Pænitens habet ſufficiētem dolorem, & confitetur omnia peccata, quorum recordatur, ſed non fecit examen ſufficiens conſciētiæ, ſed ex ignorantia mortaliter culpabili iudicavit talem diligentiam eſſe ſufficientem, quæres inquā an iſta confeſsio ſit informis, & valida?

Multi negant, & verè probabiliter.

Alij tamen dicunt eſse informem, ſed validam, ſic Sotus, Canus, Caietanus, Ioann. de la Cruz. Petrus Faij, Nunnus, Petrus de Ledeſma, Covarruvias, quos refert

refert Diana *tom.2.tract.17.Reſol.31.*Gerſon.*tractat. 34.litt.*1.ubi quadruplicem diſtinguit fictionem : Prima eſt pernicioſè mentiens, ſecunda,doloſè dimidians ; Tertia, patenter inficians, quarta inſufficienter diſcutiens, & dicit in tribus primis repetendam eſſe Confeſsionem, ſed in quarta non dari iſtam neceſsitatem. Henriq. *lib.2.de pæn.cap.*11.Filiuc. *tract.* 7. *de Conf.cap.6.num.*132. Noſter Gabriel à S. Vincentio *de Sacram Pœnit.diſ.6 q.*1.Et moventur,quia talis cōfeſsio ex intentione pænitētis fuit integra nihilominus, & habuit voluntatem omnia dicendi, & adhibuit aliquam diligentiam circa hoc, licet non omnē fuit ergo illa Confeſsio integra formaliter, quare fuit valida. Quia tamen ut ſupponitur fuit mortaliter culpabilis, non fuit formata gratia Sed informis, & dicūt quod talis examinatio conſcientiæ, fuit diligens in iſto caſu ex intentione, & etiam quod obligatio integrè confitēndi materialiter eſt de ſubſtantia confeſsionis ſcienter, non autem ignoranter; ut occurrant obiectionibus, quæ poſſunt fieri ; ſed am ſolidè ? tu vide ; Colleg.Salmat.noſtrum dicit, quod hæc opinio non caret omni probabilitate, ſed inclinat in oppoſitam ſententiam negativam ; nec video quomodo iſta poſsit ſubſiſtere. Solum ex dictis in ultimis duobus articulis, imò talis operans ex ignorantia culpabili peccat in actu confeſsionis, & non eſt capax abſolutionis. An verò poſsit dari Sacramētum validum, ſed informe ex defectu doloris incúlpabiliter, ſuper aliquod mortale controvertitur. Vide de Lugo *diſp.14.per tot.ſect.6.& 7.*

QVÆ-

QVÆSTIO X.

De Scientia requiſita in Confeſſario, circa modum dandi, & commutandi pœnitentias Sacramentales.

ARTIC. I.

An ſit neceſſarium imponere pœnitentiam in Confeſſione Sacramentali?

1 SCiat Confeſſarius pœnitentiam de qua hic loquimur, eſſe partem integralem Sacramenti pœnitẽtiæ, quare non eſt de neceſſitate ipſius Sacramenti, ſed de neceſſitate præcepti, ideoque regulariter eſt imponenda, & quidem ſub mortali. Suarez hìc, Reginaldus *tom.* 1. *n.* 7. *nu.* 12 & eſt certiſsimum.

2 Sed tota difficultas eſt an ſemper neceſſe ſit aliquam iniungere pœnitentiam; ideoque Sacerdos aliquam non imponens pœnitentiam, peccet mortaliter?

Dicendum cum Cardinali de Lugo, & Diana parte 6. non peccare mortaliter, ſed ſolum venialiter Sacerdotem nullam imponẽdo pænitentiam pro venialibus, aut mortalibus, iam ritè confeſſis. Datur enim parvitas materiæ in hoc præcepto, & ſicut Iudex non peccat, ſi non imponat modicam pœnam pro modico delicto, ſic à pari: Sed quia pænitentia eſt pars integralis Sacramenti, ideò ſaltem venialiter peccabit. Quare Confeſſarius quantũvis videat Pænitentem contritum, proximum morti, dummodo non ſit deſtitutus ſenſibus, ſemper aliquam modicam pænitentiam iniungat.v.g. ut corde invocet Nomen IESU, & ſi opus ſit, poteſt dari ſub conditione ſi cõvaluerit. *Cap.ab infirmis 26.qu.* 7. Caveat tamen, ut pro pænitentia, dicat quod patienter ſuſtineat infirmitates, nàm hoc eſt angere infirmũ, timentem ſe nõ ritè ſatisfacere, poteſt tamen iniungi opus alias præſcriptum, & iniungi poteſt ad arbitrium pænitentis, dummodo exiſtimetur congrua ſatisfactio, nam tunc virtute clavium fit Sacramentale. Mercerius *in ſupplem.p.3.q.15.dub.2.nu.5*. Et ſic Confeſsarius ligat, & ſolvit. Ligat quia imponit pænitentiam neceſſariò implendam: ſolvit quia eam implenti, pænam Purgatorij commutat in aliam mitiorem. Et poteſt imponi gravis pœnitentia, quę obliget ſub culpa levi, non levis, quæ obliget ſub culpa gravi. Merolla *tom.* 12.*diſp.*4.C.3.*dub.*25.*n.* 183. & poteſt imponi pœnitentia adimplenda per alium, cum adeſt cauſa iuſta, & tunc ſi fiat præcibus, & iſtantia pænitentis, dicetur opus perſonale ipſius, accedente voluntate Cõfeſsarij. Suarez *tom.*4.*diſp.*18.*ſect.*9. debet hoc tamen facere a principio quando imponit pœnitentiam.

3 No-

3 Nota pro praxi. Quod pęnitentia melius imponitur ante abſolutionem, quam poſt, ut aptius obſervetur ordo iudicij, ſed de hoc nulla eſt obligatio; præcipuè quandò moraliter ſcitur Pænitentem eam eſſe acceptaturum.

Quęres an poſſit iniungi pro pænitentia opus pro Animabus Purgatorij v.g. Roſarium pro dictis Animabus?

4 Quidquid dicat Sancius *ſelect.diſp.16.nu. 1.cũ alijs multis*.

Dicendum poſſe cum noſtro Salm.Colleg. *tract.6. cap.10.hic de Sacram.in genere*. Hoc firmat ſenſus fidelium, & praxis Doctorum & piorum Confeſſariorum, qui hoc faciunt. Et Catechiſm. Rom *tract. de Sacram.Pænit.in fin.* commendat hoc genus pænitentię tanquam eleemoſynam ſpiritualem, ex quo fiet, quod Animæ Purgatorij rogabunt pro ſuo ſuffragatore. Nec obſtat quod Sacramentum pænitentiæ ſit inſtitutum ad delenda peccata pænitentis, tàm quoad culpam, quàm quoad pænam, nàm hoc provenit ex opere operato, & virtute Sacramenti; quod communicari non poteſt Animabus Purgatorij, ſed illis communicatur effectus, & ſatisfactio correſpõdens illis orationibus, quatenus procedunt ex opere operantis. Quam opinionem in praxi ſecutus ſum.

5 Quæres ſecundò. An ſi credatur quod vir Sãctus ſatisfecerit plenè pro præteritis peccatis, aut ſi Confeſſarius videat intenſiſſimam cõtritionem, poſſit tunc nullam iniungere pænitentiam ſine peccato?

Dicendum negativè, nam de hoc non poteſt cõſtare ſine Divina revelatione. Ideo sẽper eſt aſſignãda ſaltem aliqua levis ſatisfactio; ſicuti debet fieri

ſcrupuloſo, ſæpius eadem peccata confitenti, cui tamen ſufficit leviſſima. Et hæc in praxi ſunt ſequenda.

6 Quæres. An ſi peccata ſint ſecreta poſſit pro eis imponi pœnitentia publica?

Dicendum non poſſe, ſed ſi peccata publica ſint, & ſcandaloſa, poteſt nedum aſſignari pænitentia publica, ſed etiam aliquando eſt neceſſarium. v.g. quando ſcandalum non ceſſaret, tunc ut ſcandalum emẽdetur debet aſſignari pænitentia publica. D. Thom. *in* 4.*diſt*.17.*q*.3.*art*.4.*quæſtiunc*.4.*ad* 4. eſt communis; & videtur deciſum *in cap*.1.*de pænit*. *& remiſſionibus*, & à Triden.*ſeſſ*.24.*cap*.8.*de Reformat*. quod dicit Cõcilium, intelligendum eſt etiam de foro pænitentiali. Si tamen talis pœnitentia non eſſet neceſſaria ad removendum ſcandalum, poteſt, & debet omitti, ſi pænitens ægrè ferat, & non conſentiat; præſertim, cum pænitentia publica videatur quædam revelatio Confeſſionis, ideò non debet imponi pænitenti non conſentienti; verum eſt, quod quando eſt neceſſaria ad ſcandalum removendum, ut dictum eſt, non debet pænitens reluctari, aliòquin non abſolvendus.

7 Hic nota ex Baccone Reſoluto meo *Diſt*. 14. *q*.2.*art*.2. Quod pænitentia dividitur in ſolemnem, publicam, & privatam. Solemnis imponitur pro crimine publico, & vulgatiſſimo, quod commovit totam Urbem, & imponitur cum ſolemnitate *in pri. quadr. in Cap*.26.*q*.6.*cap. ultimo*. Publica eſt, quæ fit publicè in facie Eccleſiæ, non cum ſolemnitatibus, ut v.g. cum iniungitur in facie Eccleſiæ, Peregrinatio cum baculo, *in Summa de Pęnit. & remiſſ.* Solemnis à ſolo Epiſcopo imponitur, vel ab eius Deputato, publica, & privata a quolibet Sacerdote poteſt imponi

ni. De modo imponendi ſolemnem pænitentiam, vide ipſum, loco citato. Epiſcopus debet imponere manum ſolemniter pænitentibus, debet ei dare cilicium, & comam eis auferre, ſed tantum viris, & veſtimenta mutare *diſt.50.pænitentes*; In principio Quadrageſimę ante fores Eccleſiæ debent Epiſcopo ſe præſentare ſacco induti, nudis pedibus, vultu in terram demiſſo, ubi taxanda eſt pænitentia; tandem poſt varias cæremonias in Eccleſia, ab ipſa debent expelli, cantando *In ſudore vultus tui*, & alia facere, ipſum vide. Nunc peccatores ſceleſtiſsimi recidivi, & malitioſi anguntur, Si eis imponatur unum ieiunium, & una diſciplina, nec cogitant gravitatem culpæ, infinitatem offenſi, atrocitatem pænæ, hæc pro praxi dicendorum notet prudens Confeſſarius, licet his temporibus non ſint in uſu.

ARTIC II.

Quanta ſatisfactio imponenda ſit? & an Pænitens teneatur eam acceptare.

1 PRo maiori intelligentia ſciatis, quod hic nomine ſatisfactionis accipitur aliquod opus bonum, laborioſum, Deo gratum, factum in ſatisfactionem pęnæ temporalis debitæ Deo pro peccatis; & tria ſunt principaliora. Nempè oratio. Eleemoſyna, & ieiunium, ad quæ cætera reducuntur. Et in Sacramento habent vim ſatisfaciendi ex opere operato maiorem, quam extra; Si tamen exequatur in ſtatu peccati mortalis iniuncta ſatisfactio, non ſortitur effectum ſuum, cum ſit opus inimici, ſed ablato obice, nempè peccato, pium, & valdè probabile eſt ſortiri effectum, præcipuè ſi pænitens, ſibi complaceat, approbet, & gaudeat de ſua ſatisfactione. Et huic ſatisfactioni ex opere operato correſpondet etiam augumentum gratiæ habitualis. Sotus *in* 4. *diſt.* 12.*q.*1.*art.*2. Noſter Gabriel à S.Vincentio *de Sacr. Pænit. diſp.*12.*q.*1.Granados *tom.*5. *de pænit. tract.pr. diſp.*3.*nu.*2 & alij multi.

2 Sciatis etiam, quod poteſt iniungi in pænitentiam opus internum, ut pia quædam meditatio v.g. Paſſionis, ſeù bonitatis Domini. His notatis.

Vi-

Videndum eſt quanta debeat eſſe iſta pænitentia?

3 Doctor meus *in 4.diſt.14.q.3.art.* 1. Enumerat pœnas taxatas per canones antiquos,qui canones sũt videndi à Confeſſario, & pænitente, ut ſaltem cognoſcant, quomodo antiqui Chriſtiani erant parati ad ſatisfaciendum Deo, & tepiditatem noſtram his temporibus, ut ſupra tetigi. In ſecundo articulo ponit aliquas pænas deletas per novos Canones. In tertio, docet quomodo pęnitentia ſit moderanda, &c. & quomodo conſideranda ſit pæna arbitraria, & dicit quod debent attendi, in hoc aliquæ circumſtantiæ aggravantes, nempè

Aggravat ordo, locus, perſona, ſcientia, tempus
Ætas, conditio, numerus, mora, copia, cauſa,
Eſt modus in culpa, ſtatus alius, lucta puſilla.

4 Sed cum Gloſa *Inn.*3.concludit:Sic ſanet ægrotum, ut potius reddat rationem de miſericordia,quã de crudelitate. Dicit quod non eſt danda pænitentia morituris intellige iuxta dicta; & ijs qui intrant in Religionem, toto enim tempore vitæ debent eſſe obedientiæ condictioni addicti, *de pænit diſt.*1.*menſuram*; & tali ſtatus eſt continuum exercitium pęnitẽtiæ *In* 4.dicit,Confeſſarius igitur licet habeat arbitrium, non tamen pro libito præcisè aſſignet pænitentiam, ſed iuxta æquitatem iudicij ad vindictam, & caſtigationem peccatorum, attentis, & penſatis õnibus circumſtantijs. Et Trident.*ſeſſ.*14.*cap.*8.de hoc monet Confeſſarium, terribilibus verbis.

5 Nihilominus excuſatur Confeſſarius imponẽs pro magnis peccatis parvam pænitentiam. Primò ſi videt in pænitente magnam contritionem, cum qua multum ſatisfeciſſe credendum eſt. Secundò. Si pro-

babiliter dubitat eam non eſſe impleturum, tunc pænitens alliciendus, ne deſperet. Tertiò, nimia debilitas corporis, nam in tali caſu debet eum excitare cum parva pænitentia ad magnam contritionem. Quartò, tempore Indulgentiæ plenariæ. Nec placet alia ratio, quæ ab aliquibus affertur, quia in præcibus abſolutionis dicitur, *ut quid quid boni feceris, & mali patienter ſuſtinueris, &c.* Nam iſta verba depræcatoria ſunt. Avverſ. *qu.* 13. §. 7. Vide Granados *tract.* 12. *diſp.* 5. *n.* 4. Laym. *de Sacram. Pænit. n.* 5. Placet autem hic pro praxi apponere pænitentiam, quã Comitolus *lib.* 4. *qu.* 11. *nu.* 8. cenſet imponendam homicidæ voluntario, ut ex hoc diſcant Cõfeſſarij, quid quid prudenter agendum. Primò. Quod ſupplex accedat ad propinquos interfecti veniam poſtulaturus. Damna illi reſtituat; pro ſalute occiſi ſaltem ſingulis hebdomadis celebrare curet per Annum, ſi tamen habet poſſibilitatem, & per idem tempus faciat eleemoſynam. Litanias, & Beatæ Virginis coronam quotidie flexis, & nudis pedibus recitet per totam vitam, & Confiteatur per Annum per ſingulas hebdomadas, quolibet Menſe ſe communicando.

Homobonus par. 2. de caſibus reſervatis de Homicidio, in paucis differt. Sed notat quod ſi Homicida fuit cauſa, ut pro occiſo non dicantur tot Sacra, & fiant alia opera pia, quæ præcepiſſet occiſus, niſi tali morte perijſſet; Homicidã tunc teneri ex iuſtitia ad compenſanda talia opera. Reginald. *ſeſſ.* 2. *num.* 319. ſed hoc mihi videtur valdè incertum, & ſolum iudico relinquendum arbitrio Confeſſarij prudentis, penſatis penſandis, ne Medicina nimis purgativa, potius debilitentur, quam adiuventur ægroti.

Que-

6 Quæres primò. An ſi pænitens nullam pænitentiam acceptare velit poſſit abſolvi?

Dicendum breviter. Pænitentem communiter teneri acceptare pænitentiam ſub mortali, & implere ſi rationabilis ſit; & ſi recuſet ſaltem leviſſimam pænitentiam nõ facile eſt abſolvendus, quia nõ videtur diſpoſitus. Faber *in 4.diſt.9.q.unic.diſp.35.cap.* 10.*n.* 26.cum alijs vult Pęnitentem non teneri acceptare pęnitentiam ſatisfactoriam, ſi velit alijs operibus, puta Indulgentijs, aut in Purgatorio ſatisfacere. Ego autem nunquam abſolverem quemcumque qui licet oſtenderet magnam contritionem, nullam vellet acceptare pænitentiam, eſset enim mihi multum ſuſpecta illa contritio, ne dicam, illa temeritas. Et hæc eſt ſententia in praxi tenenda. In aliquibus tamen caſibus cenſeo cum varijs Doctoribus pęnitentiam obligare ſub veniali. Primò. *S*i ſit impoſita pro ſolis venialibus. Secundò. *S*i pro mortalibus alias confeſſis. Tertiò. Quando omninò eſt de parte non gravi pænitentiæ, aut quando tota eſt levis.ut v.g.unum miſerere. Quartò. Si Confeſſarius obliget ſub veniali. Quintò. *S*i pænitens lucretur Indulgentiam plenariã. Tẽpore enĩ Iubilæi, & *I*ndulgẽtiæ Plenariæ, nõ ſolũ poteſt, ſed debet Confeſſarius leviores iniungere pęnitentias. Eſt enĩ Indulgentia gratia quædam, qua adimpleto aliquo opere, quod à concedẽte pręſcribitur, remittitur pæna temporalis (non culpa) per applicationem ſatisfactionum Chriſti, & *S*ãctorum: non meritorum, nam iſta propria ſunt *S*anctorum, & coronanda in *C*ælo, licet Indulgentia fundetur etiam in meritis Chriſti. Quare ſi iſtam lucratur, ſi eſt plenaria, cum ſatisfactiones Chriſti ſint infinitæ, ſatisfacit pro omni pæna de lege ordinaria

bita pro peccatis actualibus. *Mille licet ſumant deperit inde nihil*.

7 Unum hic notandum, quod nemo conſequitur Plenariam Indulgentiam peccatorum omnium, niſi etiam ab omni culpa veniali liber ſit, quandò exequitur ultimum opus, quare etiam levia deteſtentur, & de ipſis eliciatur actus doloris, & ultimum opus communio ſit, ad maiorem ſecuritatem. Vide Layman. Quandò tamen aliter non præcipiatur. Moneo tamen tutius eſse ad acquirendam Indulgentiã opera iniuncta debere perfici in ſtatu gratiæ, maxime quãdo cõferunt ad finem per quem Indulgent ia confertur v.g. ad placandnm Deum, ad pacem impetrandã, nam Deus peccatores non exaudit. Bellarminus, Sotus, Caietanus. Et hæc ſententia in praxi eſt conſulenda, quia verè eſt tutior, licet oppoſita ſit probabilis.

Pro pinguiori doctrina nota quod de Fide eſt dari in Eccleſia poteſtatem cõcedendi Indulgentias, quæ eſt poteſtas remittendi pænas temporales debitas in foro Dei, etiam èxtra Sacramentum, & Sacrificium Concil Trid. *Seſſ.* 21. *cap.* 9. *& ſeſſ.* 25. *in Decreto de Indulgent*. Leo X. *in Bulla contra Lutherum*. Et uſus concedendi Indulgentias antiquiſſimus eſt in Eccleſia S. Thom. *in* 4. *diſt.* 20. *par.* 1. *artic.* 30. *qu.* 2. S. Gregorius inſtituit Stationes Eccleſiarum Romæ, & ſeptennem indulſit Indulgentiam; Et in Eccleſia noſtra S. Martini in Mõtibus in marmore exciſa legitur antiquiſſimis literis Indulgentia illi Eccleſiæ conceſſa à Sergio Secundo, qui creatus fuit Pontifex Anno 448. & aliqui probabiliter volunt talem uſum incepiſſe tempore Apoſtolorum, quod conſentaneum eſt,

Nàm

Nam cæteri Pontifices antiquiſſimi, non introduxiſſent novitatem talem in re graviſſima, Verba enim Chriſti ex Matth.*cap.*16.ſatis clara ſunt: *Et tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcumque ſolveris ſuper terram &c.* Iſta enim Poteſtas in ordinem ad aperiendũ, & claudendum Cælorum Regnum fuit data ſimpliciter, & abſolutè, & cũ per Indulgentias tollatur id, quod impedit ingreſsũ in Regnũ Dei, ſequitur tunc à Chriſto collatã eſſe Eccleſiæ poteſtatẽ Indulgentias concedendi, & benè hoc deducitur. Vide Suarez *de Pænit diſp.* 49. Palaum *tract.* 24. *par.* 2. *num.*6. Concordant enim Doctores Poteſtatem conferendi Indulgentias eſſe poteſtatem Clavium, & eſt poteſtas iuriſdictionis Spiritualis, non Ordinis in actu habiti, nam Legatus à Latere, & Epiſcopus electus, licèt non ſint Sacerdotes poſſunt concedere Indulgentias. Indulgentia enim formalitèr non eſt opus Sacramentale, ſed eſt pænæ remiſſio temporalis, quæ fit extra Sacramentum. Et nota quod inferiores Prælati habent à Papa Poteſtatem conferendi Indulgentias, & ipſe à ſolo Deo, quare poteſt reſtringere auctoritatem conferendi ratione Principatus, & iuriſdictionis per Innoc. *Cum ex eo.* Reſolutus meus 4.*ſen.diſt.*24.*quæſt.*1.*art.*2.

Hic nota, quod principalitèr, & directè non poteſt Superior ſibi concedere Indulgentiam, quia in ſe ipſum non habet iuriſdictionem, poteſt tamen uti Indulgentijs conceſſis ad bonum commune, quia æquitas poſtulat, quod ea, quæ conceduntur ad favorem Communitatis, communia ſint etiam concedenti, nã eſt unus de Communitate. Sed

Quæres primò. Quid ſibi velint illa verba aliquarum Indulgẽtiarũ ubi dicitur; Remiſſio à culpa, & à pæna.

Notandum quod talis modus loquendi à Doctoribus repræhenditur tanquam improprius, & dicunt tales Indulgentias non emanare à Curia; Videatis Suarez *diſp.*50.*ſect.*1 Sylveſtrum verbo *Indulgentia n.* 24. Tabien.*n.*3. Quare tales Bullæ ſi invenirentur eſſent ſuſpectæ de falſitate, ſed quidquid ſit de hoc, dicendum talem locutionem intelligendam eſse præſuppoſitivè, nam ſupponit remiſſionem Culpæ per Confeſſionem in ordinem ad lucrandam Indulgentiam.

Nec placet quod dicit Suarez, & alij tunc dari facultatem abſolvendi à Caſibus reſervatis, illis qui lucrari volunt Indulgentiam.

Unum noto quod Indulgentia, quæ eſt remiſſio pænæ debitæ pro peccatis, eſt quædam remiſſio peccatorum, ut evidenter probatur 1. Machab. 12. iſtis verbis; *ut à peccatis ſolvantur*; Sic poſset etiam reſponderi.

Quæres ſecundò, Quid requiratur, ut is, qui lucratus eſt Indulgentiam poſſit omittere Pænitentiam Sacramentalem ſibi iniunctam à Confeſſario, iuxta quantitatem tamen, & modum conſecutæ Indulgentiæ, & loquimur etiam de Indulgentia partiali, dummodo ſit proportionata impoſitæ Pænitentiæ.

Certum eſt, ut diximus talem eſſe liberum ab obligatione implendi pænitentiam, itaut quandò aliquis lucratus fuerit plenariam Indulgentiã liber remaneat ab omni pænitentia implenda, nam remanet liber ab omni pæna Ergo. Sic ſentit S. Thom. 4. *Diſt.* 20. *q.* 1. *art.* 3. Lezana noſter verbo *Iubilæum nu.* 21. & eſt opinio communis; deducitur etiam ex *cap. cum ex eo. De Pænit. & remiſ.* Et ex Trident. *ſeſſ.* 25. *in Decret. De Indulg.*

Quæ-

Quæritur ergo quid requiratur ad hoc ut pænitẽs poſſit tuta Conſcientia omittere Pænitentiam Sacramentalem in tali caſu.

Dicendum quod ille, qui vult omittere Pęnitentiam impoſitam à Confeſſario ob conſequutam Indulgentiam, debet habere cognitionem certam conſecutæ Indulgentiæ, nec ſufficit cognitio probabiliſſima, ſi ſecum non afferat moralem certitudinem, nam quando res manet dubia, ualet illa regula, quod in dubijs an lex, ſeù præceptum ſit abrogatum, remaneat in poſſeſsione præceptum.

Sed dices: hoc eſt impoſsibile, & ſemper annexum multis ſcrupulis, quare bene dixit Diana *quæſt.* 5.*tract.*12.*reſol.*3.quod ſufficit ſi pænitens probabiliter iudicet fuiſſe conſecutum Indulgentiam.

Sed Reſp. Quod tunc Pænitenti conſtabit, quandò omnibus benè penſatis, nihil conſcius erit, quod habuerit aliquid, quod potuerit impedire conſecutionem Indulgentiæ. Suarez *tom.*2.*in* 3.*par.diſp.*38.Bonacc.*diſp.*5.*qu.*5*ſect.*3.*par.*4. *nu.* 10. Quare hæc Doctrina maturè, & rarò conſulenda in praxi.

Quod valet etiam de Pęnitentia impoſita medicinali in remedium futuri peccati in caſu reicidentiæ. dummodo ad iſtam pænitentiam medicinalem acceptandam pænitens non teneatur iure naturali, ſeù divino, aut poſitivo, v.g. ad fugiendam occaſionem proximam peccati, ad reſtituendum &c. ut dicit De Lugo; nàm iſtæ pœnitentiæ iure naturali, aut divino &c. ſunt neceſſariò acceptandæ. Lugo *diſp.*27.*n.* 24. Alij tamen negant de omnibus pænitentijs medicinalibus; Et alij dicunt non poſſe Confeſſarium iniungere invitis pænitentias præſervativas, ſed demõ

ſtrare tantum onus, quod habent pænitentes ad præcavendum, nam Medici non eſt imperare, ſed conſulere; Vide Suarez *tom.4. diſp.* 28.*ſect*.10.*punct*.3. Lezanam verbo *Iubilęum*.

Quæres Tertiò quomodo debeant intelligi illa verba quando in Indulgentia ponitur particula: *De iniunctis pænitentijs*, nempè an debeant Intelligi de Pænitentijs iam iniunctis à Confeſsario.

Dicendum debere intelligi de iam iniunctis, & de iniungendis, nempè de iniunctis ab homine, seù à Lege, vel à Deo ſtatuente pænas iuxta qualitatem delicti; Et ſic Indulgentiæ tantùm valent quantum ſonant. Sufficit enim quod ſint iniunctæ à Lege poſitiva, ſeù divina, aut à Deo ipſo. Suarez *diſp.* 50.*ſect*.3.*nu*.19.Layman. *lib* 5.*tract*.7.*cap*.3.*verſ. An verò*. Lezana verb. *Iubilæum*, & alij multi.

Quæres Quartò. Quænam ſit Indulgentia plena, plenior, & pleniſsima.

Dicendum Indulgentiam plenam, ſeu plenariam eſſe totalem, & ſecum ferre remiſsionem totius pęnæ debitæ pro peccatis. Suarez. *diſq*. 50.*ſect* 4. *nu*. 7.Lezana verb. *Indulgentia num*. 3.& *verb.Iubilæum n*.4.Lugo *diſp*.27.*ſect*.8.*nu*128. Toletus *lib*.9 .*cap*. 24. *n*.2. Vide Paſſerinum *de Indulgentijs qu*.12.*n*.132. Et licet Bonifacius VIII.diſtinxerit in plenam, pleniorem, & pleniſsimam, hoc fecit ad Maiorem exagerationem, & explicationem, quod ipſe concedebat totam, & omnimodam Indulgentiam, quantam virtute Clavium conferre poterat. Vide Gloſſ.*in dict Extraug*.Nam ſic declaravit idem Pontifex in Conciſtorio.

Quęres 5.An quando in formula Indulgẽtiæ adeſt

clau-

clauſula: *Verè pænitentibus*, *& confeſſis* neceſſariò ſit præmittenda actualis Confeſsio, etiam quando aliquis eſt in ſtatu gratiæ.

Dicendum primò ex lege Divina neceſsariam eſſe, & ſufficere contritionem, ideſt ſtatum Gratię ad acquirendam Indulgentiam.

Dicendum ſecundò. Quandò concedens Indulgētiam requirit Confeſsionem tanquam opus præmittendum, eſse neceſſariam veram Confeſsionem actualem, nec ſufficere in voto, v.g. quando dicitur: *Præmiſſa tamen Confeſſione*. Sed inquiris an qui ſolum habet peccata venialia, neceſſariò debeat confiteri? Communior opinio eſt negativa; nam quando Pontifices concedunt Indulgentias intendunt Iuſtificationem, & converſionem peccatorum, ſed qui habet venialia tantùm, Iuſtus eſt, Ergo. Vide De Lugo *diſp*.27.*nu*.100. Lezanam verb. *Iubilæum nu*. 15. Sed nota cum Paſserino hic *qu*.28. Quod ſi Pōtifices nullum aliud opus iniungerent præter Confeſsionem, tūc certè requireretur actualis Confeſsio alicuius peccati, etiam alias confeſsi.

Melius tamen, & tutius eſt, meo videri ſemper præmittere Confeſsionem, nam per Sacramentum augetur Gratia ſanctificās, & ut inducantur Fideles ad tam ſanctum Sacramentum ſuſcipiendum, quod poteſt intendi à Pontifice. Et ſemper premittendam eſſe confeſsionem, quando præcipitur, ut opus iniunctum, quod veriſimile eſt talem eſse ſemper mentem Pontificis concedentis Indulgentiam propter iam allatas rationes. Et ſciātis quod non acquiritur Indulgentia ſi non adimpleātur opera iniuncta, nec ignorantia excuſat, nec impotentia niſi ex conceſsione

Pon-

Pontificis ſubrogantis ob talem impotentiam alia opera pia, quod adeo verum eſt, quod ad ea exequéda tenetur etiam ſummus Pontifex, niſi commutet opera iniuncta in alia opera pia, vel ſecum diſpenſet (cum cauſa tamen] totum opus iniunctum relinquendo, nam Pontifex poteſt Indulgentiam concedere nullo opere iniuncto, iuſta cauſa hoc requirente, v.g. Gratitudinis, quando aliquis fecit opus magnum in favorem Eccleſiæ, & Fidei, vel quid ſimile; Et cum opus iniunctum ſit perſonale, per alium non poteſt impleri, niſi de concedentis voluntate, & licentia, ſicut unus non poteſt pro alio lucrari Indulgentiam, niſi expreſsè id concedatur, nec alijs donare Indulgentiam ſibi perſonaliter conceſsam.

Quęres 6. An opera iniuncta à Pontifice debeant eſse bona etiam ex circumſtantia.

Dicendum (& hoc in praxi valdè notet Confeſſarius ad pænitentes ritè edocendos) opera iniuncta debere ita eſse bona, ut excludant omnem circumſtantiam, per quam reddantur peccaminoſa mortaliter. Opus enim, quod eſt peccatum mortale non eſt devotum, nec pium, nec meritorium, nec præbet reverentiam Deo (ſed iniuriam) ut requiritur ex Bullis Pontificijs. An ſi fiant in peccato veniali, v.g. ob vanam gloriam ſufficiant iſta opera iniuncta ad acquirendam Indulgentiam, controvertitur, vide hic Paſserinum. Viſitatio v.g. Eccleſię ſi fiat ex vanagloria certè non eſt devota, ut requiritur, ratione mali finis malitiosè voliti. Ergò non ſufficit. Unde pro praxi ad ſecuritatem conſulendus eſt lucraturus Indulgentiam, ut ſemper exequatur opera iniuncta devotè, piè, & attentè, ideſt in Dei cultum, & hono-

rem

rem. Si tamen iſta circumſtantia mala ſe habeat ad opus iniunctum ſolùm concomitanter, & conſequẽter, nec ſit deſtructiva intrinſecè bonitatis operis, tunc opus iniunctum ſufficit ut acquiratur Indulgentia. Quare ſi Viſitatio Eccleſiæ fiat cum aliqua veniali impatientia, cum aliqua curioſitate &c. licet peccetur venialiter, tamen Indulgentia acquiritur. Quod valet etiam de peccato mortali, dum eſt concomitanter ad opus, & conſequenter tunc ſufficit ut homo pæniteat de malo, dummodo tempore conſequutionis Indulgentiæ, ſe ponat in ſtatu Gratiæ iuxtà ſuperiùs dicta.

Quæres 7. Quomodo diſtinguatur Indulgentia per modum ſuffragij, ab Indulgentia per modum Abſolutionis.

Dicendum Indulgentiam vivorum per modum Abſolutionis eſse actum iurisdictionis in Perſonam, cui conceditur, per quam Pontifex ut Iudex, & Superior de Theſauro Eccleſiæ offert proportionatam ſatisfactionem Deo, ſuum ſubditum à reatu pænæ abſolvendo.

Dicendum 2. Indulgentiam per modum Suffragij non eſſe actum Iurisdictionis in perſonam, cui conceditur, neque Abſolutionẽ Iudicialem, ſed eſſe quãdam ſupplicationem, per quam Pontifex offerendo Deo de Theſauro Eccleſiæ, eum rogat, ut v.g. talem Animam liberet à pæna, quare vivus applicans Indulgentiam defuncto, ponit executionem operis iniuncti, & deſignationem Animæ, cui applicatur Indulgentia, ſed Pontifex Eccleſiæ Theſaurum diſpẽſat.

Sed controvertitur valdè. An iſta Indulgentia

R pro

pro Defunctis, quæ dicitur per modum ſuffragij habeat ſuum effectum infallibiliter. Ego credo contra Lezanam *verb.Indulgentia*, & alios multos, habere effectum ſuum infallibiliter, quia eſt diſpenſatio facta auctoritate Apoſtolica, nec eſt mera deprecatio, quemadmodum poteſt quilibet Fidelis Deum rogare, ut propter Chriſti merita, & Sanctorum liberet v.g. talem Animam à pænis Purgatorij. Sed res eſt multum controverſa; Sicuti an proſit Cathecumenis; ſed dicendum prodeſse, nam ſunt in Eccleſia per ſuſceptionem Baptiſmi in voto, & ſunt capaces Beatitudinis. Vide de Lugo *diſp.27.nu.59.*

Hic nota, quòd, qui exequitur opus iniunctum pro acquirenda Indulgentia pro Defunctis, non opus eſt ut ſit in gratia, ſufficit quod ipſæ Animę ſint in gratia &c. niſi aliter præcipiatur à concedente Indulgentiam. Debet tamen eſse opus quod ex circumſtantia non inficiatur. Unde Communio v.g. ſacrilega non ſufficeret, contra Pellizzarium *tom. 2.tract.8. num.252.*

Igitur ego conſulo, ut in acquirendis Indulgentijs ſequamur opiniones probabiliores, ut certiores reddamur de acquiſita Indulgentia (Controvertitur enim utrum in adimplendis operibus iniunctis in *Iubilæo*, & Indulgentijs ſufficiat agere ſecundum opinionem probabilem. Vide Bonac.*diſp.6.qu.1.punct.5 n.27.* Dian.*par.10.tract.11.reſol.34.* qui cum alijs multis negant. Paſqualig.*de Iubil.qu.* 60. pariter qui cum multis alijs affirmant;] per quam ineffabili miſericordia Creator noſter recipit de ſuo pro noſtra ſatiſfactione, relinquendo Pontifici talem Poteſtatẽ; quarè optimum eſt ſic Deo ſatisfacere, non ſub præci-

ciſo motivo fugiendi Purgatorij pœnas,ſed omni modo poſſibili, & legitimo,Divinæ iuſtitiæ in hac vita ſatisfaciendi, non relinquendo tamen alia opera pænalia in caſtigationem commiſſi facinoris, & Sacramentales pænitentias ſub prætextu acquiſitæ Indulgentiæ. Vide quæ diximus *quæſt.5.art.4.de Iubil.* De Indulgentijs quoad Regulares Vide Lezanam, *verb.Indulg.quoad Regulares.* Multa quæ diximus sũt ex mente Reſoluti noſtri Doctoris in 4.*diſt.* 24.*qu.*1. &c. Vide quæ dixi de Iubilæo.

8 Quæres ſecundò. An pænitens teneatur acceptare pænitentiam præſervativam?

Quidquid dicat Palaus *tom.*3.*tract.*14.*diſp.*1.

Dicendum cum Diana, & alijs teneri acceptare ſaltem aliquam pænitentiam præſervativam (quando opus eſt) nam illam Confeſsarius non dat pro peccatis committendis,ſed pro commiſſis ſub cõditione reincidentiæ. Videat tamen Confeſſarius ne inijciat laqueum pænitentibus, illos exponendo periculo peccandi,ut benè Sanch. *in Summ.tom.* 1.*lib.*3. *cap.*8.*n.*8. undè non facilè eſt neganda abſolutio nolenti tales pænitentias acceptare.

ARTIC. III.

Quid obſervandum ſit circa Commutationem Pænitentiæ.

1 OBſervandum primò. Pænitentiam ſemel impoſitam poſſe eundem Confeſſarium commutare, Imò debere ſi videat periculum ne adimpleatur, ſeù afflictionem animi in pænitente, & quid ſimile.

2 Sed nota quidquid aliqui dicant, talem commutationem faciendam eſſe in confeſſione ante, vel poſt immediatè abſolutionem, ad hoc ut pænitentia ſit Sacramentalis, & remittat pęnas ex opere operato. Inſuper Confeſſarius non eſt Iudex niſi intra confeſſionem. Ergo tunc ſolùm poteſt imponere, & cõmutare pænitentiam. Nec verum eſt, quod idem judicium moraliter perſeveret toto illo die, ſecundũ Coninchum, vel etiam duobus ſequentibus, ut docēt Sotus, & Vivaldus; & per hebdomadam, ut Diana; & multò plus, ut volunt alij cum de Lugo.

Quis enim apertiſſimè non videt totum gratis aſſeri, & ſine fundamento? ut benè Dicaſtillus, & Palaus *n*. 14.

3 Obſervandum ſecundò. Quemlibet Confeſſa-

Digitized by Google

ſarium etiam inferiorem poſſe commutare pænitentiam impoſitam à quocunque alio Superiore, pro peccatis non reſervatis, denuò auditis, confeſsis, & abſolutis. Suarez, Coninchus, Lugo, & multi alij. Et hoc non ob ſuperioritatem, erga primum Confeſsarium, ſed erga pænitentem, nam ponitur novum iudicium, & nova abſolutio, nec tenetur ſubire duplicem ſatisfactionem. Imò licet pænitentia ſit impoſita pro reſervatis. Quidquid dicat Suarez de Lugo *nu* 104. cum alijs poteſt illam commutare, nam peccata reſervata ſemel abſoluta, non ſunt amplius reſervata, & remanent ſicut cætera peccata communia. Undè quilibet Confeſsarius habet æquale Tribunal. Navarrus, Zerola, Bonaccina, Henriquez. Palaus, & ſic probabiliter hic, noſtrum Salmatic. Colleg. cum aliis multis. Et cum iſta commutatio ſit in favorem pænitentis, licitum illi erit eligere primam, aut ſecundum pænitentiam, ſecundum Bonaccinam, Reginaldum, Leſsium, & alios. Sed mihi hæc ſententia non placet, nam licet ſit in favorem pænitentis, cum acceptat commutationem, illi ſe ſpontè ſubicit.

4 Obſervandum tertiò. Quod ut diximus ſolum faciendam eſse iſtam commutationem in Confeſsione repetitis peccatis ob quæ eſt impoſita pænitentia, quia incognita cauſa non poteſt ferri ſententia. Ita Doctor meus Reſolut. *in* 4. *diſt*. 16. *q*. 1. *art*. 2. Sed quia multi Auctores tenent poſse commutari, ſolùm allegando rationes cur illa pænitentia illi ſit nimis oneroſa, ut Diana, qui *tom*. 9. *tract*. 6. *reſol*. 57. *& par*. 2. *tract*. 15. *reſol*. 53. pro ſe affert 14. Auctores, & movetur quia in hac commutatione non agitur de peccatis ob quæ data eſt pænitentia, nec de iuſtitia ob quā

data eſt; ſed de difficultate, & morali impoſſibilitate, ideò poteſt ſervire pro praxi Confeſſarijs, ſaltem quando pænitens difficulter adduci poteſt, ſeù tempus non permittit, ut repetat. Quod tamen raro faciendum meo videri, & tutius nunquam. Moveor quia ideò Confeſsarius commutat pænitentiam, quia denuò illam cauſam iudicat, & inconſultè in tali caſu ſubrogaret pænitentiam. Quarè ſemper ſaltem in confuſo ſciat ſtatum præteritæ Confeſsionis. Si tamē ageretur de commutanda pænitentia in æqualem, ſeu quaſi æqualem tunc crederem non eſse repetendam Confeſsionem. Vide hic Vaſq. Sotum *diſt.20.quæſt.2. art.3.* de Lugo *diſp.25.nu.107.*

5 Obſervandum 4. Quod ipſe pænitens non poteſt commutare ſibi pænitentiam, etiam in evidenter maiorem: Et hoc aſserere ab aliquibus vocatur temerarium; ab alijs aſsertum contrarium communi Theologorum doctrinæ. Et iure meritò nam commutatio pænitentiæ eſt actus Sacramentalis, & iuriſdictionis Confeſsarij. Inſuper ſicut pręcepto ieiunij non ſatisfacit, qui ſuo loco facit eleemoſinam, ita à pari. Vide Palaum, Lugum *diſp.25.nu95.* Reginaldū &c. Neque poteſt eam adimplere per alium propria auctoritate, damnata enim eſt hæc propoſitio ab Alexandro VII.

6 Quæres primò. Quænam ſint cauſæ excuſantes ab executione pænitentiæ.

Dicendū tres eſſe. Prima ſi conſtet, quod ōninò ſit iniuſta. Laym. *lib.5.tract.6.cap.15.qu.4.num.17.* & alij multi. Et de hoc poteſt iudicare etiam ipse pænitens ſi doctus ſit. Sed moneo cautè procedendum circa hoc, quia culpa præſertim mortalis multam mæretur pænam. Se-

Secunda. Si moraliter ſit impoſsibilis, lex enim Dei ad impoſsibile nõ obligat. Averſa *quæſt.* 13. *ſect.* 6

Tertia, Præceptum Superioris, Patris, Mariti, in ijs rebus, quas impedire poſſunt propter dominium domus; Prælati v.g. impedientis peregrinationes, ieiunia ſubditi, &c. Palaus, Averſa *q.* 13.

7 Quare Confeſſarius in aſſignandis pænitentijs ſit prudens, & benignus, ne nimis angatur pænitens, aut illum periculo probabili nõ eam adimplendi exponat, penſatis conditionibus, circumſtantijs, & qualitatibus perſonæ, & quandoque opportunum erit imponere pænitentiam non ſub gravi culpa. Suarez. *de pænit. diſp.* 83 *ſect.* 7. *n.* 5. Bonac. *de Sacrament. diſp.* 5. *qu.* 5. *ſect.* 3. *punct.* 2. *nu.* Et pro praxi obſerva, quod quandò rationabili cauſa pro gravibus peccatis imponitur levis pænitentia, debes monere pænitentem de improportione pænæ, de debito ſatisfaciendi in hoc Mundo, ſeù in Purgatorio, & tunc meo videri imponantur opera pænalia alias debita, ùt ieiunia de præcepto, auditio Miſſæ in diebus feſtivis, vel acquiſitio Indulgentiarum, ut adiuvetur debilitas pænitentis, & ſimul meliori modo quo poterit, ſervetur æqualitas iudicij.

8 Quæres ſecundò. An pænitentia præſervativa ad reincidentiam commutari poſſit?

Dicendum poſse. Quidquid multi dicant. Ratio eſt quia licet Medicina non debeat tolli infirmo, prudenter commutatur in aliam aptiorem, & tunc erit Medicina melior, & ſecurior. *Bonac. diſt.* 5. *quæſt.* 4. *ſect.* 3. *punct.* 3 *n.* 5. quem libentiſſimè ſequor.

9 An poſſit totaliter auferri? ob rationabilem neceſſitatem, & cauſam, crederem poſſe, ſed ſuper

hoc requiritur ſumma prudentia, & cautela, & tutius eſt commutare tunc ſaltem in aliquam levem pænitentiam.

10 Quæres tertiò. Utrum excuſetur ab executione pænitentiæ ille qui culpabiliter, aut inculpabiliter, oblitus eſt pænitentiæ?

Dicendum breviter, quod debet adire Confeſſarium, qui iniunxit eam [ſi poteſt] & interrogare de pænitentia, quod ſi neſciat Confeſsarium, aut probabiliter credat eum non recordaturum peccatorū, aut pænitentiæ (quidquid dicant Bonacc. Riccardus *in* 4.*diſt*.17.*art*.2.*qu*.8.& alij) iterum non tenetur peccata alteri confiteri, per quæ fuit iniuncta pænitentia. Nam ex nullo præcepto quis tenetur peccata iterum ritè confeſsa, confiteri, eſset enim nimis durum. Confiteatur igitur, quod culpa ſua oblitus eſt pænitentiæ, ſi ita fuit, & petat in proxima Confeſſione, ut aſſignetur ei aliqua pænitentia, quæ ſolet aſſignari pro gravibus, aut gravioribus peccatis, ſine nova narratione particulari eorumdem. Vide Lugū *diſp*.25.*num*.87. Dianam *reſol* 241. Suar. Lezā. Quod ſi inculpabiliter oblitus eſt pænitentiæ ad nihil aliud tenetur, quia illa pænitentia tunc eſt impoſſibilis, & ſine culpa oblita.

11 Quæres quartò. An liceat omittere pænitentiam ob conſequtionem Indulgentiæ Plenariæ?

Dicendum cum Pænitentiæ ſint etiam ob medicinam, & præcautionem futurorum, tutius eſse, & laudabilius illas non omittere. Vide Suar. *diſp*.38.*ſect*.10. Palaum §.*ult*.*nu*.21. qui refert Henriq. Reginald. & Bonac.. Diana verò vocat contrariam opinionē communem. Undè ſi Confeſsarius iniunxit ieiunium qua-

quadraginta dierum , liberatur pænitens per Indulgentiam quudraginta dierum, & ſic de ſingulis. Quare per plenariam liberatur ab omni pæna, & per cōſequens ab ōni onere adimplendi pænitentiam. Ego verò non conſulo illam in praxi , nam ſequerentur multæ relaxationes , & idem Diana dicit optimum eſſe adhùc acquiſita indulgentia , exequi iniunctam pænitentiam. Sed de hoc iam diximus abundanter .

12 Notet etiam pro praxi Confeſſarius in commutatione pęnitentię , intentionem primi Confeſſarij , nempè ſi fuit opus ſatisfactorium per quod intellexit curare avaritiam, ſuperbiam, aut libidinem pænitentis, & illi ſe accomodet , ad hoc , ut commutet aptè, nam Confeſſarius eſt Iudex , & Medicus, quare, &c.

ARTIC. IV.

Quomodo adimplenda ſit pænitentia, & quando?

DEberet utique impleri in ſtatu gratiæ ſaltem acquiſito per contritionem, ne augmento gratiæ ponatur obex, ſed ſi adimpleatur in mortali ſatisfit, cum adimpleatur ſubſtantia præcepti, ut iam tetigimus. Sed an tunc ſaltem peccetur venialiter, controvertunt Suarez.Layman,& alij multi.

Eſt tamen probabilis ſententia, quod recedente obice acquiratur effectus. Imò quod ſtante obice ex opere operato habeat effectum ſuum, eſt ſententia Vaſq. *in 3.par.qu.49.art.2.dub.5.* Nam ſtatus peccati mortalis non eſt obex remiſſioni pænæ temporalis, quæ fit pet impetrationem à Deo, & pænitentia eſt pars integralis Sacramenti pænitentiæ Doctor meus Reſolutus *in 4.diſt.14.quæſt.1.art.4.* Oſtendit debere ſtatim fieri pænitentiam à pænitente, etiam ſi ſit in peccato mortali, licet non loquatur de pænitentia Sacramentali, quia bona opera facta in peccato mortali, licet ſint ſemper mortua, valent ad meritum vitæ æternæ, ſi homo poſt recuperatam gratiam in eis complaceat per affectum charitatis, nam illa opera erant bona ex genere ſuo. Et *probat ex prim.* ad

Co-

Corint. *Charitas congaudet veritati*. Sed per charitatem acceptare opera, quæ fuerunt valde bona ſecundum ſui naturam, eſt mereri, quod illa ſibi proſint. Inſuper meritum eſt actus voluntatis, igitur ubicumque voluntas invenit rationem mærēdi poteſt mæreri. Ergo licet, circa opera mortua, ut ſic non poſſit invenire rationem merendi, cum tamen fuerint opera bona de genere bonorum, ſi ex charitate eis congaudet, merebitur, ut ſibi valeant. Confirmatur qui ex charitate noviter dolet de opere præterito prout fuit malum, meretur veniam, ergò à pari ſi noviter congaudeat veritati operis præcedentis de genere bonorum, meretur. Ipſum per totum vide. Vult enim quod opera mortua per novam acceptationem, ad meritum noviter naſcātur. Et licet videatur quod illá opera mortua nihil operentur, & totum ſit ex parte novæ acceptationis, dicit quod multum operantur talia opera, nam talia opera v. g. talis pænitentia in peccato facta, exhibet materiam circa quā verſatur fervor novæ acceptationis, in hoc ſenſu; & ego iudico certiſſimum quod illa opera ad meritum noviter naſcantur iuxta tamen intentionem novæ acceptationis, & novæ charitatis, non præcisè quātum meruiſſent ſi facta fuiſſent in gratia; quod deduco ex verbis in fine illius articuli poſitis, ubi loquitur de pænitentia ſatisfactoria. Vide Zagaleam noſtrum *tom.6.diſp.11.n.8.*

2 Quare pęnitentia adimplenda eſt quam primum, & nimis differendo poteſt peccari mortaliter. Nec audiendus Diana, qui dicit poſſe differri per ānum *par.1.tract.13.reſol.53.in fin. par.5.tract. 5. reſol.* 15. Nec ullum fundamentum poteſt de hoc aſſignari

nec

nec poteſt deſumi ex cap. *Omnis utriuſque ſexus*, nã ibi loquitur de Confeſsione, non de pænitentia ſatisfactoria. Non eſt tamen neceſse, quod adimpleatur ante Communionem, ſed ne nimis differatur, niſi iuſta cauſa adeſſet.

3 Si tamen à Confeſſario præſcribatur tempus; pęnitentia non poteſt differri. Imponitur v.g. Ieiuniū in tali vigilia, ſi non adeſt moralis impoſſibilitas tali die eſt faciendum. In cæteris tamen pænitentijs volunt, quod per octo dies poſsint differri, quia videtur parvitas materiæ. Et nota quod ſi differantur cum culpa, aut ſine culpa, ſemper pænitens remanet obligatus ad eas adimplendas, etiam quando tempori v.g. tali vigilię ſunt alligatæ, faciēda eſt enim pænitæntia alio ſimili die, nec eadem eſt ratio de pręcepto, v.g. Eccleſiaſtico audiendi Miſſam, & de pænitentia Sacramentali impoſita pro tali die; nam hic Confeſſarij finis eſt ſatisfactio pro peccatis commiſſis, quæ non ceſſat tali die, ut obligatio præcepti Eccleſiaſtici. Impoſitum fuit ieiunium in aliqua vigilia Santiſs. Virginis, ſi non fuit obſervatum cum culpa, aut ſine culpa, ieiunetur Sabbatum ſubſequens, & pænitens, ſe inculpet in futura confeſſione de ſua negligentia. Excipe ſi Confeſſarius ita tempori obligaret pęnitentiam, ut eo tranſacto obligationē ceſſare voluerit, ut v.g. præſumitur in pænitentijs per longum tempus diſtributis; tunc enim qui multoties omiſiſſet eas implere, nimis gravaretur ſi compenſare teneretur.

4 Debet pariter pænitentia impleri quoad modum, nempè ſi impoſitum fuit pænitenti, ut recitet ſeptem Pſalmos flexis genibus, tenetur ſic recitare

nàm

nam Confeſsarius iniunxit etiam illam afflictionem corporalem. Quidquid ſentiat Vega *tom*. 2. *c*.64.*c*. 6. Nempè quod principalis intentio Confeſſarij tendit ad ſubſtantiam pænitentiæ, non ad circumſtantias; iſta enim nedum eſt circumſtantia, ſed ſubſtantia pęnitentiæ, nempè afflictio corporis à Cōfeſſario præſcripta,& intenta.

5 Quæres primò. An pænitentia poſſit impleri per opus alias præceptum? Confeſſarius imponit ieiunium. Quæritur an ritè adimpleatur per ieiunium vigiliæ de præcepto?

Dicendum abſolutè non poſſe, niſi conſtet de cōſenſu Confeſſarij, aut ſaltem de præſumpta eius voluntate. Unde ſi Confeſſarius imponeret ut per menſem pœnitens ſingulis diebus Miſſam unam audiret, tunc enim diebus Feſtivis ſatisfaceret per auditionem unius tantū Sacri, nam tunc talis pręſumitur fuiſſe rationabiliter mens Confeſſarij. Idem dic de una Confeſſione ſingulis menſibus facienda, quādo occurreret obligatio annuæ Cōfeſſionis. Quomodo opera facta in peccato mortali iuvent ad bonum ſecundum ſe. Vide meum Doctorem *Art*.1.ubi ſupra, qui multa doctè,& curioſè dicit.

QVÆST. XI

De Scientia requiſita in ordinem ad ſigillum Confeſſionis.

ARTIC. I

Qui ſit ſigillum, & quamnam obligationem inducat?

1 PRo maiori claritate ſciatis, quod Sigillum in genere, eſt obligatio occultandi, quę ab alio detecta ſunt. Et eſt duplex. Naturale, & Sacramentale. Deus eſt auctor utriuſque, primi, ut auctor naturæ; ſecundi, ut auctor gratię. Primum inſtitutũ eſt ad bonum proximi, ſecundum ad honorem, & facilitatem Sacramenti. Undè primum aliquando (nẽpè ad bonum commune) licet frangere. Secundum nunquam, quia nunquam poſſumus irrogare iniuriã Sacramento, licet totus mundus periret.

2 Hic obiter notandum circa Sigillum, ſeù ſecretum naturale, quod ad hoc tenemur iure naturę

&

& ſolùm licet ob publicum bonum; nempè in cauſa hęreſis, proditionis Reipublicę, &c. illud revelare. Si verò ſecretum concernat bonum publicum, tenemur illud ſervare, etiam cum periculo mortis; quare non poſſumus manifeſtare ſecreta Civitatis. Collegij, Exercitus, quando ſunt ad publicam utilitatem; ſi poſtea ſint ad bonum particulare, ad vitandũ grave damnum, nempè torturam poſſum illud detegere. Aliqui dicunt, quod revelare ſecretum proximi, uni, vel duobus viris, probis, & tacituris non eſſe peccatum mortale, etiam ſi ſit contra eius famã ſed in hoc, meo videri cautè eſt procedendum. Credo tamen nullum eſſe peccatum, ſi ad ſublevandam propriam mæſtitiam, ſeù ad conſilium capiendum, revelarem grave delictum proximi, ſi aliquo modo vergeret in damnum meum, aliquibus amicis probis, & taciturnis.

3 Non poſſunt aperiri litteræ invito Domino, & regulariter mortale eſt; Sed iure belli ob iuſtam defenſionem, ob vehementem, & etiam probabilem ſuſpicionem mali, licet; Pręlatus, ubi adeſt conſuetudo, poteſt aperire litteras ſubditi, in re gravi, tamen teneretur ad ſervaudum ſigillum, ſaltem ratione charitatis.

Si quis litteras laceratas colligeret, aptaret, & legeret cęteris paribus, mortaliter non peccaret; pariter tamen tenetur ad Sigillum, ſi eſſet de re gravi. Sed redeamus ad noſtra.

4 Conſtans, & indubitata eſt ſententia omnium Doctorum, Confesſarios teneri ad Sigillum, & quidem ex triplici capite, nempe ex iure naturali, Eccleſiaſtico, & *Divino*. Ex iure naturæ, nam debet ſer-

ſervari ſecretum, præſertim eorum, quę ſub iſta cōditione acceptantur; ſicuti tacitè intervenit inter pænitentem, & Confeſsarium. Eſt etiam iſta obligatio ex iure Eccleſiaſtico, ita in Canone *Sacerdos de pænit. diſt. 6. & in cap. omnis utriuſque ſexus de pænitent. & remiſsionib.* ubi taxatur pœna infligenda depoſitionis ignominioſę peregrinationis, & perpetuę penitentię in arcto Monaſterio, Sacerdoti frāgenti Sigillum. Demum oritur ex iure Divino, ex ipſa inſtitutione Sacramenti, & poſitiva iuſſione; ut ſemper fuit praxis S. Matris Eccleſiæ, etiam circa venialia. Averſa *q.* 18. *ſect.* 1. Palaus *tract.* 23. *diſput. unica punct.* 19. Granados *de Pænit. tract.* 12. Salmaticenſe noſtrum hìc. Tędet multoties referre Auctores in rebus clariſſimis, & auctoritates adducere, ubi conſenſus ferè communis, ſeù probabiliſſima ratio, firmat moralem certitudinem.

5 Ex his ſequitur, quod Confeſſarius violando Sigillum, triplicem malitiam committat, nempè contra fidelitatem, ob tacitam promiſſionem non revelandi. Contra iuſtitiam, nam hęc exigit, ut aliena peccata nón revelentur. Et contra Religionem, quia fit iniuria Sacramento, eiuſque inſtitutioni. Palaus, ut ſupra, Coninchus, Suarez, Facundex, Bonac.

. Quare nullo graviſſimo caſu, ſine licentia expreſſa pœnitētis; licet loqui de auditis ī Cōfeſſione etiam ad exprimendum proprium peccatum ipſius Confeſſarij, nam magis urget prçceptum Sigilli, quam integritatis Confeſſionis. Palaus *nu.* 4. qui citat Vaſq. Suarez, Facund. Coninch. Laym. etiam quod pęnitens mortuus eſſet, etiam ad impediendum grave damnū, nam ſemper, quod abſit, redderetur odioſa confeſſio. Di-

Dixi ſine licentia expreſſa, nam de licentia expreſſa pænitentis, licet negent Scotus, Durandus. Maior, Angelus, poteſt; nam Chriſtus inſtituit Confeſſionem ad modum Sigilli naturalis in gratiam pęnitentis, cui cedere poteſt. Nec currit paritas, quod ſicut Clericus non poteſt dare licentiam, ut ad Iudicium Sæculare trahatur, ita pariter pænitens non poteſt præbere licentiam Confeſſario, ut loquatur de auditis in Confeſſione. Nam Privilegium Clericale de foro, latum eſt in favorem, honorem totius ſtatus Clericalis, cui homo particularis cedere non poteſt, ſed ſigillum eſt in favorem pænitentis particularis, qui cum poſſet publicè confiteri, poteſt etiā cedere ſuo iuri, nulli faciendo iniuriā, imò, & hoc eſt in favorem pęnitentis; quia hoc facere, expedit aliquando. Quæ tamen licentia debet eſſe expreſſa, nec vi, nec metu, aut deceptione extorta, nec pariter per præces importunas, neque per metum reverentialem; cederet enim in Sacramenti iniuriā. Hic Salmat. Colleg. Reſolut. de Baccone *in 4. diſt. 16. art. 6.* S. Thom. Nec circa obligationem Sigilli datur parvitas materiæ. Unde non audiendus Ledeſma *2. par. q. 11. art. 1.* quod revelatio venialis, ſit veniale peccatum; licet certum ſit, quod ex defectu deliberationis, aut advertentiæ, poſſit venialiter delinquere Confeſſarius aliquid revelans. Lugus *diſp. 23. nu. 69 & alij.* Eſſet tamen puniendus in foro fori, & graviter licèt conſtaret de inadvertentia. Sed

7 Quæres 1. An Sacerdos qui audivit, ſeù vidit peccatum alicuius extra Confeſsionem, & poſtea ille delinquens ſibi confeſſus eſt, an huiuſmodi peccatum contineatur ſub ſigillo Confeſsionis?

Dicendum illam ſcientiam, quam habuit extra Confeſsionem Sacerdos, non contineri ſub Sigillo; imò hoc eſset præiudicium iuſtitiæ publicæ, quia non poſſet iuſta cauſa de tali delicto teſtificari. Sed ne oriatur ſuſpicio pænitenti, revelationis, non debet delictum revelari, niſi adſit magna neceſſitas, aut utilitas; & ex modo deponendi debet oſtendere ſe teſtificari ex ſcientia non habita in cõfeſſione, ne pænitens ſcandalizetur. Vide Bacconem meum, ubi ſupra in fine *art.*4.

8 Quæres 2. Petrus pęnitens tenetur manifeſtare peccatum ſuum ad impediendum grave damnum innocentis, & tamen non vult prodere crimen ſuum, nec conſentire, ut Confeſsarius revelet. Quid faciendum in hoc caſu?

Dicendum certè etiam tunc obligare Sigillum, ſed ante abſolutionem monendus eſt pænitens ad impediendum, & auferendum totum damnum innocentis & ſi renuat tanquam indiſpoſito, neganda eſt illi abſolutio. Si verò, data abſolutione, innoteſcat, hæc obligatio, petita licentia, & monito pænitente, ut concedat, debet eum docere, ut ſatisfaciat ſuæ obligationi; quod ſi renuat debet denuò moneri de exoneratione ſuæ conſcientiæ, poſtea Confeſsarius acquieſcat, & diſſimulet. Diana *tom.*5. *tract.*11. *reſol.*33. Suarez hic *nn.*14. Palaus *num.*8. Colleg. Salm. Debet enim pręferri Sigilli inviolabilis obſervatio, bono particulari cuiuslibet innocentis.

Pænæ, quæ imponuntur violantibus ſigillum confeſsionis, continentur in can. Sacerdot. de pænit, & remiſs. & in cap. omnis utriuſque ſexus, requiritur tamen ſententia iudicis, quæ pænæ

com-

compræhendunt tantū Sacerdotes confeſsarios non cæteros revelantes, non incurrunt tamen irregularitatem, ut vult Maiolus, quia non eſt expreſſa in iure. Dicaſtill. *Diſp.* 10. *dub.* 1. *num.*33. Cæteri tamen qui tenentur ad ſigillum ſervandum, illud frāgendo arbitrio iudicis graviter ſunt puniendi, ſed mitius. Et iſtæ pœnæ à Sacerdotibus nō incurruntur in omni fractione ſigilli, ſed ſolum in revelatione peccati. Vide Dianam hic.

ARTIC II.

An ex quacumque Confeſſione oriatur obligatio Sigilli, & ad quę extendatur Sigillum.

1 OBligatio ſervandi Sigillum oritur ex omni Confeſſione Sacramentali; & Confeſſio Sacramentalis dicitur illa, quæ fit manifeſtando peccata Miniſtro pænitentiæ etiam ſic exiſtimato, licet nõ eſſet, animo ſe accuſandi, & recipiendi abſolutionem. Aſſertum eſt commune S. Thomas *in* 4.*diſt.* 21. *quæſt*.3.*art*.1.Gabriel.*diſp*.10.*q*.3. Quare qui fingens ſe Sacerdotem audit pænitentem, qui credit facere Confeſſionem Sacramentalem, tenetur ad Sigillum, licèt aliqui malè contrarium ſentiant, & dicant ſolum teneri ad Sigillum naturale. Vide hic Salmat. noſtrum.

2 An ſi aliquis confiteretur Laico, credens in abſentia Sacerdotis talem Laicum poſſe abſolvere, ab aliquibus controvertitur, an talis Laicus teneatur ad Sigillum Sacramentale. Sed tutius eſt in hoc caſu, etiam ſervare Sigillum. & ad hoc pertinet, quod dicit Doctor meus Reſol. *in* 4.*d*.3.*art*.4. Quod ſi quis confiteretur Laico, illum Laicum teneri ad Sigillũ. Uterque enim ut ſuppono tàm Laicus audiendo, quã

pæ-

pęnitens confitendo, fecerunt in ordinẽ ad Sacramẽtalem confeſſionem.

3 Certiſſimum tamen eſt, quod ſi pænitens non intentione recipiendi abſolutionem, ſed conſilium, licet diceret hoc tibi pando ſub ſigillo confeſſionis, ad illud non obligari Confeſſarium, ſed ſolum ad ſigillum naturale, nam illud non fuit dictum in ordinem ad Confeſſionem Sacramentalem. Navarrus, Thomas, Sanch. Suar. Colleg. Salmat. & multi alij. Quod à fortiori veriſſimum eſt ſi pænitens accederet ad confeſſarium animo eum decipiendi, & ad malũ inducendi. Eſt ſententia multorum, & tuta. Talis enim confeſſio eſt ficta, & nullo modo Sacramentalis, nec præiudicat confeſſioni a Chriſto inſtitutæ: quare ad grave malum innocentis avertendum, & multo magis Reipublicæ teneretur Confeſſarius eam manifeſtare. Addo ego [ſalvo meliori iudicio] niſi ex tali revelatione timeret ſibi notam revelationis Confeſſionis, ob quam probabile eſſet poſſe pati varia diſcrimina, tunc enim in conſcientia non teneretur, exceptis caſibus, in quibus bonum publicum præferendum eſt bono particulari: ut in proditione Reipublicæ, manifeſtatione hęreſis, &c.

4 Notet pro praxi Confeſſarius. Quod quando dubium eſt an à pęnitente aliquid ſit revelatum in ordinem ad Confeſſionem Sacramentalem, præſumendum eſt in favorem confeſſionis, ideoque teneri ad ſervandum Sigillum, ne fiat odioſa confeſſio. Bonacc. hic cum alijs multis.

5 Quoad ſecundum punctum, ad quæ extendatur *Sigillum*?

Dicendum 1. Ad omnia peccata mortalia etiam in

genere, licèt ſint publica; unde de iſtis non poteſt loqui Confeſſarius, niſi habuerit antea notitiam; & ſi de talibus delictis ante Confeſſionem habuiſſet notitiam, non poſſet poſt confeſſionem addere aliquid amplius ex eo quod in Tribunali audivit, ſine fractione Sigilli. Unde Parochus poteſt repellere à Communione publicum uſurarium propter ſcietiam habitam extra Confeſſionem, licet poſtea id etiam in confeſſione cognoviſſet. Reſolutus de Baccone monet id faciendum cum magna circumſpectione ob periculum ſcandali; ubi ſupra *art.* 4.

6 Dicendum 2. Cadere ſub ſigillo propoſitum committendi aliquod peccatum, manifeſtatum in confeſsione, in ordine ad ipſam. Peccata venialia in particulari, & etiam in univerſali, ſi ſint particularizata: Nempè ſi diceret Confeſſarius. Petrum eſſe confeſſum gravia, & multa peccata venialia. Secus ſi diceret Petrum non habuiſſe niſi materiam venialem, nam ex ipſa confeſsione ſatis conſtat, neceſſariò ſaltem fuiſſe confeſſum aliquod veniale.

7 Quæres 3. An ſi quis ad manifeſtandum ſuum peccatum dixiſset eſse ſpurium, pauperem, eunucum, teneatur Confeſsarius ad Sigillum talium circumſtātiarum. Dicendum teneri, nam tales circumſtantias morales, & civiles, pænitens explicavit in ordinem ad Confeſsionem Sacramentalem. Inſuper pænitens ægrè ferret talem revelationem, & illi redderetur odioſa Cōfeſsio. Colleg. Salmat. hìc.

8 Quæres 4. An cadant ſub Sigillo Sacramentali, quæ in confeſsione dicta fuerunt incidenter, & nullo modo ſpectant ad confeſsionem?

Dicendum nullam adeſſe cauſam, ob quam dici de-

debeat, quod ſub ſigillo Sacramentali contineantur ut obſervat Palaus, Dicaſtillus, noſter Antonius à Spiritu Sancto *diſp*. 19. *ſect*. 4. Sed ego in praxi numquam hoc conſulerem, nam ſemper redderetur aliquo modo odioſa confeſſio: & plerumque pænitentes in varijs rebus aperiunt cor ſuum, putantes totum quod detegunt, cadere ſub arctiſſimo ſigillo, nec diſtingunt de naturali, aut Sacramentali. Si tamen hæc manifeſtentur antè inceptam Confeſsionem, aut poſt immediatè antè abſolutionem, & pænitens nihil diceret de ſigillo. Ut v. g. Pater ora pro me, quia iturus ſum Romam, nam abſumptus fui ad talem dignitatem, tunc eſſem in allata ſententia, ſed tunc ego interrogarem pænitentem, an de hoc poſſem loqui, ne frangerem ſaltem naturale ſigillum.

9 Quæres 5. An cadat ſub ſigillo Sacramentali, quæ manifeſtantur cum proteſtatione ſigilli Confeſſionis?

Dicendum, quod ſi hæc manifeſtentur in ordinem ad Confeſsionem, v. g. petendo conſilium ab aliquo Viro docto, cadere ſub ſigillo, nam aliquo modo adeſt uſus clavis ſcientiæ, dirigendo pęnitentem, & faciendo, quod facere deberet Confeſſarius, ſi eſſet doctus: Si autem non manifeſtentur in ordine, nullo modo ad Confeſsionem, ſed ſolùm cum proteſtatione, quod debeant cadere ſub ſigillo Confeſsionis, obligant tantùm ſub ſigillo naturali, ſub culpa gravi, aut levi, prout res manifeſtatę in ſe graves, aut, leves ſunt. Vide hic Dianam, Raymundum de monit. *par. pr. cap*. 3. *quæſt*. 4. *reſol*. 54.

Quæres 6. An cadant ſub ſigillo peccata publicè confeſſa ut in naufragio, aut in peſte?

Dicendum affirmativè etiam quoad circumſtantes qui de auditis non poſſunt inter ſe loqui. Facund. *cap.5.nu.1.par.5.t.11.reſol.23.*Diana hìc. Deducitur evidenter ex rationibus allatis ſuperius.

ARTIC. III

Quomodo violetur ſigillum Confeſſionis?

1 DIcendum violari Sigillum. Primò. Si Confeſſarius dicat aliquod peccatum cum circumſtantijs particularibus, quę faciant innoteſcere perſonam pænitentis. Averſa *q.18.ſect.1.*

2 Si aſſerat ſe non abſolviſſe pænitentem. Ex hoc enim ſaltem oritur ſiniſtra opinio pænitentis, & hoc dicere eſſet illi odioſum. Suarez. Lugus, & alij multi.

3 Si audiens duorum, vel trium Confeſsionem, unum præ cæteris laudet, v.g. dicens de illo nunquā audire mortalia: ex quo tacitè infertur de alijs audiviſſe. Si tamen Confeſſarius, qui multorum audit confeſsionem laudet unum ſingulariter, dicendo eſſe hominem perfectè virtutis, non frangeret Sigillum; Sed etiam in hoc iudico cautè eſſe procedendum.

4 Si Confeſſarius loquatur de auditis in Confeſſione cum illis, qui benè omnia noſcunt, ſi tamen loquatur ex notitia habita in Confeſsione, hæc enim ſemper celanda eſt, licet alijs nota ſit. Laym. *lib.5 Summ.tract.6.cap.14.*

5 Frangitur ſigillum, ſi dicat Confeſsarius publicam Meretricem confeſſam eſse peccata carnalia: nàm numquam poteſt loqui de auditis in Cõfeſsione. Non frangit tamen ſi diceret, ſe audiviſſe confeſsionem talis Meretricis mortuæ, & iudicare illam ritè, & cum debito dolore eſſe confeſſam, Nam hoc nullo modo reddit odioſam confeſsionem, nec aliquid detegit, quod celandum ſit.

6 Violatur Sigillum ſi Superior dicat ſæpè impẽdere licentiam in ſuo Monaſterio, Caſuum Reſervatorum.

7 Frangitur ſigillum, ſaltem aliquando, dicendo, talem ſibi confeſsum fuiſse; nempè cum ex circumſtantia talis Confeſsionis, oritur ſuſpicio gravis peccati, ſeù reſervationis peccati. v. g. Si Pœnitentiarius loquendo de aliquo ſuſpecto diceret. Ego audivi eius Confeſsionem. Addo tamen, quod ſi ipſe pænitens acceſsit publicè ad Confeſsionem, manifeſtè coram multis, tunc Confeſsarium non violare ſigillum dicendo, v.g. Petrum confeſsum ſibi fuiſse, ex circumſtantijs enim deducitur, tunc Petro nihil odioſum fieri.

8 Frangit ſigillum qui dicit in hoc Oppido, ſeù Monaſterio audivi multa ſcelera, tunc enim infamiam irrogat tali Communitati, & Perſonis, non autẽ ſi quis hoc diceret de magna Civitate, nam tunc magis latè patet illa aſſertio, nec videtur tam ſtrictè afficere perſonas.

9 Violat ſigillum ſi quis manifeſtat pænitentiam indicativam mortalis culpę; ſecus ſi fuit ita levis, ut ex illa ſolum compræhendatur pęnitentem fuiſse cõfeſſum tantùm venialia, quæ neceſsariò requirunt

ad

ad abſolutionem. Lugus *diſp*.23.*nu*.89.

Sed ego conſulo etiam ab hoc abſtinendum, nam ægrè ferunt pænitentes, abſoluto iudicio, Confeſſarium, vel reminiſci eorum, quæ in Confeſsione dicta ſunt.

10 Frangit ſigillum, qui loquitur etiam cum pęnitente ſine ipſius licentia extra cōfeſsionem de auditis in confeſsione. Si tamen ipſe pænitens incipiat loqui cum Confeſsario de peccatis confeſsis expreſsè cenſetur præbere licentiā de ipſis loquendi. Suarez, Laym Bonac. poſt tamen immediatè impenſam abſolutionem, iuſta de cauſa poteſt loqui cum pænitente, quia cenſetur idem iudiciū moraliter adhuc perſeverare. Alios caſus, vide apud Doctores, ſed

11 Quæres 1. An teneatur Cōfeſsarius dare ſchędulam Confeſsionis ei, quem non abſolvit; ut hęro, ſeù, Superiori interrogāti de confeſsione ſatisfaciat?

Dicendum teneri; ne ad minus negando, generet ſuſpicionem non impenſæ abſolutionis; ſicque violet ſigillum ſed.

Contra. Tunc Confeſsarius mentiretur.

Reſpondetur tunc non mentiri, quia tantùm dat teſtimonium factę Confeſsionis, quod veriſsimum eſt Sed

Contra, ergo concurrit ad fraudem penitentis, qui manet in peccato, & utitur ſchedula ad decipiē-dum.

Reſpondetur quod non concurrit, ſed permittit ob neceſsitatem Sacramentalis Sigilli, quod à fortiori militat, ſi ipſe Confeſsarius neget abſolutionem, licet aliqui in contrarium ſentiant. Ita Medina, Hēriq. Facund, Coninch. Laym. hic.

12 Quæres 2. An Confeſſarius poſsit loqui cum pœnitente etiam nolente, & repugnante de auditis in confeſsione, quando neceſſarium eſt ad emendandum defectum commiſſum in confeſsione præcedenti? Lis eſt ſub iudice, & Suar. *diſp.* 33. *ſect.* 5. *num.* 3. Laym. Hurtado, Filiuccius, & alij affirmant, & hæc opinio vocatur à Salmaticenſi noſtro non improbabilis, quia iſta locutio non cenſetur extra confeſsionem, ſed infrà, cum dirigatur ad præteritam confeſsionem perficiendam, & pœnitens eſset irrationabiliter invitus, imò dico ego indiſpoſitus ad novam cõfeſsionem, peccando in hac negatione mortaliter. Monendus tamen prudenter de iſta ſua obligatione, & animandus ad aſſentiendum pro bono animæ ſuæ.

13 Dicendum tamen nõ poſſe Confeſsarium loqui de auditis in Confeſsione etiam in tali caſu, ſi facta debita diligentia pœnitens non aſſentiatur. Ita Valentia, Lugo, Silvius, Bonac. Sotus, Diana, & alij multi. Nam iudicium præteritæ confeſsionis iam abſolutũ eſt, nec moraliter perſeverat, ut eſſet ſi immediatè poſt abſolutionem Confeſſor cum pœnitente loqueretur. Quare cum illa locutio eſſet odioſa pœnitenti, nullo modo eſt admittenda ipſo invito. Sed ſi in ſecunda confeſsione ipſius pœnitentis eſſet aliquid recolendum de prima confeſsione, ad monitionem pœnitentis, poſset Confeſſarius id facere, nec eſſet contra ſigillum. Henriq. *lib.* 3 *cap.* 2 *n.* 7 Lug. *diſp.* 23 *nu.* 27. Granado *tract.* 10. *diſp.* 5. de Sigillo *cap.* 12. Averſa *quæſt.* 18. *ſect.* 6. Præpoſitus *q.* 11. *de Sigillo dub.* 5. *nu.* 41. Dicaſtill. 91. Colleg. noſtrum; Et aliqui volunt quod in ſecunda Confeſsione poſsit Confeſſarius loqui de auditis abſolutè iuſta de cauſa, in alia

cõ

confeſsione, ut patet ex praxi confeſsariorum. Quod improbabile non eſt, imò ſatis tutum.

14 Pro praxi nota, quod tanta eſt neceſsitas ſervandi ſigillum, quod ad externam gubernationem non licet uti ſcientia habita in Confeſsione, ſi alij poſsit conijcere, aut ſuſpicari rationabiliter aliquod peccatum pænitentis in ſpecie, ſeù in genere. Vnde Confeſſarius non poteſt facere aliquid quod inferat ruborem, ſeù moleſtiam pænitenti, & multò minus eum privare officijs, etiam amovibilibus, illi negare ſuffragia ad electionem, ſemper enim redderetur odioſa confeſsio; & Prælatis Regularibus hoc præcipitur à Clem. VIII. & Vrb. VIII.

Undè Confeſſarius ſciens ex Cõfeſsione famulum ſuum furem eſſe, certum eſt non poſſe illum ex hac notitia dimittere. Poteſt tamen melius res ſuas cuſtodire, medijs quibus alij uti ſolet. Parochus ſimiliter vigilare ſuper gregem ſuum, dummodo ſemper ex hoc non reddatur odioſa confeſsio, ſicut non reddi, Confeſsarij prudentia docebit.

15 Si quis autem ſciret ex confeſsione in Miſſa ſibi paratum eſſe venenum, vel mortem in ingreſſu talis ſilvæ, licet eſſet in peccato mortali, teneretur ad ſilvam ingrediendam, & ſanguinem bibendum præmiſſa contritione, ne revelantis pęnitentis damnum ſequatur, & confeſsio reddatur odioſa. Eſt enim opinio fere omnium Doctorum. Ego autem ſalvo *S.* Matris Eccleſiæ iudicio. 1. Dico hoc procedere quando honeſto aliquo titulo non poſſum fugere notam probabilis revelationis, apud viros prudentes, tunc enim conſentio teneri bibere ſanguinem, & ſilvam ingredi. 2. Dico quod ill[illegible]nitens, qui ſic re-

revelat iſta crimina in cõfeſsione,tacitè ſaltem ſi eſt bene diſpoſitus, intendit tali notitia avertere damnum imminens,aliòquin non diceret Confeſsarió,Pater tibi hæ inſidiæ parantur,ſed alicui Sacerdoti ſuppreſso nomine. Quare videtur velle ſubire periculũ ex tali ſua monitione ſecuturum. Undè iſti caſus ſic expreſsi meò videri ſunt impoſsibiles, & Metaphiſici; Sicuti iudicant Thom.Sanch.& de Lugo *diſp.23 nu.* 105. de illo, qui ſe fingit Sacerdotem eum non ſit, & confitetur vero Sacerdoti, ſuo pœnitenti,ſcelus ſuum. Quęritur an verus Sacerdos pœnitens poſſit deſiſtere ex tali Sacramentali notitia, illi iterum confiteri? Caſus certè metaphiſicus eſt, dicit de Lugo, quod ille mihi fateatur ſe non eſse Sacerdotem, & tamen velit meam poſtea confeſsionem audire ſeriò. Talis ergo pęnitens meo videri, manifeſtat in confeſsione ſe non eſse Sacerdotem, ut deinceps Cõfeſsarius præcavere poſsit à tali confeſsione; & hoc non manifeſtat extra confeſsionem, ut evitet denũciationem, & pęnas in foro externo ſibi debitas.

16 Dato tamen hoc caſu, ſufficere illi ſimulatè confiteri docet Lugo cum Dicaſt.*n.* 158. quibus ſubſcribere timeo;cooperarem imò inducerem illum ad Sacrilegia committenda. In tali caſu non deſunt rationabiles cauſę illi non confitendi, cui non deeſt rationalitas, totum hoc remitto ſaniori iudicio, & tãtum dicta ſint dubitando.

17 Ad complementum, quia dictum eſt, quod complices peccati cadunt ſub ſigillo, quia aliqua doctrina, quę in ore multorum vagatur,iudicio meo nõ eſt in praxi, ſaltem ita latè ſequenda.

Quęro, an qui commiſit peccatum, quod hic, & nunc

nunc confiteri non poteſt niſi manifeſtando perſonā complicis, quę confeſsario nota eſt, poſsit tacere illam circumſtantiam, & integrè tunc non confiteri? imò debeat, ne lędatur fama proximi? Iam aliqua dixi breviter circa hoc, de cauſis excuſantibus ab integritate materiali confeſsionis. Sed clarius.

Suppono 1. quod non ſit alius Confeſsarius, cui commodè poſsit pœnitens integrè confiteri, & non ſit illi nota perſona complicis; nam ſine controverſia ei teneretur integrè confiteri, ſicut tenetur data opportunitate, talem circumſtantiam complicis cōfiteri.

Suppono 2. quod pœnitens prudenter non timeat grave damnum complicis, nàm tunc certè tenetur reticere circumſtantiam complicis manifeſtativam; Sed dubium procedit quando ſolum ex tali manifeſtatione ſequitur conçeptus malus complicis in mente confeſsarij.

18 Multi Auctores non ſpernendi docent tunc pœnitentem poſse, imò debere reticere tale peccatum, ne lædatur fama proximi, quia tunc obligatur ad hoc, pręcepto naturali, ita Viguerius *in Summa cap.* 16. Hoſtienſ. *in cap. omnis utriuſq. ſexus de pæn & remiſs.* & Dicaſtil. *diſp.* 9. citat Navarr. Bannem, Rodriq. Marſil. Villalob. Ludovic. Lopez. Medin de la Crux, & Fabium, & Diana citat Sotum, Faij, & alios. Sed tantorum virorum pace abſolutè loquendo mihi hęc ſententia videtur reijcienda, niſi ſaltem mitigetur, tanquam laxa, & conſcientijs pernicioſa, ut oſtendam.

19 Quare ſententia aſserens non ſolùm poſse pœnitentem, ſed debere integrè confiteri eſt in praxi

ſe-

ſequenda; quæ eſt D.Thom.*in* 4 *diſt.* 14.*q.* 2.*artic.*8. *quæſtiunc.*5.*ad.*5.Melliflui,& prodigioſiſsimi Doctoris S.Bernardi in formula honeſtę vitę, ubi ſic ſcribit, *de nullo prorſus ſiniſtre loquaris, quodcumque ſit verum, vel manifeſtum niſi in Confeſſione, & hoc ubi nõ potes aliter manifeſtare tuum &c.*D.Bonaventuię, Alexandri,Durandi,Riccardi, Paludani, D.Antonini Victoriæ, Vaſq.Suarez de Lugo, Chartuſiani, Gerſonij, Vttapi, Facundez, & multorum huius notæ Thęologorum quos citat, & ſequitur Colleg. Salm. & ad fundamentum contrarię ſententię reſpondetur quod pręceptum naturale servandi famam proximi, hic non obligat, nam eſset obſtativum maioris boni, nempè integritatis Confeſsionis, & per accidens lęditur fama proximi; quę difficulter meo videri lęditur ratione ſigilli, & complex peccando, in tali Tribunali ceſsit iuri ſuo tacitè, benè enim ſciebat neceſsitatem confeſsionis.

In favorem primę ſententię dicerem, quod ſi lęderetur fama proximi, cuius mala opinio Confeſsarij poſset multum nocere Dei ſervitio, aut publicę utilitati, poſse pœnitentem celare illud peccatum, ſeù, illam circumſtantiam, v. g. Si quis manifeſtaret peccatum Epiſcopi, aut Principis, Confeſsario, cuius mala fama poſset publico bono nocere, probabilem ſic explicatam exiſtimarem primam ſententiam In alijs autem caſibus eſt pernicioſa conſcientijs, ſequeretur enim quod in Monaſterijs Monialium, Virorum, in parvis Oppidis, ſeu Villis, frequenter, ſeù quaſi ſemper, poſsent fieri Confeſsiones dimidiatę cum magno Animarum periculo, ut rectè cogitanti, & diſcurrenti patebit.

Quę-

Queres. An qui diceret, talis pœnitens ſuis ſcrupulis multum me perturbant, frangeret ſigillum?
Dicendum frangere, nam dicit aliquid odioſum penitenti ex quo erubeſceret Granadus *diſp.3.num.4* Contra Dianam, Coninchum de Sacram. Excipio tamen ſi ipſe pœnitens palam fateretur, ſe ſcrupulis vexari, nam homo ſcrupuloſus denotat virum timoratę conſcientię.

ARTIC. IV.

Qui teneantur ad Sigillum?

QUia multa tacta ſunt in pręcedentibus articulis breviter dicam, primò teneri ad Sigillum Cõfeſsarium verum, & qui ſe confeſsarium ſimulavit, ille cui bona fide pœnitens, credens eſse Confeſsarium, dixit peccata ſua. Secundò. Minus principaliter tenetur ad Sigillum Interpres, nàm accipit notitiam ex confeſsione Sacramentali per ipſum ad Sacerdotem directa. Suar.alios citans. Tertiò. Qui audiunt, ut in comuni naufragio, aut peſte, talis enī notitia eſt ex confeſsione Sacramẽtali.Lugo, Palaus, Suarez, Averſa *q.18.ſect 5.n.4.* Qui caſu, conſilio, ſeu induſtria, audit peccata confitentis Sacramentaliter. Quintò, Tenentur qui inveniunt chartam ſcriptam

ptam cum notula peccatorum; eſt enim quędam inchoatio Confeſsionis. Sed Suar. Bonac. & alij ſentiunt probabiliter oppoſitum, docentes ſolum teneri ad naturale ſigillum. Nam illa nota peccatorum nō eſt neceſsaria ad confeſsionem. Ego tamen ſequor primam opinionem, quia eſt in favorem confeſsionis, & pęnitentis.

2 Si quis autem legeret talem ſchedulam legendo mortalia, & gravia, peccaret ſecundum aliquos mortaliter, faceret enim alteri iniuriam, quod mihi durum videtur, niſi intercederet aliqua fraus, & malitia. Qui enim ex curioſitate, levitate, legeret talem chartam, & notulam ſervando ſigillum, cum non inferat alicui notabile damnum, ſeu nocumentũ, per conſequens non peccaret mortaliter. Iudex tamen non poteſt uti tali notitia contra reum, nullo modo directè, ſeù indirectè. Irrogaret enim iniuriam Sacramento. Sextò. Tenentur ad ſigillum omnes illi, quibus Sacerdos indebitè revelat confeſsionem, & iſti de revelatis non poſsunt loqui inter ſe. Et hoc militat etiam ſi Cõfeſsarius revelaret in ebrietate, aut phręneſi. Septimò. Ligantur Sigillo Superiores, à quibus petitur licentia abſolvendi a reſervatis, & omnes illi, qui quocumque modo accipiũt notitiam ex Sacramentali cõfeſsione; hoc valdè nota.

3 Semper enim præſumendum eſt in favorem pęnitentis, & confeſsionis, Nec ſuffragatur in his caſibus pręſumpta voluntas pęnitentis. Si quis autem publicè confiteretur ob maiorem ſui verecundiam, tunc ex præſumpta voluntate pęnitentis, imò per talem publicam confeſsionem ſponte manifeſtatam, credo quod Auditores, debito modo, & charitativè

loquendo inter ſe, & coram alijs, de auditis. non frangeret ſigillum.

4 Sed quęres an ipſe pœnitens teneatur ſub ſigillo ſervare ea, quę à Confeſsario illi ſecretò commiſſa ſunt.

Dicendum non teneri. niſi ſub naturali, nam ſigillum eſt in favorem pœnitentis, ut tutò confiteri poſsit, non confeſsarij. Vide hic Suarez.

5 Nota tamen, quod ſi confeſsarius aliqua diceret in confeſsione, quę eſsent revelanda, decipiendo, ſollicitando; tunc pœnitens teneretur apud Superiores eum denunciare.

Pro praxi notet confeſsarius quod licet non poſsit revelare aliquid, etiam quod immineat maximum periculum, non debet tamen abſolvere pœnitentem niſi revelet, aut det auctoritatem revelandi Confeſſario quando aliquid pœnitens neceſsariò debet revelare. Notet etiam, & obſervet Bullas contra confeſſarios ſollicitantes ad inoneſta, ut ſibi poſsit præcavere, & pœnitentes obligare ad denunciandũ.

QVÆST. XII.

De Scientia requiſita in Confeſſario in ordine ad interrogandum Pœnitentes.

ARTIC. I.

An Confeſſarius teneatur interrogare Pœnitentem?

DIcendum 1. Quod ſi Confeſsarius cognoſcit pœnitentem non pręmiſiſse examen ſufficiens peccatorum, illum ſuis interrogationibus iuvare debere. Dummodo (ego noto) commodè poſsit, nec ſit nimis longa confeſsio, & probabiliter pœnitens ſit redditurus. Tunc enim monito de nèceſsitate ſufficientis examinis, poteſt, & aliquando tenetur eum dimittere, ut melius cogitet. Sed hoc eſt exequendum cum magna charitate, & prudentia: nam ſi negligentia pœnitentis eſset culpabilis, peccaręt confeſſarius, ipſum indiſpoſitum abſolvendo.

2 Dicendum, 2. Pœnitentem rudem, & cupientem

tem adiuvari interrogationibus, confeſsarium teneri eum interrogare,& ipſius detectus ſupplere. Averſa *q.16.ſect.12.& alij*.

3 Dicendum 3. Confeſsarium cognoſcentem doctrinam, diligentiam, & probitatem ſui pœnitentis, non teneri eum interrogare, niſi de illis circumſtantijs, quas inadvertenter omitteret; nam tunc de iſta obligatione nullum extat ſufficiens motivum; imò, ut ait Suar. *diſp.* 32. tunc ſunt interrogationes omittendę, ne videantur ĩpertinentes,& curioſę, ac proindè odioſę pœnitenti. Interrogandus tamen eſt ſemper, licet aliqui contrarium ſentiant, de illis circumſtantijs neceſsarijs, quas pęnitens reticet, & de peccatis, quæ probabiliter iudicat commiſiſse, & ea tacet, ob inadvertentiã: ſi enĩ hoc non faceret, munus Iudicis non adimpleret, qui curare debet integritatem, & rectitudinem Iudicij. Intellige quando nihil obeſt, ut prudenter fiat, nam tunc ſufficeret integritas formalis Confeſsionis. Vide Colleg. Salm. noſtrum ſed. Maior adeſt difficultas, pro qua ponitur.

ARTIC. II.

Quomodo ſint interrogandi Pænitentes à Confeſſario?

1. IAm diximus, quod in faciendis interrogationibus opus eſt ſumma prudentia, cum omni patientia. Qui enim frequentat hoc Sacrum Tribunal illi experientia conſtat in tanta diverſitate pænitentium quantum illi neceſsaria prudentia ſit, patientiæ ſemper coniuncta. Debet enim Confeſſarius eſſe, ut dicit S. Auguſtinus. *Diligens inquiſitor, ſubtilis inveſtigator; ſapienter, & aſtutè interroget in peccatore, quod forſam ignorat, vel præ verecundia velit occultare.* Quã ſententiam affert Doctor meus Reſolut. de Bacc. *in 4. diſt. 16. art. 2.* ubi docet quomodo Confeſſarius debeat confitentem interrogare. Igitur ipſum, & alios Doctores tradentes circa hoc varia documenta ſequemur, ſecundum ordinem Colleg. Salm. & breviſſimè. Primum documentum eſt, quod in examine pænitẽtium non requiritur exactiſſima diligentia quantum adhiberi poſſet; nam redderetur confeſſario, & pænitenti onus inſopportabile, & odioſiſſimum, ſed tãta, quanta adhiberi ſolet in re gravi, ab hominibus diligentibus. Unde Confeſſarius interroget ſine nimia anſietate.

Secundùm, Quod pænitens interrogandus eſt iuxta proprium ſtatum, nec à milite regulariter exquirēdum, an commiſerit ſimoniam?

Tertium. Quod circa carnalia interroget modeſtè, & quæ cognoſcit neceſſaria explicatu, ne ſe, & pænitentem inducat in periculum delectationis, ut hic dicit Doctor meus Reſolutus, circa carnalia, & graviora interroget medio involuto, nempè non expreſsè, ſed modo, quo pænitens ſi eſt in tali peccato, poſſit intelligere, & reſpondere.

Quartum, Non interroget eos, ut diximus, quos bene videt inſtructos, & diligentes, niſi de manifeſta omiſſione.

Quintum, Ut ſinat ſe accuſare pænitentem, & finita confeſſione interroget, & charitativè reprehēdat; hoc autem mihi univerſaliter circa interrogationes non placet; nam memoria multoties labitur precipuè in longis confeſſionibus: Unde circa circumſtantias neceſsariò confitendas, quando opus eſt ſtatim interroget pænitentem, ſicut de numero peccatorum, de neceſſitate reſtitutionis; etiam in fine poſtea poterit univerſaliter interrogare pænitentē iuxta ſtatum ſuum. Lug. *n.* 15. Dicaſt. *n.* 469.

Sextum, Quod Ruſtici, & imperiti non facilè dimittantur; ut prius ſe examinent, nam hoc proprio marte illis eſt quaſi impoſsibile: ſed patienter iuvandi. Lugus *diſp.* 23. *ſect.* 2. *n.* 20. Dicaſt. *n.* 48.

Septimum, pariter Ruſtici, & imperiti, qui bona fide confeſsarijs imperitis confeſsi ſunt, non explicando numerum peccatorum, non ſunt cogendi ad iterandas confeſsiones factas bona fide confeſsarijs imperitis; Ex eorum enim confeſsionibus facilè ap-

pa-

paret quoties, annis præteritis peccaverint; Undè faciliter de eorum vita formatur ſufficiens iudicium. Diana 3.*par.tract*.4.*reſol*.89 Leand.*diſp*.5.*q*.72. Henriq. Facund. apud Dianam.

Pro praxi igitur Confeſſarius ſupradicta obſervet præcepta, ut non erret, nimis, aut parum, interrogando pænitentem. Sed.

2 Quæres primò. Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius circa pænitentem, quem certò ſcit cõmiſiſſe aliquod peccatum, quod nec ex ſe, neque interrogatus confitetur.

Dicendum quod ſi ſcit evidenter, illud peccatum alteri non fuiſſe confeſsum illum abſolvere non poſſe, conſtaret enim de nullitate confeſsionis. Cenſetur opinio communis.

Sed inſurgit Megala *lib*.1.*cap*.2.*n*.12. Nam cum multæ ſint cauſæ excuſantes pænitentem ab integritate materiali confeſſionis, poſſet confeſſarius præſupponere pænitentem ex iuſta cauſa hoc feciſſe. Sed

3 Dicendum id verùm eſſe, quando rationabiliter hoc poſſet præſupponere, ſed quando cogitatis cogitandis rationabiliter hoc non poſſit præſupponi, dimittendus eſt pænitens tanquam indiſpoſitus. Undè ſolùm ſtandum eſt Confeſſioni pænitentis pro ſe, & contra ſe, quando in contrarium non habetur aliquid rationabiliter. Quare ex ſuſpicione, & ex aliorum relatione non poſſum negare abſolutionem, ſed tantum in caſu propoſito iuxta dicta Suar.*diſ*.62. *ſect*.3. Facund.2.*præcept.lib*.6.*cap*.4.*num*.38.

4 Quæres 2. An Confeſſarius ex oblivione, ſeu inadvertentia omittẽs aliquam interrogationem neceſſariam, peccet mortaliter?

Dicendum non peccare mortaliter; eſſet enim durum onus, maxime ijs, qui multum in hoc magno charitatis miniſterio, ſe exercent. Oblivio enim, & inadvertentia ſunt quaſi paſſiones noſtræ humanitatis. Nec Clementiſſimus Deus à nobis exigit impoſſibile. Si enim ex ignorantia culpabili [ut accidit præſertim in illis qui medijs doloſis extorquent approbationem, qui multi ſunt) indulgentia, negligentia, omitterentur neceſſariæ interrogationes, tunc eſſet mortale peccatum, nam malitiosè fieret iniuria Sacramento.

5 Tandem pro praxi notet Confeſſarius, quod Surdi confeſſionem, debet audire quantum poteſt in loco remoto, illumque ſolum interrogare de puris neceſſarijs.

6 Item regulariter ante inceptam confeſſionem debet omnes interrogare an habeant aliquam excõmunicationem, aut caſum de quo ipſe abſolvere non poſſit, ne peccato confeſſo, pænitens cum rubore dimittatur. Item ſi impleverit pænitentiam, ſi examẽ ſufficiens præmiſerit, ſi verè doleat de commiſſis, cum vero propoſito de cætero à peccatis præcavendi. Sed non omnes omnibus ſunt neceſſariò faciendæ huiuſmodi interrogationes, ut prudentia dictabit. Vide Doctorem meum Reſolut. ubi ſupra *art. 2.*

7 In ipſa Confeſſione debet interrogare de circumſtantijs, iuxta dicta, de numero, de intentione, de conſcientiæ dictamine, de occaſionibus peccatorum, & de conſuetudine, quando opus eſt ad dignoſcendam diſpoſitionem pænitentis; nàm conſuetudo peccandi arguit infirmum propoſitum, & tunc tenetur pænitens eam fateri, ut bene notat noſter Raymun-

mundus Lubier. *nu.* 254.& 545. præcipuè quia Confeſſarius Medicus eſt ut poſſit adhibere remedium debitum infirmitati. Contraria enim opinio, damnata eſt. Omnia cum prudentia, ne reddatur odioſa confeſſio, & pariter ne prætermittatur neceſſarium. Caveat etiam à curioſis interrogationibus, & ne miſceat ſermones inutiles, & impertinentes, præſertim cũ mulieribus, & adoleſcentulis, ne paulatim labatur in ſceleſtiſſimum crimen ſollicitationis.

Sed quia ad ritè faciendas interrogationes requiritur ſufficiens ſcientia: ideò adiudicavi tradere aliquam compendioſam notitiam de virtutibus Theologicis Cardinal. de 7. peccatis capitalibus, de decẽ præceptis Decalogi, & Eccleſiæ. Cætera relinquendo, ut videatis apud Doctores. Quia his adnotatis, facillimum erit. Poſtea deveniemus ad praxim interrogationum, in qua mirè quæ diximus explicabuntur. Quare.

QVÆST. XIII

De Scientia requiſita in ordinem ad virtutes Theologales.

ARTIC. I

De Fide.

1 HIc non agendum eſt de Fide, ordine Theologico, ſed quantum ſufficit ad notitiam mei Confeſſarij, ne circa hanc virtutem erret in ijs, quæ pertinent ad ſuum Tribunal. Cætera poteſt videre apud Theologos, præcipuè noſtrum P. Magiſtrum Bonæ Spei *tom*.3.& etiam multa apud Bacconem Doctorem Reſolut. *in 3.diſt.art.3.& ſeq*. Suppono tamen cum ipſo, quod ordine naturæ fides præcedat ſpem, & charitatem. Quare primo loco de hac eſt tractãdum.

2 Sciat ergo Confeſſarius. Quod fides eſt Aſſenſus eorum, quæ Spiritus Sanctus Eccleſiæ revelavit. Nota I.ij. *Quia Spiritus Sanctus revelavit;* Sine fide

im

impoſſibile eſt placere Deo. Undè quilibet fidelis explicitè credere tenetur neceſſitate medij, ſine quo ſalus haberi non poteſt, Deum eſſe, & remuneratorem eſſe. Trident. *ſeſſ.6.cap.*8. Poſt ſufficientem promulgationem Evangelij explicitè tenemur credere Chriſtum Ieſum, & Sanctiſſ. Trinitatem neceſſitate præcepti, & hoc in promulgatione Evangelij; & culpabilis ignorantia horum myſteriorum, eſt grave peccatum, diſtinctum ab eo, cuius eſt cauſa. Diana *par.3.tom.5.nu.*47.48. nec abſolvendus qui culpabiliter, aut inculpabiliter hæc ignorat. Compræhenditur enim ſub propoſitione damnata 64. de qua infra.

3 Quæres qui ſit implicitè credere.

Dicendum eſt explicitè credere aliquod, in quo alterum implicitè continetur, ut ſi credas Eccleſiam, & omnia, quæ ipſa docet, & credit. Laym. *lib.2.tract.1cap.*8.

4 Neceſsitate etiam pręcepti debet quilibet fidelis ſaltem craſso modo ſcire, & credere ſub mortali, Simbolum, Orationem Dominicam, Præcepta Decalogi, & Eccleſiæ Sacrameuta, magis neceſsaria, nempè Baptiſmum, Euchariſtiam, & Pænitentiam, cætera verò quando ſumenda ſunt; niſi ignorantia invincibilis, ſeù impotentia excuſet, & ſufficit ſcire eo modo, quo interrogatus de ſingulis ſufficienter reſpondeat.

5 Pro praxi notet Confeſsarius. Quod ſi dubitet probabiliter, quod pænitens ignoret ea, quæ ſcire tenetur, debet illum interrogare, & ſi aliqua neſciat dummodo non ſint neceſsaria neceſsitate medij ad iuſtificationem, poteſt abſolvi, ſi habeat propo-

fi-

ſitum ea addiſcendi, & doleat de negligentia, per quam regulariter peccat graviter. Sed ſi pænitens ignoret ea, quæ ſunt neceſsaria neceſſitate medij, & Myſteria Incarnationis, & Sanctiſſ. Trinitatis, non poteſt abſolvi, niſi inſtruatur de ijs ante abſolutionē.

6 Parochi, & Parentes ſunt interrogandi an doceant ſuas oves, & liberos, ſaltem per alios idoneos quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem. Nam omnimodè peccant mortaliter. Videant ergo matres præcipuè nobiles, quæ ferè ſemper in ludis, & commeſſationibus tempus conſumunt, quod onus illis incumbat circa educationem familiæ, ſic magis certè, ſi Deo placere voluerint, domi ſe continebunt.

7 Circa obligationem eliciendi actum fidei. Sciat Cōfeſsarius, quod per ſe obligat his caſibus. 1. Quādo puer fidelis aſsecutus eſt perfectum uſum rationis, & is tunc omnimodè peccat mortaliter omittendo, niſi eum excuſet inadvertentia, aut ignorantia invīcibilis. *Bonac. tom.* 2. *d.* 3. *p.* 3. 2. Obligatur infidelis ad illum eliciendum, quando ratio illi dictat res noſtræ fidei ſufficienter eſſe propoſitas, & ſuam ſectam falſam eſſe. 3. Quando urget tentatio contra fidem, quæ alio modo vinci non poteſt, quæ ratio non militat pro ſcrupuloſis, ut benè *Sanch.* nàm iſti faciliùs vincunt tentationem, avvertendo mentem ad alia obiecta. Per accidens poſtea obligat, ſequentibus caſibus. Quando tentatio contra alias virtutes, alio modo ſuperari non poteſt. v. g. Tentatur quis deſperatione, elicit ad vincendum actum fidei circa ſpem. Quando facienda eſt exterior profeſſio fidei. Quando ex præcepto eliciendus eſt actus ſpei, charitatis, ſeù pænitentiæ. Aliqui addunt, quod libenter admit-

mitto in hora mortis, & ſemel in Anno. Damnatæ ſunt hæ duæ propoſitiones, quæ in ordine ſunt 64.& 65.ſub Innoc.II.

8 *Abſolutionis capax eſt homo quantum vis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiam ſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſs. Trinitatis, & Incarnationis D.N.Ieſu Chriſti.*

Sufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe; Et etiam iſta in ordine 16.17.18.*Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe; Satis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere. Si a poteſtate publica quis interrogatur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & Fidei glorioſum conſulo; tacere, ut peccaminoſum per ſe, non damno.*

9 Quare præceptum confitendi exterius fidem in duplici caſu obligat, nempè cum honor Dei, ſeù utilitas proximi hoc requirit. Undè tunc teneor ſub mortali fidem exterius confiteri, quando tacendo videor fidem negare, ſeù ſcandalum oritur; quare poſſum fugere, [dummodo non ſim Paſtor,] me occultare, hoc tamen limito, dummodo bonum commune aliud non expoſtulet; uti veſtibus, & ſignis Infidelium, dummodo per ſe non ſint proteſtativa falſæ religionis. Et etiam ad cavendam mortem, & grave damnum, non tamen ſolius irriſionis, ſi nõ ſit ĩ odiũ fidei, poſſum veſci carnibus diebus vetitis in Terris Hęreticorum. Præcepta enim Eccleſiaſtica non obligant cum tanto onere. De vitijs fidei oppoſitis ſuo loco aliqua dicemus.

10 Pro praxi ad ſcrupulos tollendos, obſerva quod qui certò non ſcit ſe elicuiſſe actum fidei, cum ad annos diſcretionis pervenerit, poteſt credere ſatisfeciſſe huic præcepto, ſemper nam pueri benè edu-

ducati, audiendo Sacrum, confitendo peccata, tundendo pectus, loquendo de Divinis, aſſiſtendo Eccleſiaſticis funtionibus, ferè eliciunt actum fidei, quãtum ſufficit ad hoc præceptum adimplendum, ut etiam faciunt adulti.

Nota quod ea quæ Spiritus Sanctus revelat ſingularibus perſonis, ut v.g. Sanctæ Birgittæ, Seraficæ Tereſiæ, non fide, ſed opinione creduntur; Sed fide quæ Eccleſiæ revelat vel per Divinas litteras, vel per Apoſtolorum traditiones, vel per determinationes Pontificum, ſeu Conciliorum Generalium.

Et ſcias quod qui fidem Chriſti invincibiliter ignorant, damnantur propter alia peccata.

ART. II

De Spe.

1 SPes, quæ eſt ſecunda virtus Thelogica. Eſt amor concupiſcentię erga Deum, quo Deum Divinaque præ omnibus concupiſcibilibus concupiſcimus, ita ut omnia parati potius ſimus perdere, quã Deum, & Divina.

De Spe multa querunt Theologi communiter, ut Reſolutus Doctor meus *in* 3.*diſt*.26. Et noſter Franciſcus Bonæ Spei *tom*.2. breviter, ſed ſubtiliter, etiam agit de vitijs illis contrarijs, ut videre eſt apud ipſum, ſed ne ſpeculativis diſputationibus fatigemur, breviter ad intentum.

2 Sciatis quod præceptum ſpei obligat cum ad uſum rationis pervenimus, & hoc per ſe. Per accidens obligat, quando actus Orationis, Pænitentiæ, Charitatis prçcipiuntur. Ratio eſt, quia exerceri nõ poſſunt ſine actu ſpei. Obligat etiam quando imminet tentatio, quæ vinci non poteſt, niſi ſpe animus elevetur in Deum. Laym. *l.2.t.2.C.*

3 Sed quæres primò pro praxi. Titius eſt paratus degere perpetuo in hoc Mundo, & Deo Cælum relinquere, ſi ipſe ſibi terram re linqueret, amando magis hæc terrena amore concupiſcentiæ, quam cæleſtia, peccat ne in tali caſu mortaliter?

Dicendum peccare mortaliter contra hanc virtutem, & etiam contra præceptum dilectionis Dei ſuper omnia. Quare non abſolvendus niſi ſe corrigat. Sed quid ſi Titius ex puſillanimitate, & timore Gehennæ hoc deſideraret, timendo gravitatem culparum ſuarum?

4 Dicendum. Niſi excuſaret inadvertentia, indeliberatio, perturbatio mentis, & quid ſimile, adhuc peccare mortaliter, debet enim credere, & ſperare remiſſionem peccatorum, ſe convertendo ad Dominum totis viribus. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos dicit Dominus.* Peccatur enim graviter contra hanc virtutem, ne dum deſperando, ſed etiam præſumendo. Quare.

5 Quçres 2. An ſi aliquis ſtatueret in peccatis perſeverare, dum benè valet, & tamen ſperaret ſe facturum pænitentiam, peccaret ne mortaliter?

Dicendum affirmativè contra ſpem. Et etiam illa prava voluntate oſtinatè peccandi. Unde, præsũptio tunç eſt peccatum mortale, quando eſt cauſa omit-

mittendi, aut committendi aliquid, quod hic, & nũc, homo ponere, aut ommittere tenetur ſub mortali; ut loquar cum noſtro P. Franciſco Bonæ Spei loco citato, qui inclinat, quod in præſumptione poſsit dari parvitas materiæ. v.g. Petrus ad diem ſequentem differt confeſſionem, præſumens de Miſericordia Dei eo uſque duratura. Et nota cum ipſo, quod non rarò præſumptio eſt coniuncta cum hæreſi, aut cum iudicio hæretico.

Quæres 3. An cui a Deo facta eſſet revelatio ſuæ infallibilis damnationis poſſet, & deberet ſalutem ſperare, vel illam deſperare?

Vide Eranciſcum Bonæ Spei loco citato.

Dicendum non poſse Beatitudinem, nec ſperare nec poſitivè deſperare, ſpes enim non fertur in obiectum iam notificatum impoſſibile. Spes eſt deſiderium boni, quale non eſt id quod eſt impoſſibile. Nec poſitivè deſperare; nam poſitiva deſperatio eſt receſſus à bono probabiliter futuro per odium, &c. Unde poſset in tali caſu negativè deſperare. Quia deſperatio negativa nihil aliud eſt, quam non actus ſpei de obiecto impoſſibili noto.

Quæres 4. An liceat ſperare in homine?

Dicendum licere tamquam in cauſa ſecunda, & inſtrumentali, per quam ſecundum divinam providẽtiam adiuvari poſsumus ad conſequendum aliquod bonum S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 17. *art.* 4.

AR-

ARTIC. III.

De Charitate.

1 CHaritas denique eſt amor amicitiæ, quo Deo benè volumus, & omnia bona ipſi deſideramus ob Divinam eius perfectionem. Appretiativè enim diligendus eſt ſuper omnia. Et hic amor eſt naturalis in homine: Nam naturaliter magis homo Deum diligit, quam ſe, ſicut magis diligit bonum totius, & univerſi, quam bonum partis. Sicut patet, cū exponit ictui manum ad totum corpus defendendum. Undè non poſſunt ſe excuſare homines ab iſta dilectione ſupernaturali, cum fundetur in natura. Doctor Reſolutus *in* 3.*Diſt.*28 §.5.*Vndè art.*2.Probat hominem debere eligere potius non eſſe, quam peccare. Peccare enim nullo modo benè poteſt eligi, ſed non eſſe in aliquo caſu poteſt benè eligi, nempe ratione alicuius annexi. Inſuper ordo individui, ad univerſum eſt accidentalis, ergo etiam deſtructio, ſed peccare deſtruit ordinem univerſi, quia avertit à ſummo bono. ergo.

Quare etiam Diaboli, & damnati ſi diligerent ſecundum rectum dictamen naturale, magis diligerent Deum, quam ſe; Dulce enim eſt hoc charitatis

præceptum. Quòd his caſibus obligat nempe 1. Quã-do homo adeptus eſt cognitionem Dei; ſed ſi poſt a-deptam iſtam cognitionem, differatur per annum, aliqui volunt, quod excuſet a mortali ratione parvi-tatis temporis. 2. Obligat quando adeſt periculum labendi in odium Dei, niſi actus charitatis eliciatur. 3. Quando quis tenetur confiteri, & deeſt Confeſsa-rius, nam contritio includit actum charitatis. 4. Quã-do alio modo non poteſt vinci aliqua tentatio. 5. In articulo mortis, ut benè, & tutè conſulatur animæ propriæ. In his caſibus ſi omittatur, eſt mortale. Un-de eſt tale peccatum confitendum, quod rariſſimè (neſcio qua negligentia) fit.

Charitas in ordinem ad proximum, cum ſit dile-ctio, qua diligitur Deus propter ſe, & proximus pro-pter Deum, vel in Deo, præcipit. 1. Ordinem in eo diligendo. 2. Dilectionem Inimicorum. 3. Eleemoſy-nam. 4. Correctionem Fraternam. Deinde prohibet, 1. Odium proximi. 2. Scandalum. 3. Ne illum afficias iniuria; neque Bellum, aut grave damnum inferas illi. De quibus aliqua diximus, & inferius dicemus.

Pro praxi obſerva, quod diligere proximum ſicut ſe ipſum nõ obligat, ut regularitèr ponam vitam pro illo, niſi publica utilitas, aut honor Dei hoc requirat, nam hoc eſſet magis diligere proximum, quàm ſe ip-ſum, ut benè notat S. Auguſtinus (ſed de hoc alibi) ſed illi in extrema neceſſitate ſpirituali conſtituto, te-neor ſuccurrere cum certo periculo vitæ, dummodo adſit ſpes illum adiuvandi. Vt v.g. illum baptizare, abſolvere moriturum; Et quia Parochus ad iſta mu-nia exercenda tenetur ex officio, obligatur ad illa etiam in gravi neceſſitate, unde illi non licet tem-

po-

pore peſtis fugere, niſi idoneo ſubſtituto.

Obſerva etiam, quod non diligere principaliter Deum propter ſe, ſed v.g. propter beatitudinem, ſeu propter timorem gehennæ, cum tunc non diligeretur appretiativè ſuper omnia, eſſet mortale peccatum. Navarr. Filiucc. Poſſum tamen etiam diligere Deum propter retributionem, ſed minus principaliter, nempè quod hoc ſit cauſa movens, & alliciens. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 9 De odio Dei, quod horribile peccatum eſt; Vide Sanch. *lib.* 2. Bonacc. *D.* 3. *q* 4. *pag.* 2. Quare benè dicit S. Bernard. in tract. de diligendo Deo: Cauſa diligendi Deum, Deus eſt, modus, diligere ſine modo.

QVÆST. XIV.

De quatuor Virtutibus Cardinalibus.

ARTIC. I.

De Iuſtitia.

1 IVs quod eſt obiectum iuſtitiæ, tripliciter poteſt accipi, primò.

Pro lege determinante quid ſit unicuique tribuendum ex iuſtitia, & ſicut ipſa lex Ius dicitur ſeu regula iuris, ita diſtinguimus iura ſicut leges, in ius Poſitiuum; ius naturale, ius Diuinum, ius Gentium, quod eſt introductum uſu, & conſuetudine ferè ab omnibus gentibus, Ius humanum, Ciuile, Canonicū de quibus latè tractant Theologi de legibus. Secundò.

Sumitur pro poteſtate legittima ad obtinendam rem aliquam, vel ad aliquam functionem, ſeù quaſi functionem faciendam, cuius violatio iniuriam cōſtituit. Tertiò.

Pro

Prout eſt idem quod iuſtum, vel æquale, in quo ratio debiti importatur, & omnibus iſtis modis pertinet ad iuſtitiam, ſed diverſimodè, ut videre poteritis apud Salm noſtr.

2 Pro ſecunda acceptione nota quod alius eſt ius ad rem, & aliud ius in re. Ius in re eſt quando habetur in aliqua re devicta, quæ actionem realem tribuit, nedum in Perſonam, ſed in rem, quæ ubicumque ponatur pro habente ius clamat, & ſemper remanet cum eodem onere. Unde ius in re verſatur circa res, cuius Domini ſumus v.g. Ius vendendi, alienandi, poſseſſionem comparandi, quam eam amiſimus. Ius ad rem eſt cum res nobis non dum eſt devicta, & habemus ius ſolum in Perſonam poſſidentem talem rem non in ipſam rem immediatè, unde ſi ipſa res alteri vendatur, non habemus actionem realem in rem, ſed in perſonam ementem Leſſius *lib.2. cap.2.dub.3.num.*10.

3 Pro tertia acceptione, prout ius idem eſt, ac iuſtum, & æquale, aliud eſt legale, aliud morale; legale eſt illud, quod fundatur in aliqua poteſtate, quam quis habet ad aliquam rem poſſidendam, vel in re poſſeſſa ad ſervandam æqualitatem inter ſe, & alium. Ius morale quod fundatur in honeſtate operantis, decet enim iuxta rationem, & regulas moris operari.

4 His premiſſis ſciatis, quod in prima, & univerſali acceptione dupliciter poteſt conſiderari Iuſtitia, nempe pro collectione omnium virtutum nemine excepta, in quo ſenſu dicitur multoties in Scriptura *Erat vir iuſtus*, & D.Chriſoſt.*hom.12.in Matth. Iuſtitia nihil aliud eſt quam omnium mandatorum plena*

cuſtodia. Quare Charitas, & Gratia habitualis Iuſtitia dicuntur, quia important obſervationem mãdatorum, ut faciunt adæquare hominem perfectiſſimè, cum lege, & ratione. De hac iuſtitia non loquimur in præſenti; ſed loquimur de Iuſtitia, propriè, & ſtrictè, quę eſt virtus particularis, & definitur ab Vulpiano de *I*uſt. & Iure, quod eſt conſtans, & perpetua voluntas ius suum unicuique tribuendi.

Iuſtitia enim primò modo conſiderata non eſt ſpecialis virtus diverſa ab alijs virtutibus, ſed coaleſcit ex collatione aliarum virtutum. Allata definitio cõmuniter acceptatur; dicitur *voluntas*, & accipitur non pro potentia, ſed pro actu voluntatis; dicitur *conſtans* ideſt non ſicut actu tranſiens, ſed perſiſtens permanenter in ſubiecto; dicitur *perpetua*. Sed ex parte obiecti nempè aliquis vult perpetuò aliquid facere per quod ſervetur æqualitas cum aliquo in quavis occaſione, & tempore; quod eſt de intrinſeca ratione Iuſtitiæ; Vnde clarius S. Thom. 2.2.*q*.8. *art*.1. reducit ad meliorem formam allatam definitionem, ſic *Iuſtitia eſt habitus, ſecundum quem aliquis conſtanti & perpetua voluntate ius ſuum unicuique tribuit ad æqualitatem*.

5 Nota quod iuſtitia debet eſse ad alterum, nàm nemo propriè æqualis ſibi dicitur niſi per Methaphoricam locutionem, unde iuſtitia legalis, quæ eſt prima inter partes iuſtitiæ ordinàtur ad iuſtum boni cõmunis, quę partes, quia ut tales ſunt, reſpiciunt bonum commune.

Idem dic de Iuſtitia commutativa, diſtributiva, & vindicativa, quæ ſervant æqualitatem ad alterũ.

6 Doctor meus Reſolut de Bacc. *in* 4. *diſt*. 1. ponit

nit varias ſpecies Iuſtitiæ, *& in 3. diſt. 20. quæſt. 1. ar. 2.* diſtinguit iuſtitiam in commutativam, diſtributivã, & vindicativam, & dicit, quod in diſtributiva ſervatur proportio geometrica, nempe ſecundum poſſibilitatem ſolventis, quod etiam admittit noſtrũ Colleg. *tract. 12. de Iuſt. cap. 1.* in commutativa proportio aritmetica Ariſt. 5 *Ethic.* ſicut in vindicativa. Colleg loc. cit. licet admittat quod iuſtitia vindicativa in Iudice, & Superiore ſit actus propriæ iuſtitię, a quo Deus iuſtus appellatur, vult tamen quod talis iuſtitia non differat a commutativa, nam per iuſtitiam vindicativam retribuitur delinquenti pæna æqualis delicto, nàm pæna eſt menſura delicti, & Reipublicæ reſtituitur honor, quem amiſerat ob delictum ſui Civis, rependere autem æquale, & reparare læſum ſunt actus Iuſtitię commutativæ. Lugo *diſp. pr. ſect. 5. n. 69.* Sot. *de Iuſt.* & multi alij *Iuſtitia punitiva eſt illa, qua Superior ſubditum condigna pęna pro delictis ponit*. Et notate, quod Iuſtitia punitiva in Subditis nõ eſt virtus; & melius facerẽt remittẽdo iniurias, & ſolûm, virtus eſt quando non poteſt dimitti iniuria ſine aliorum detrimento, vel ex motivis Iuſtitiæ cõmutativę, ſeu legalis ad bonum publicũ tuendum.

Nota pro praxi, quod Iudex tenetur ad reſtitutionem damnorum provenientium Reipub. ex ommiſſione punitionis reorum, quia violatio iuſtitiæ commutativæ inducit neceſſitatem reſtitutionis, quæ violatur ex damnis ſecutis ex tali omiſſione.

7 Iuſtitia legalis ſic vocatur, non quia ſit ſecundum leges, hoc enim competit omnibus iuſtitijs, Sed quia reſpicit bonum ſub hac formalitate, quatenus, quis eſt membrũ, & pars cõmunitatis, & parti incũ-

bit bonum totius ſubſtentare, & promovere, & hæc eſt illa iuſtitia legalis, quæ ab Ariſt. vocatur Heſperus,& Lucifer 5. *Ethic.cap.1. Præclariſſima virtutum eſt iuſtitia, & nec Heſperus, nec Lucifer ita admirabiles*: & hæc iuſtitia duplici vocabulo nuncupatur, ſcilicet iuſtitia legalis, & iuſtitia generalis. Iuſtitia legalis curat, ut leges iuſtæ ordinentur ad bonum cōmune, & hæc iuſtitia legalis in Religionibus appellatur *Obſervantia Regularis*. Tenemur enim exponere vitam propriam, ſi opus ſit ad bonum commune conſervandum. Dicitur pariter iuſtitia *Generalis* non in eſſendo, ſeù prædicando, ſed quia ordinatur ad bonum commune, & quia *commune* eſt quid generale, iſta virtus iuſtitię, quæ ad illud ordinandum ſuum munus exercet, dicitur iuſtitia generalis in cauſando. Igitur iuſtitia legalis eſt inter partes, & totum, ut dictum eſt. Sed reperitur alia iuſtitia, quæ eſt inter totum, & partes, vocaturque iuſtitia Diſtributiva,& alia datur, quæ eſt inter partes, & partes nempè iuſtitia commutativa, de quibus aliquid dicendum.

8 Iuſtitia diſtributiva ſic definitur, *Eſt illa qua bona communia diſtribuuntur inter partes communitatis ſecundum proportionem meritorum.* Et peccat Superior ſi non ſervet proportionem quando diſtribuũtur res, quę ſtricto iure debentur, nàm tunc includitur iuſtitia commutativa in diſtributiva.

Hic vide propoſitionem damnatam ſub Innoc.II., quæ eſt 47. quare in beneficijs ſervanda eſt hæc proportio, præſertim habentibus curam animarum, ſed quomodo vide in ult. quæſt. Miſcell. quæſt. 24.

Iſta Iuſtitia diſtributiva pręcipuè eſt in Superiore

di

diſtribuente, nam precipuus eius actus eſt diſtributio, ſed ſuo modo. Eſt etiam in ſubdito, nàm debet ſe conformare iuſtitiæ factæ a Superiore, & illi ſe accomodare, in qua diſtributione, ut dictum eſt, ſervatur proportio geometrica.

Iuſtitia commutativa *eſt illa qua redditur unicuique quod ſuum eſt ſervata æqualitate aritmetica* nempe rei ad rem, quæ debet ſervari in emptionibus, & venditionibus, mutuis, contractibus, in iniurijs, furtis, homicidijs, nàm munus huius iuſtitiæ eſt ſervare ius alterius illæſum, & læſum reparare.

9 Sed quæres an inter civitatem, & Civem, Patrem & Filium, uxorem & maritum, Dominum, & ſervum poſſit dari vera iuſtitia commutativa?

Dicendum poſſe quando communitas ſe gerit non ut totum, ſed ut pars, & Cives non ſe habent ut partes communitatis, ſed ut membra ab ea diſtincta, & ſic ſe habent ut particulares cum particularibus, & è contra Laym: *lib.* 1 *ſect.* 5. *tract.* 1. *cap.* 1. Idem dic de Principe, & Gubernatore, nàm tenentur ad præcavenda mala ex iuſtitia commutativa, nam tunc ſe habent ſicut pars ad partem, quia ad hoc conſtituuntur, nempè ad mala præcavenda, quod etiam militat de Domino & Servo, de Patre, & Filio, de marito & Vxore, in illis rebus tamen, quæ ad ſe invicè non dependent ut ſunt partes, & perſonæ particulares. Lug. *diſp.* 1 *ſect.* 2. *num.* 35. Palaus *tract.* 31. *diſp. unica punct.* 2. *nu.* 4. Leſs. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 1. & alij multi. Sciat tamen Meus Confeſs. quod multa ſunt vitia contra iuſtitiam, ſed nullum, ut dicit *puncto* 5. Salm. Colleg. per exceſſum, quod eſt proprium huius virtutis; nam ſolum per defectum tollitur debitum in-

tentum à Iuſtitia, & ſic peccat contra iuſtitiam; qui minus dant, non qui plus dant. Quæ iniuſtitia ſi opponatur iuſtitiæ legali, vocatur iniuſtitia legalis, ſeù relaxatio legis, ſi iuſtitiæ diſtributivæ, dicitur acceptio perſonarum: & vitium, quod opponitur Iuſtitiæ commutativæ, dicitur iniuſtitia formalis, quæ proximo infert nocumentum in vita, in honore, in bonis externis &c.

10 *I*niuſtitia ex genere ſuo eſt peccatum mortale, niſi excuſet parvitas materiæ, inadvertentia, nã tunc erit veniale, imò nullum ſi materia erit tam exigua, ut nullum damnum proximo inferatur; Sed quia multa in hoc opere tetigimus, & multa tangemus, quę ſunt vitia contra iuſtitiam, ut det actio, contumelia, furtum, homicidium, contractu doloſi, rapina, adulterium prout infert iniuriam proximo, & ſimilia.

11 Ideo meo Confeſsario hæc indicaſse ſufficiat. Notet tamen diligenter quod ad hoc ut committatur actus iniuſtitię formalis, debet eſse elicitus ex affectu, & animo ponendi inæqualitatem, & non ſolũ ex notitia inæqualitatis faciendę v.g. Petrus commiſit adulterium ex motivo ſatiandi libidinem, licet ſciat irrogare proximo iniuſtitiam, non dicetur abſolutè iniuſtus; ſed ſolum quando committit adulterium, ſeu furtum, ex motivo formali iniuſtitię, nẽpè irrogandi damnum & nocumentum proximo. Vnde Philoſ. 5. *Ethic. cap.* 8. dicit, qui furatur ad męcandum magis (*ideſt formalius*) dicendus eſt mechus, quã fur; aliud eſt enim facere damnum ſeu aliquid iniuſtum, aliud operari iniuſtè per vitium iniuſtitię formalis; eſt tamen iſta circumſtantia aperienda in con-

ſeſſione, nempe damnum proximo illatum. Vitium tamen iniuſtitiæ legalis, ad hoc ut debeat ſpecificari in confeſſione cum hac circumſtantia iniuſtitię legalis; requiritur quod operans intelligat operari animo nocendi bono communi, & non alio motivo, omne enim peccatum eſt contra bonum commune, nàm lex violatur, & certè eſt contra iuſtitiam legalem, ſed non eſt ſpecialis circumſtantia in confeſſione detegẽda, niſi quando peccatur ex affectu contemnendi bonum commune, & legale prçceptum; & ſi ex ſuo peccato damnum communitati ſequatur, tunc teneris damnum manifeſtare, non ratione iuſtitiæ legalis, ſed commutativæ.

12 Notet tamen etiam meus Confeſſarius pro illa regula iuris 27. *in 6. Scienti, & conſentienti non fit iniuria, neque dolus.* Quę regula firmata eſt copulativè, & non diſiunctivè, quod ad hoc ut ſit vera, requiritur, quod voluntas ſcientis, & conſentientis ſit iuſta, & pura. Tunc eſt iuſta, quando eſt abſolutus Dominus rerum ſupra quas conſentit, & poteſt uti dominio ſine aliorum præiudicio, & quãdo non adeſt ex prohibens conſenſum. Sic Pupillus licet ſit Dominus ſuarum rerum, patitur iniuſtitiam ſi ſciens, & conſentiens damnificetur, nam per legem non poteſt conſentire. Sic maritus non poteſt conſentire ſine iniuria ſui, & Sacramenti, in adulterium coniugis. Sic pateretur iniuſtitiam, qui vellet privari membris & vita, quia horum Dominus non eſt. Sic pateretur iniuſtitiam, qui vellet fraudari in bonis, quibus alere familiam teneatur, ſic qui vellet pati iniuriam cõtra bonum familiæ, patriæ, ſtatus, aut Religionis. Sic Clericus conſentiens ad ſuam iniuſtam percuſſionem.

nem. His ſcientibus, & conſentientibus, ſit iniuria, imò peccāt conſentiendo, & quidē regulariter mortaliter. eſt enim in aliorum præiudicium, & qui fecit iniuriam tenetur ad reſtitutionem. Requiritur etiā, quod voluntas ſit pura, ideſt ſine metu, non admixta involuntario. Unde ex metu dans latroni pecuniā, vel ex neceſſitate accipit mutuum cum uſura, ſeu dans calicem aureum putans eſſe inauratum patitur iniuriam. Dicaſt. *lib.2 tract.1 .diſp.3 .dub.1.* Quid dicendum de eo, qui ex metu cum iuramento promiſſorio, ſe obligat ad dandam pecuniam latroni? Vide de iuramento promiſſorio.

Egimus primo loco de iuſtitia, licet non ſit prima inter virtutes Cardinales, quia communiter iuſtitia vocatur prima virtus. Dicuntur enim virtutes Cardinales, quia in iſtis omnis honeſtas, ut fores in cardinibus ſuſtentatur, & ſunt Prudentia, Fortitudo, Tēperantia, & Iuſtitia, & ſciatis quod virtus in genere definitur, quod *eſt habitus perficiens ſubſtantiam intellectualem, & ad bonam operationem ipſam inclinans.*

13 Quæres ad ornatum an inter Deum, & hominem detur iuſtitia commutativa propriè dicta?

Dicendum abſolutè ex parte Dei non dari verè, & propriè iuſtitiam commutativam. Ratio evidentiſſima eſt, quia omne ius noſtrum eſt ſub Dei poteſtate inſeparabiliter magis quam ius Filij, Uxoris, Servi, in bonis, quę à Patre, ut Patre; à marito ut marito, Domino, ut domino pendent. Inſuper omne noſtrū ius fundatur in bonis creditoris, ſunt enim à Deo ſine quo nihil poſſumus. Ex parte tamen hominis datur erga Deum iſta iuſtitia commutativa, obligans ad rigororoſam reſtitutionem, pro qua Omnipotens

&

ꝫ miſericors Filius obtulit ſe in prætium Deo Patri. 'ide apud Theologos quomodo Chriſtus Redemtor Noſter ſatisfecerit ex rigore iuſtitiæ.

Deus tantum tenetur reddere coroná iuſtitiæ ratione fidelitatis,& promiſſionis.

14 Non loquor de iuſtitia Economica, nam nõ ſt propriè virtus, & eſt inter Patrem & Filium, viꝛm & uxorem, dominum, & ſervum, ſecundum uod perſonæ ſunt quaſi aliquid alterius, & iura ſunt ıdiſtincta.

ARTIC. II.

De Fortitudine,& eius partibus.

FOrtitudo, quæ conſiſtit in ijs rebus in quibus difficillimum eſt habere firmitatem animi, ut ınt pericula mortis, & ſimilia, ne deſeramus bonũ ıtionis, aut audaciam demonſtremus ſic definitur. *ſt virtus conſiſtens in iraſcibili coercitiva timoris, & ıdaciæ moderativa periculis inſtantibus.* Unde ſicut ɔercet timorem,& audaciam, antequam malum e-ᴇniat, ſic poſt malum inflictum moderatur triſtitiã, : aliquis nimis angatur, & agat aliquid in decorum ꝫ nimio dolore.

Sed quia diximus *periculis inſtantibus*, oportet ıod iſta pericula ſint talis naturæ, ut honeſtè poſſıt ſuſcipi, & ſuſtineri,qualia ſunt, quæ pro ſalute

pre-

proximi, Reipublicæ veræ virtutis ſuſcipiuntur, nam materia virtutis debet eſſe honeſta. Quare in bello iniquo, in duellis, in graſſationibus pugnantes non debent vocari fortes, ſed audaces, temerarij, crudeles, & licet fortitudo primario, ex Ariſt. *lib.* 3. *Eth.cap.*6. Sit in rebus bellicis, ſecundario conſiſtit in alijs periculis. Unde ex eodem Ariſt. *lib.*3. *cap.* 7. *Qui ea quæ oportet, & cuius cauſa oportet, & ut oportet, & quãdo perfert, & timet ſimiliter, & confidit, fortis eſt.*

Duo ſunt actus illius virtutis, nempè aggredi, & ſuſtinere, & principaliter eſt ſuſtinere; Nam qui ſuſtinet præſentia pericula ſentit. Sed qui aggreditur ea ut futura ſentit, quod minus eſt.

Partes potentiales huius virtutis ſunt Magnanimitas, quæ inclinat ad opera magna, & heroica in õni genere virtutum. Magnificentia, quæ eſt virtus factiva magnorum operum. Patientia, quæ ſuſtinet ardua, & difficilia. Perſeverantia, quæ reperitur in iraſcibili ad moderandas eius paſſiones, ne recedat à bono rationis.

3 Vitia quæ opponuntur ſunt, timiditas, ſeu timor inordinatus, & intimiditas, vel impaviditas. Vide P. Gabr. à S. Vincentio in prima 2. *diſp.* 18. §. 6. Franciſcum Bonæ Spei *hic tom.* 1. *de iur. & iuſt.*

4 Queres obiter an Martyrium ſit actus fortitudinis?

Notandum hic cum Leſs. quod martyrium hic accipitur pro teſtimonio veritatis fidei, ſeu veræ virtutis per tolerantiam mortis.

Quod duobus modis fieri poteſt; vel aliquo actu, quo mors acceptatur pro teſtimonio veritatis Fidei, ſeu veræ virtutis, ut accidit in adultis utentibus ratione

ne; & hoc dicitur verè Martyrium, & formale, nã equitur et intentione ex actu teſtificandi. Secundò it ſine aliquo actu teſtificandi, ſicut accidit in parvulis pro Chriſto occiſis, qui vocantur ab Eccleſia *primitiæ Martyrum* loquor de SS Innocentibus. Sed hoc propriè martyrium eſt materiale, cui deeſt voluntas, & intelligentia rei teſtificatæ; ſed quia non loquendo ſed moriendo confeſſi ſunt, Deus eorum mortem per merita Chriſti acceptavit tanquam formale Martyrium, ſed cũ non ſit opus fortitudinis in parvulis.

5 Quęritur ã Martyrium in adultis ſit opus fortitudinis?

Aliqui ſuſtinent Martyrium non eſſe opus fortitudinis, *Quæ à Tyramno impugnatur conſtitutæ in actu heroico*. v.g. quis elicit mortem amore Dei erit actus Charitatis; Si amore Fidei erit actus Fidei, & ſic de cæteris virturibus. Ergo non erit actus Fortitudinis conſtitutæ in actu hæroico.

Dicendum tamen Martyrium eſſe actum excellẽtiſſimum fortitudinis, etiam ſi affectu fidei, & Charitatis ſuſtineatur: nam Martyrium eſt bellum contra Tyrãnos non invadendo, ſed tollerando, & multò difficilius eſt tollerare, quam invadere, & ſic de SS. Martyribus loquitur Apoſt. 11. ad Hæbræos *fortes facti ſunt in bello*. in quo ex Ariſtot. *lib.* 3. *Ethic. cap* 6. adeſt pręcipua materia fortitudinis.

6 Nota etiam quod ad martyrium adultorum quinque requiruntur 1. Mortis irrogatio, ſeu vulnus lethale mortis ex ſe inflictivum, licet miraculosè ſanatum ſit, ut fuit in Virgine Evangeliſta, cum poſitus fuit in olei ferventis dolio. 2. acceptatio eiuſdem

ob

ob pias cauſas. 3. Vt Tyrāno non reſiſtatur. 4. Ut Martyr credat id per quod cruciatur. 5. Status gratiæ, vel ſaltem legitima diſpoſitio ad gratiam, nempe attritio, quæ cum ſufficiat ad Baptiſmum, pariter in tali caſu ſufficiet ad Martyrium, quod non minorem vim habet. Vide hic Leſsium.

ART. III.

De Temperantia, & eius partibus.

1 TEmperantia propriè eſt virtus refrenans appetitum ſenſitivum in concupiſcentijs, & delectationibus corporalibus, quę maximè alliciūt. Delectationes, guſtus, & tactus ſunt vehementiores, & ideò primariò hęc virtus poſita eſt ad iſtas refrænandas.

Igitur materia huius virtutis ſunt corporales delectationes, illæ tamen, quæ oriuntur ex tactu, ex eſculentis, & poculentis, & ex rebus venereis, circa, quas primariò verſatur ad eas moderandas. Secundariò tamen circa oblectationes aliorū ſenſuum, ſed quatenus obiecta eorum mediātè immaginatione incitant ad voluptatem tactus ſeu guſtus; eiuſdem enī virtutis eſt finem moderari, et ea quæ ad finem conducunt.

Et nota quod moderatur delectationes guſtus, ſed non ut talis eſt, ſed quatenus eſt quidam tactus.

Te

Temperantia habet ſuas partes integrales concurrentes ad effectus temperantiæ, & ſunt Verecundia, honeſtas: Verecundia diſponit ad temperantiam, quia temperantia excludit turpe, & in moralibus em eſt honeſtum, decorum, & pulcrum, ideo hoſtas habet cum temperãtia maximam affinitatem, Huic virtuti opponitur intemperantia, & inſenbilitas.

2 Species temperantię, ſunt abſtinentia, ſobrie-, caſtitas, & hæ vocantur partes etiam ſubiecti- temperantiæ; partes potentiales, quæ coercent petus paſſionum noſtrarum circa actiones exters ſunt: Continentia. Manſuetudo irarum moderatrix. Clementia, quę mitigat pænas, quantum num commune, & iuſtitia permittit. Modeſtia, æ ponit modum in humanis actionibus.

3 Modeſtia habet iſtas partes potentiales, nem humilitatem. Philotomiam. Studioſitatem. Moſtiam morum. Eutrapeliam. & Modeſtiam cul-. Humilitas refrenat internum motum animi, ne petat celſitudinem ſupra honeſtum, & ſuper mea propria, & ad hoc, ut vera ſit humilitas ex parcuius humilis ſe ſubdit, habet iſtos gradus, 1. Maibus ſe ſubdere, non ſe æqualibus præferre. 2. AEilibus ſe ſubdere, non ſe præferre minoribus. 3. Nemſe nulli præferre, ſed etiam ſe ſubijcere omnis minoribus.

Ex parte actus huius virtutis, perficitur per actus ęntes. 1. Se cognoſcere peccatorem, & contẽbilem. 2. De ſuis peccatis, & miſerijs dolere. 3. nfiteri illa etiam extra Sacramentum, dempto nea ſcandalo & conſideratis circumſtantijs. 4. vel-

le quod alij ea cognoſcant. 5. Patienter ſubſtinere, quando ſibi ab alijs obijciuntur, & divulgantur. 6. patienter ſe habere in abiectionibus. De iſtis gaudere, in quo ſtat vera humilitas perfectionis, ut pluribus in locis Eximius Doctor D. Franciſcus de Sales docet, & inculcat.

Habitus humilitatis duo ſunt, unus quo refrenat paſſiones ſpei circa propriam excellentiam, & reſidet in iraſcibili. Alter in voluntate, & eſt moderativus affectus circa propriam excellentiam.

Humilitas habet duo vitia oppoſita, unum per defectum & eſt demiſſio puſillanimis, unde humilitas debet eſſe generoſa, ut benè D. Franciſcus Saleſius. Aliud per exceſſum, & eſt Superbia, de qua loco ſuo aliqua dicemus.

4 Notate tamen obiter cum Noſtro Gabriele à S. Vincentio loco citato, quod ſuperbię ſunt quatuor ſpecies. 1. cum quis iudicat bonum quod habet eſſe à ſe 2. quando licet credit bonum ſuum eſſe à Deo, tamen ſibi ex proprijs meritis eſſe datum. 3. quādo quis gloriatur de bono quod non habet. 4. quando alij deſpiciuntur ob bonum manifeſtatum quod habet.

Gradus Superbiæ multi ſunt. 1. Eſt curioſitas. 2. Levitas animi ad iudicanda aliena facta. 3. Inepta lętitia. 4. Singularitas, quando à cōmuni via diſceditur. Vide ergo quid faciant aliqui, quibus nulla aliorum placet ſententia, qui reformare mundum, & mores Eccleſiæ præſumunt, qui auctores claſſicos, & graves contemnunt, paucis exceptis, inter alios à propria opinione, ne dicam arrogantia, & præſūptione cōmendatos, caveant ne à ſua ſuperbia mo-

veantur. 5. eſt iactantia. 6. Arrogantia. 7. Præſūptio. 8. Dexpectio peccatorum. 9. Simulata confeſſio. Hos gradus oſservet prudens Confeſsarius ad conſcientias dirigendas.

Philotomia refrenat amorem, & deſiderium, ne honores immoderatè appetantur. Studioſitas moderatur affectum ne altiora ſe ſcire velit, & pariter ne propter labores à ſtudio retrahamur. Opponitur illi per exceſſum curioſitas, & per defectum negligētia. Modeſtia morum componit motus, & geſtus corporis.

Ad hanc virtutem reducuntur veritas, & Affabilitas, quatenus pertinent ad converſationem externā corporis, & illi opponitur immodeſtia per exceſſum, per defectum caret nomine. Eutrapelia ponit modū in ludricis, & iocoſis, ſicut modeſtia in rebus ſerijs, in hac virtute tria debent obſervari. 1 Quod verba, & facta non ſint obſcæna aut turpia, nec proximo nociva. 2. Quod totaliter non amittatur gravitas animi. 3. quod ea quæ in ludum aſſumuntur tempori, loco, & circumſtantijs congruant; per exceſſum illi opponitur ſcurrilitas, vel immoderata lętitia: per defectum dvritia ſeu agreſtitas: Vide Gabr. à S. Vincentio *tract. de inſt. & iur diſp. 16. num. 2* Tandem modeſtia cultus illa eſt quę modum, & menſurā ponit in cultu corporis, & rerum externarum, reducitur ad hanc virtutem liberalitas, quę modificat ſumptus circa externum apparatum. Reducitur etiam ad hanc virtutem paupertas voluntaria, quæ coercet appetitū ne pecunias appetat. Silentium non eſt virtus ſpecialis, ſed reducitur ad virtutem, ob cuius amorem quis ſilet. v. g. quis ſilet ne mentiatur, re-

ducitur ad virtutem veritatis,& ſic de cęteris .

5 Regulam Temperantiæ ponit Leſs.hic ex SS.Patribus , ſumma eſt,quod non debemus plus comedere , aut bibere , niſi quantum congruit valetudini,& functionibus mentis . Qui ſecus facit non obſervat temperantię regulam, & mortaliter peccat , aut venialiter iuxta parvitatem , aut gravitatem materiæ , & univerſaliter , qui facit aliquid ſolum voluptatis cauſa , etiam ſi illud licitum ſit , non eſt actus virtutis , nec laude dignum ; quia motivum non eſt per ſe honeſtum hoc enim faciunt etiam bruta animalia ; undè motivum non eſt per ſe honeſtum ; nam eſt ordinis inferioris .

Circa venerea,regula tēperātię extra coniugiūeſt,ab his penitus abſtinere : in coniugijs uti , non voluptatis cauſa , ſed quatenus congruit proli . Vide D. Auguſt.lib.de bono coniug. *cap.6 & 7*.& adſunt de hoc duæ propoſitiones dānatæ a SS.D.Innoc.XI. ſub die 2.Martij 1679. in ordine 8. *Comedere, & bibere uſq; ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſint valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui .* 9. *Opus coniugij ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa , ac defectu veniali .*

9 Hic obiter noto,quod bibere in die Ieiunij extra prandium , & refectiuncula ea , quæ rationem potus habent principaliter, & non cibi, non frangūt ieiunium , unde ſi quis valdè in hoc excederet, peccaret contra temperantiam , non contra ieiunium . Laym. *l.cit.n.7*. Aſſerere enim quod per vinum ſimpliciter frangatur ieiunium rigida nimis ſententia eſt Quidquid dicat Natalis ab Alexand. *tom.9. de præcept Decal.*

Fa-

Pateor tamen ingenue univerſaliter verum non eſſe illud adagium quod in ore vulgi reperitur *liquida non frangunt*. Verum inquam univerſaliter non eſt, nam illa liquida lac, cocleata, juſcula, & ſimilia quæ propriè non habent rationem potus, ſed cibi, & ſumuntur ad nutrimentum, frangunt ieiunium. Idem mihi videtur dicendum de vino malvatico quod tãtum regulariter mane ſolet ſumi ad nutrimentum, nã eo non utimur in prandijs, neque cænis regulariter, niſi excuſet parvitas materię, ſeu rationabilis cauſa. Vide Dianam hic Silvium in 22. *quæſt.* 47. *art.6.* Ieiunium enim inſtitutum eſt ad reprimendas carnis concupiſcentias. *Carnis terat Superbiam, Potus cibique parcitas.* Ieiunium eſt actus abſtinĕtiæ S. Thom 2.2. *q.*47, *art.* 11.2. unde &c.

Multa pertinentia ad hanc virtutem ſparſim in hoc opere reperies.

ART. IV.

De Prudentia, & eius partibus.

1 PRudentia, quę eſt prima virtus inter Cardinales, quia tanquam in cardine omnes reguntur in prudentia, de ea hic agimus, ut uſum communem loquendi ſervemus, & ex Ariſt. eſt *recta ratio agendorum*; & clarius ſic definitur. *Prudentia eſt virtus intellectus, qua in quovis negotio occurrente novimus quid honeſtum ſit, quid turpe*. omnia clarè apud Leſſium.

Nota tamen quod licet prudentia ſit eſſentialiter virtus intellectus, tamen, ratione materiæ, *&* finis, debet poni inter virtutes morales, quia verſatur in conſideratione, & directióne morum; quare moralis dicitur, non quod ſit electiva morum, ſicut ſunt Iuſtitia, Fortitudo, & Temperantia, ſed quia mores dirigit.

Nota etiam quod diſtinguitur à virtutibus intellectus; à Sapientia diſtinguitur, quia hæc eſt merè ſpeculativa, prudentia verò eſt omnino practica. A ſcientia diſtinguitur, nam ſcientia eſt univerſalium,

hæc particularium actionum. Ab arte, hæc enim eſt faciendorum recta ratio, prudentia verò agendorum Ariſt. 6 *Ethic.cap.*5. Diſtinguitur à Fide, nàm hęc verſatur circa Myſteria divina immediatè, & alia, quę non ſunt in noſtra poteſtate, & ex magna parte eſt ſpeculativa neque directiva noſtrarum actionum immediatè; prudentia verò Chriſtiana ſupponit Fidem, ſicut ſcientia ſupponit cognitionem ſuorum principiorum. Tandem diſtinguitur à Theologia; hæc magna ex parte eſt ſpeculativa, nec verſatur immediatè circa actiones noſtras; prudentia verò ſupernaturalis, convenit cum Theologia; nam hęc ſupponit expreſſam fidem Myſteriorũ, ſed immediatè verſatur circa actiones noſtras.

Munera prudentiæ ſunt tria; benè conſulere, benè iudicare, & præcipere executionẽ, & ut hęc benè fiant, debent fieri cum ſolicitudine, & diligentia. Leſſius.

2 Prudentia dividitur in plures ſpecies. Primò dividitur in naturalem, & ſupernaturalem, ſeù in acquiſitam, & infuſam, dico naturalem illam, quæ non excedit limites rationis naturalis, quam etiam Philoſophi cognoverunt. 2. Dividitur immediatè in prudentiam perſonalem, ſeu ſolitariam, & in prudentiam gubernatricem, iſta prudentia gubernatrix ſubdividitur in quatuor ſpecies nempè Æconomicam, Civilem, Legislatricem, & Militarem. Solitaria illa est, qua quiſque in ſuis actionibus dirigitur ad agendum in ordinem ad proprium bonum. Æconomica intendit bonum familię. Civilis, ſeù politica est illa, qua administratur Civitas, & quæ curat leges ſervari. Legislatrix, ſeù Nomothetica est

qua idoneæ leges conduntur. Militaris cum qua bene militia adminiſtratur Sed notate quod prudentia perſonalis abſolutè dicitur Prudentia,& facit hominem abſolutè prudentem Ariſtot. *cap.* 8. Ratio eſt quia ille dicitur abſolutè prudens, qui ſua præ cæteris omnibus curat. Cęteræ prudentiæ vocantur prudentiæ cum addito .v.g. prudẽtia militaris, prudentia civilis &c.

Et iſta prudentia perſonalis complectitur cæteras prudentias, quia poteſt ſe extendere ad omnes functiones cęterarum prudentiarum. Nam quis in omni ſtatu, & in omni officio,poteſt per illam ſe gerere ut decet.

Octo ſunt partes integrales prudentiæ,nempè memoria, intellectus, Docilitas, Solertia, Providentia, Ratio, circumſpectio, & Cautio.

3 D.Tomas ponit tres partes potentiales prudẽtię. Vide Caiet. *quæſt*.120.*art*.1. Sed pro praxi mei Confeſsarij.

Quæres quomodo peccetur contra prudentiam?

Dicendum primò generaliter peccari contra prudentiam committendo quodcumque peccatum; Nã omnis peccator agit contra iudicium prudentiæ, ſicut qui benè agit facit ſecundum iudicium prudentiæ. Proverb.24. *Qui cogitat mala facere ſtultus vocabitur*.Pſalm.91. *Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc*.Sed hoc relicto.

Dicendũ 2.Contra prudentiam peccari dupliciter per exceſsum, & per defectum. Per defectum contra prudentiam quadrupliciter peccatur;nempè pręcipitatione, Inconſideratione, inconſtantia, & negligentia, nàm hæc ſunt contra regulas prudentiæ,ut diſcurrenti patet.

4

¶ Sed iterum pro praxi nota quod præcipitatio, & in conſideratio ſunt tantum peccata mortalia ratione periculi alicuius peccati mortalis, cui ſe exponit, qui ſe pręcipitat, & inconſideratè iudicat, vel agit: inconſtantia nunquam eſt peccatum mortale, niſi quis ex voto, aut præcepto teneatur ad permanendum in ſententia, vel ratione ſcandali, & ego addo ratione damni, ſi proximo ex hac inconſtantia ſequeretur. Negligentia eſt peccatum mortale, quando negligas ſcire id quod ſub peccato mortali ſcire teneris, vel te exponas propter negligentiã periculo ea non ſciendi.

Dicendum 3. Per exceſſum imagine prudentiæ ſex modis peccari contra hanc virtutem. Prudentia carnis. Aſtutia. Dolo. Fraude. Solicitudine temporalium, & ſolicitudine futurorum.

Prudentia carnis ſequitur carnales inſtinctus, & ut dicit Apoſt. *cap. 8. ad Rom. Sapere ſecundum carnem mors eſt*. Sed nota quod prudentia carnis eſt peccatũ ratione affectus pravi, unde eſt peccatum mortale, ſeu veniale, ratione pravitatis affectus, & intentionis. Idem dic de conſilio, & iudicio, nàm ſunt actus ab intentione imperati.

Aſtutia eſt actus agendi modo occulto. Apoſt. 2. *ad Corinth. Non ambulantes in aſtutia.* Eſt peccatum mortale, ſeu veniale ratione affectus cui ſubeſt, & nocumenti quod proximo irrogatur. Caiet. *in Summa v. Aſtutia.*

Dolus eſt executio aſtutiæ verbis, ſeu factis. Dolus eſt erga proximum, & præcipuè in materia iuſtitiæ, ut in contractibus, & diſtributionibus; & duobus modis in contractibus reperitur, 1. quando dat cau-

ſam

ſam contractui,& tunc dat cauſam contractui, quado ſi dolus abfuiſſet non factus eſſet contractus .2. Modo,quando non dat cauſam , ſed adeſt incidentèr in contractu , v. g.quando contractus factus quidem fuiſſet ſed minori , aut maiori prætio .

5 Hic nota quod ignorantia etiam craſſa ſemper excuſat à dolo,& per conſequens etiam à pæna legis quando ad illam incurrendam lex requirit dolũ , aut præſumptionem , nam ignorantia etiam craſſa dolus non eſt. Et licet culpa lata æquiparetur dolo,hoc eſt intelligendum quãdo lex non requirit dolum, aut præſumptionem , Sylveſter *v.culpa* .

· Fraus eſt *executio aſtutiæ perfecta* , ut v. g. quando menſura non eſt iuſta , quando moneta eſt adulterata , unde latius patet dolus,quam fraus.

Sollicitudo temporalium , quæ conſiſtit in nimia occupatione mentis, in acquirendis ſeu conſervandis bonis temporalibus, ſicuti ſollicitudo futurorum bonorum temporalium ſunt peccata venialia , aut mortalia ratione circumſtantiarum , & exceſſus modi iusti, anxietatis, & diffidentiæ divinæ providentię . Certè ſi iſtæ ſollicitudines graviter modum excedant, ſunt ſaluti noxiæ . Apoſt. 1 *ad Timot.cap.6.*dicit *Radix omnium malorum eſt cupiditas , quam quidam appetentes erraverunt à Fide , & inſeruerunt ſe doloribus multis* . Semper tamen eſt peccatum mortale quando quis propter temporalia violat,aut violare eſt paratus in re gravi,aliquod præceptum per omiſſionem ſeu commiſſionem.Semper tamen iſta ſollicitudo eſt cavenda , propter imminentia pericula . Moderata tamen & prudens ſollicitudo temporalium , ne otio marceſcant homines eſt laudanda. Unde Proverb.6.

Vi-

Vade ad formicam, *ô piger & conſidera vias eius*, *& diſce Sapientiam*. Et Proverb. 26.10. *Qui congregat in meſſe*, *filius ſapiens eſt*. Sed hanc ſollicitudinem ego diligentiam vocarem, quæ eſt ſine anxietate.

Hęc ſufficiat de quatuor Virtutibus Cardinalibus, quæ cæterarum virtutum Cardines ſunt, ideoque magno ſtudio quærendæ. Vide noſtrum P. Franciſcum Bonæ Spei.

QVÆ.

Digitized by Google

QVÆST XV:

De Septem peccatis Capitalibus.

ART. I.

De Superbia.

QVia peccata ſeptem, quæ communiter dicuntur mortalia, non ſemper talia ſunt, rectius dicũtur Capitalia, quia ad ea plurima reducũntur.

1 Primum ergo peccatum inter ſeptem Superbia eſt, omnium malorum origo, & caput, & ſic definitur. Eſt inordinatus appetitus proprię excellentię. Quæ ſi eſt perfecta, nempè quando quis ita deſiderat excellere, & hoc velit cum Dei contemptu, & Superiorum; modis indebitis, aut ſe complacendo in aliorum abiectione, mortale eſt. Quando autem caret plena, & perfecta animi deliberatione; nec adeſt gravis irreverentia Dei, & Superiorum, & quando res in qua primatum, & excellentiam appetimus, parva, & exigua eſt, tun eſt veniale. Azor.

in

Inſt.moral.lib.4.cap.12.

2 Ad Superbiam reducitur inanis gloria, quæ tunc eſt mortale, quando optatur, & quæritur ex re valdè mala, aut malis artibus, aut refertur ad malum finem; cuius inanis gloriæ filiæ ſunt ſeptem; & ideo inanis gloria ab aliquibus ponitur pro peccato capitali loco ſuperbiæ, quæ ideo eſt fons, & origo omnium peccatorum, quia in quolibet peccato reperitur aliqua ratio Superbiæ: quia peccator ſaltem īplicitè non vult obedire Deo, & de facto illi contradicit.

3 Filiæ igitur inanis gloriæ ſunt iactantia, Novarum rerum cupido, Hipocriſis, Pertinacia, Diſcordia, Contentio, Confidentia. Vide hic Azor.

4 Hic pro praxi nota, quod qui appetit beneficia Eccleſiaſtica, aut publicam adminiſtrationem rerum, ſi illa deſiderat, ut excedat alijs, eſt ſuperbus, ſi ut emineat potentia, & dominatione eſt ambitioſus; ſi ut adipiſcatur laudem, & gloriam humanam, eſt gloriæ cupidus. Si lucrum quærit, eſt avarus. Tandem dicitur Arrogans, ſi recipiat officia ſuis viribus improportionata. Sciat ergo diſcernere Confeſsarius inter hęc.

5 Ambitio eſt peccatum mortale, quando verificantur conditiones, quas enunciavimus de inani gloria, cæterum veniale erit.

Qui laudat aliquē de re mortaliter mala, vel gaudet laudari de illa peccat mortaliter; ſicut qui audit approbando ea.

Sed quęres quænam ſit differentia inter magnanimitatem, & Superbiam.

7 Dicendum quod quando aliquis vult celſitu-

di

dinem non ſemper eſt ſuperbus, ſi velit ſecundum dictamen rationis, modo quo oportet illam velle, eſt enim magnanimus, & ſic licet aggredi magna, debito fine, & circumſtantijs, ſed tunc eſt ſuperbus, quando operatur contra rationis Regulam, nempè conſtituendo finem appetentiæ in propria excellentia, & ſuperbia. Tolet. hic *Inſt.Sacerd.*

Conditi novarum rerum introducentes in Civitatem novos habitus, & prævidentes ſuo exemplo imponi moralem neceſſitatem, ut alij ſumptus faciant ultra vires cum pernicie familiæ, & creditorum, mortaliter peccant Bald. l.c. Baxemb. l.hic, & benè, quia non oportet ruinam ſpiritualem cæteris concivibus eiuſdem conditionis contra præceptum Charitatis, & re vera infertur moralis neceſſitas nobilibus eiuſdem condititionis, ne afficiantur rubore. Ut per ſe patet. Quare debent ſeriò promittere emendationem. Hæc valdè notet pro praxi prudens Confeſſarius.



AR3

Digitized by Google

ART. II

De Avaritia.

1 Avaritia, quæ opponitur liberalitati, & Iuſtitię, tunc eſt peccatum mortale; quandò verè eſt inordinata, quando eius cauſa Divina Lex prævaricatur, aut fit contra Iuſtitiam; licet etiam aliquandò poſſit eſſe mortale, cum eſt contra charitatem, non ſuccurrendo, v. g. Proximo in extrema, aut gravi neceſſitate conſtituto.

2 Pro praxi obſerva, quod Avaritia peccatur his caſibus. 1. Retinendo pecunias, & res utiles pręter modum. Nempè non dando, quando, & quibus oportet. 2. Acquirendo, & congregando eas res pręter modum. Immoderato affectu erga ipſas. Et ſcias quod Avaritia, non ſolum eſt in ordinem ad alios, non dando, aut accipiendo debito modo; Sed etiam erga ſe ipſum. Qui enim ſumptus neceſſarios ſibi negat, ex affectu pęcuniæ, Avarus eſt.

3 Avaritiæ opponitur prodigalitas, quæ ex genere ſuo eſt venia'e, & tunc fit ſolum mortale, ſi filijs, Vxori, paupertatem inducas, ſi te reddas impotentem ad debita ſolvenda, ſi profundas bona Eccleſiaſtica ad pōpas, & alia inutilia (Hoc valdè nota

in

in praxi pro Eccleſiaſticis] vel non ſatisfacias piis cauſis prodigè vivendo.

4 Avaritiæ filiæ ſex ſunt. 1 Obduratio cordis. 2. Inquietudo cordis. 3. Violentia 4. Fallacia, ſivè dolus in verbis. 5 Fraus, ſivè dolus in facto; 6. Proditio, quæ eſt deceptio contra fidem datam.

5 Pro proditione circa ſecretum, ſcias quod aperire alienas literas ob tuum damnum avertendum, non eſt peccatum, dummodo aliud non intendas, ſed ceſſante hac cauſa, aperire cum notabili damno alterius, eſt mortale; & eſt peccatum curioſitatis, & Iniuſtitiæ, quia quilibet habet ius conſervandi ſecretum in ſcriptis ſuis; Quare ſi fuiſti cauſa efficax dãni, iuxta dicta teneris ad reſtitutionem.

6 Sed quæres quod nam ſit maius peccatum prodigalitas, an Avaritia?

Dicendum eſſe maius peccatum Avaritia. Nàm prodigalitas minus diſtat à liberalitate. Cæteris tamen paribus.

AB:

ARTIC. III

De Luxuria.

1 Luxuria eſt immoderata cupido venereorum, & in hac non datur parvitas materię, ſi adeſt delectatio venerea, & dicitur inordinata cum ſit extra legitimum Matrimonium. Cur autem non non detur parvitas materię in rebus venereis videbis, infra, regulas poſitas ad cognoſcendum in quibus peccatis excuſet à mortali parvitas materiæ.

2 Luxuria dicitur capitale peccatum, non ex eo quod ſub ſe habeat multas ſpecies, ſed quia aliqua vitia parturit tamquam filias, & ſunt octo. 1. Cęcitas mentis. 2. Præcipitatio, nam luxurioſus ſine cõſilio operatur. 3. Inconſideratio. 4. Inconſtantia in pijs propoſitis. 5. Amor ſui. 6. Odium Dei. 7. Affectus huius ſæculi. 8. Horror futuri. Priores quatuor ſunt mortales, ſi finis ultimus ponatur in creaturis. Poſteriores quatuor per ſe, etiam ſunt mortales ſi adſit plenus conſenſus voluntatis. Ex imperfectione tamen actuum ſæpè redduntur veniales; & licet hæ filiæ pullulent etiam ab alijs vitijs, ſæpè autem à luxuria prodeunt.

3 Sed quæres an in odio Dei detur parvitas materiæ?

Dicendum non dari, ſi eſt verè actus humanus. Patebit ex dicendis de Luxuria infra de ſextò pręcepto Decalogi.

Sciat pro praxi prudens Confeſſarius, quod circa luxurioſos adhibenda eſt maxima prudentia. Ideò conſideret attentè, quæ in hoc opere ſparſim dicta ſunt de luxuria, & de eius ſpeciebus præſertim quæ dicētur de 6. præcepto Decalogi. De reſtitutione, & in quæſt.ult.Miſcell.

ARTIC. IV.

De Ira.

1 IRa eſt inordinatus appetitus vindictę, quę inordinatio, vel fit ex parte modi iraſcendi, ut v g. quis interius nimis exardeſcit, ſeu exterius nimis iram patefacit. Vel ex parte obiecti optando vindictam iniuſtam, vel iuſto maiorem, vel exequendam propria auctoritate, vel ut ſatiativam animi ſui irati.

2 Nota pro praxi. Quod ex parte obiecti ex genere ſuo ſemper eſt peccatum mortale, ex parte autē modi iraſcēdi eſt veniale, niſi fiat mortale per accidēs addendo maledictiones animo plenè deliberato, ſeù blaſphemias, aut ſcandalum oriatur. Semper tamen ut ſit culpa mortifera requiritur plena animi deliberatio, & quod non adſit iuſta cauſa, nam benè Superiores iraſcuntur culpis Subditorum, eoſque be-

nè

nē puniunt *Iraſcimini,& nolite peccare*, Tandē requiritur, quod Ira ſit in re gravi, & non in levi: nam poteſt tunc eſſe veniale, aut etiam mortale iuxta modum, & circumſtantias, ut prudentia dictabit.

3 Filię irę ſunt ſeptem. Nempè indignatio, Tumor mentis, clamor, Blasphemia, Contumelia, Opprobrium, & Rixa.

4 Pro Contumelia, nota quod eſt obiectio alicuius mali animo inhonorandi; undè ad corrigendū, humiliandumque aliquem, niſi modus excedatur, poſſunt Superiores ſubdito obijcere verbum contumelioſum. Chriſtus vocavit ſtultos Apoſtolos, & Apoſtolus Galatas inſenſatos: & etiam fit facto contumelia, imaginem, aut litteras alicuius conculcando; ut diximus obligatur ad reſtitutionem, etiam quod fama non ſit læſa; & fit per amicabilem ſalutationē, invitationē ad menſam, petitionē veniæ, etiam flexis genibus, ſi fuit iniuria gravis; & per me gravitas iniuriæ eſt explicanda in Confeſſione, quia mutat iudicium Confeſſarij. Maledictum enim, Seditio, Bellum, & vindicta, ad illas ſeptem reducuntur. Navar. *cap.23.n.15.*

5 Ira dicitur ab eundo, quaſi homo per iram extra ſe eat. Huius enim iræ, tres ſunt ſpecies, aut gradus. Nempè ira, iracundia, & furor: iam diximus quid ſit Iracundia, eſt enim ira permanens. Furor eſt memoria mali illati. Sed appetitus vindictæ inſurgit tempore convenienti. Tolet. *hic de Inſtruct. Sacerd.*

6 Quæres quibus virtutibus Ira opponatur?

Dicendum Iram interius opponi manſuetudini: Nam hæc virtus frænat motus, & concitationem, &

appetitus interiores ad vindictam. Ratione actus exterioris; Dicendum opponi Clementię. Nam Clementia concitatum choibet, ne exterius progrediatur ad vindictam.

7 Quæres 2. Quomodo Odium differt ab ira? Dicendum differre in hoc; Quod ira intendit vĩdictam ob iniuriam acceptam. Odium intendit malum alicui, nulla accepta iniuria, vel quia malus eſt, vel quia nobis diſplicet, aut contrarius eſt. Azor. *lib.3.cap.7.S.*Thom 1.2.*q.46.a.6.*

Pro praxi nota quod rixæ ſi leves ſint, ſunt de ſe peccata venialia, ſi ad vulnera, ſeditiones, & cædes progrediatur ſunt mortalia, & præcipuè ex parte incipientis rixam, nam alter poteſt ſe defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ: ſed de hoc alias.

ARTIC V.

De Gula.

1 GUla eſt inordinatus appetitus cibi, & potus. Opponitur Temperantię, & ſobrietati. Gula quinque parturit vitia, licet etiam ab alijs peccatis oriantur: frequentius tamen, & tanquam à fonte, à gula proficiſcuntur. Et ſunt Hebetudo mentis, Immoderata lætitia, Quæ tunc eſt immoderata, quãdo eſt inductiva per ſe ad peccatum, & eſt mortalis. Multiloquium, Scurrilitas, & Spurcitia. Ex genere ſuo gula eſt peccatum veniale, ſed fit mortale per accidens. 1. Si quis ob delectationem gulæ violet præcepta Eccleſiæ. 2. Si quis ex gula reddatur notabiliter ineptus ad functiones, ad quas exercendas tenetur ſub mortali. Si graviter noceat valetudini, & id advertat, ut ſi quis ægrotus bibat vinum, aut edat quod nocere poteſt notabiliter, ſi hoc faciat ob delectationem gulæ, ſi autem ex magna ſiti in febri biberet etiam advertenter vinum, credo quod non eſſet mortale niſi adeſset aliqua circũſtaantia, per quã tale redderetur. 4. Si continuò epuletur, ita ut dici poſsit, quorum Deus venter eſt. 5. Si aliquis bibat ad perfectam ebrietatem. 6. Si ex gula, non autem

ad modum medicinæ, carnes humanas, aut ſanguinem ederet. 7. Si nimis comedat ad fornicandum, ſeù ad procurandam pollutionem.

2 Hic nota quod iuſta de cauſa licitum eſt inebriare inimicum, ne occidat te. Proditorem ne Civitatem capiat, dummodo ipſi ebrio ſit ebrietas involuntaria, aliòquin inducerem illum ad peccandũ, quod nullo modo poteſt. Leſſius tamen *lib.* 4. *cap.* 3. dicit licere in talibus caſibus etiam inebriare voluntarium: Nam eſt inducerè ad minus malum, ut maius impediatur: quare non eſt velle malum, ſed maius impedire. Quod totum libenter concederem, ſi eſſet in eodem genere mali, ut v.g. ſuadere minus furtum: ſed quia hic ſumus in diverſo genere mali, non audeo talem ſententiam approbare.

3 Pro praxi, plena ebrietas, quę eſt mortale peccatum cognoſcitur ex his ſignis. Si non recorderis eorum quæ feciſti, ſeù dixiſti. Si ea commiſiſti, quæ ſana mente nunquam feciſti. v.g. protuliſti blaſphemias; verberaſti Vxorem. Et nota quod mala perpetrata in ebrietate, ſi prævisa non fuerunt, aut fuit adhibita cautio ne ſequerentur, non ſunt peccaminoſa. Sed.

4 Quæres 1. An Petrus v.g. cognoſcens ſe ex potu, ſeù cibo inordinato paſſurum nocturnam pollutionem, ſi non bibat, aut comedat hoc fine, peccet adhuc mortaliter?

Dicendum negativè, ſed tantùm venialitèr. Si tamen timeatur probabiliter ex nimio potu aliquod peccatum mortale ratione magnæ libidinis, tunc ſic bibere, aut comedere mortale eſt; quia exponit ſe tali periculo probabili; pollutio autem nocturna non

eſt

ſturna non eſt peccaminoſa, quando non intenditur, nec eſt volita ſaltem in cauſa, quod non militat in tali caſu. Tolet. hic *lib*.X.

5 Quæres 2. An liceat ebrietas ob recuperandã ſanitatem.

Dicendum dato iſto caſu licere. Caiet. 2.2 *q*.50. Nam licitum eſt perdere uſum rationis ad tempus, ut diuturnius, & melius recuperetur, concurrentibus tamen duabus condictionibus, ut alia via non poſſit ſalus recuperari, & in tali ebrietate non timeatur aliquod damnum; quibus conditionibus concurrentibus licet. Toletus hic; & tunc illa ebrietas non eſt contra temperantiam propriè, quia eſt ad modum medicinæ, nec intrinſecè mala.

Nota pro praxi, quod ebrius qui ſolitus eſt arma deferre, nec ſolet vulnerare, ſi occidat, an incurrat irregularitatem, lis eſt ſub Iudice, Ego adhæreo dicentibus non incurrere. Victoria hic. Bibere, & comedere uſque ad vomitum, & vomere ut iterum comedatur probabilius eſt, quod ſit mortale. Sa, Eſcob. *t*.2. Reminiſcere damnatæ propoſitionis ab Innoc. XI. quæ iu ordine eſt 8. An. 1679.

ARTIC. VI.

De Invidia

1 INvidia quę opponitur Charitati. Eſt Triſtitia de alterius bono prout eſt diminutivum propriæ excellentię. Eſt peccatum mortale ex genere ſuo, & ſi triſteris de gratia Dei, & auxilio Divino proximi tui, eſt peccatum in Spiritum Sanctum.

2 Filiæ Invidiæ ſunt quinque. Odium, Detractio, Suſurratio, Lætitia de rebus adverſis, & triſtitia de ſecundis alienis. Sunt ex genere ſuo, & ex obiecto, mortalia. Venialia ex parvitate materiæ, ſeù ex imperfectione actus.

3 Pro praxi nota, quod ſi quis triſtetur de bono alterius, quatenus ex illo timet ſibi malum, v.g. quia Inimicus tuus factus eſt Iudex, ſeù privatus Principis; non eſt invidia, ſed timor; qui tunc eſt peccatum, quando eſt inordinatus, & eſt veniale, ſeù mortale iuxta deordinationem, & gravitatem materiæ. Si aliquis triſtetur de bono alterius, quia illi deſit, nec proximo optet eius privationem non eſt Invidia, ſed ęmulatio, & zelus; qui, ſi eſt circa bonum honeſtū et laudabilis, ſi circa bonum nobis improportionatum regulariter eſt veniale, ut v.g. ſi aliquis Eccle-

ſi-

ſiaſticus indoctus doleret ſe non eſſe Epiſcopum, ſeù Pontificem. Hoc tamen ex nimia deordinatione poſſet fieri mortale, reduceretur enim ad Superbiam. Si aliquis triſtetur de bono alterius, quàtenus ille tali bono indignus eſt, non dicetur invidia, ſed iuſta indignatio: quę tamen erit peccatum mortale, ſi providentiam Dei cauſaberis, eritque etiam blaſphemia. Unde propriè invidia eſt, quando apprehendis bonum proximi præcisè, ut tibi malum, & tuæ excellentiæ diminutivum. Invidus enim dicitur quaſi non videns, quia ſine triſtitia non poteſt videre bonum alterius.

4 Quæres an ſemper invidia ſit mortale peccatum?

Dicendum eſſe. Quando bonum de quo triſtatur eſt grave. Quando adeſt conſenſus voluntatis, & nō ſolus motus in parte ſenſitiva, quaſi ſubitus, & naturalis. Mortale enim exigit plenum conſenſum voluntatis.

IAR-

Digitized by Google

ARTIC. VII.

De Accidia, ſeù Pigritia.

1 Accidia, ſeù Acedia prout eſt peccatum capitale, eſt vitium, quo quis faſtidit res Divinas, & ſpirituales. Conſiſtit in quodam tædio rerum Divinarum; Undè Accidia repugnat Charitati, quæ replet gaudio corda piorum. Hic accipitur Accidia, pro pigritia, licet pigritia conſiſtat in ignavia, & deſidia, qua quis munus ſuum deſerit timendo laborem, aut moleſtiam, differt tamen ab ea, quia accidia res divinas, & bonas quodam faſtidio aborret, nulla habita ratione laboris, ignaviæ, & difficultatis ſicut pigritia.

2 Dicitur Accidia, quaſi quod res Divinæ nobis ſint acidæ, inſulſæ, & ideò filiæ Accidiæ ſunt quinque. Deſperatio. Puſillanimitas. Torpor animi. Rācor. Evagatio mentis, & ex genere ſuo ſunt mortales, quia plurimum adverſantur Charitati. Poſſunt autem excepta prima, eſſe veniales ex parvitate materiæ, & indeliberatione actus. Evagatio autem mētis tunc ſolum eſt mortalis, quando attentio cadit ſub præcepto, ut in recitatione Horarum Canonicarum, auditione Sacrificij iuxta dicenda in quæſt. ult. Miſc.

Quæ

Quæres quando Accidia ſit mortale?

Dicendum, quando eſt de ipſo bono ſpirituali ſecundum ſe cum conſenſu rationis, tunc eſſe mortale: ſecus ſi quis v.g. non triſtetur de Ieiunio, de Concione ſecundum ſe, quaſi nollet iſta ſpiritualia; ſed quia nollet in tali differentia temporis, puta tali die, tali tempore. Et etiam eſt mortale quando committitur, aut obmittitur opus debitũ, ſeù indebitũ ſub mortali. Tolet. Sanch. *Conſ. par. 2. cap. 2. diſt. 31.*

QVÆST. XVI.

De Præceptis Decalogi.

ART. I.

De Primo Præcepto Decalogi.

Unum cole Deum.

1 PRæmittendũ. 1. Quod Decalogi præcepta alia ſunt affirmativa, alia negativa. Affirmativa obligant ſemper, ſed non ad ſemper. Non tenemur ſemper actu honorare Parentes, ſed tempore debito. Negativa verò obligant ſemper, & ad ſemper; Nun-

quam

quam enim licet furari, occidere &c. Unde ſemper tenemur ad actus per illa præcepta imperatos.

2 Præmittendum 2. Alia eſſe præcepta, quæ verſantur circa Divinum honorẽ immediatè, ut ſunt tria priora, & vocantur pręcepta primæ Tabulæ. Alia circa utilitatem proximi, & ſunt ſeptem poſteriora, & dicuntur præcepta ſecundæ Tabulæ. Fuerũt enim à Deo in duabus Tabulis ſuo digito, Moyſi nobiſque deſcripta.

3 In iſtis pręceptis à mortali excuſat materiæ parvitas, ſed non in omnibus, ut in falſo iuramento, luxuria, &c. *I*ndeliberatio voluntatis, cum non eſt in noſtra poteſtate facere, ſeu non facere ex defectu uſus rationis, ut in dormientibus, delirantibus. *Cæ*terum iſta præcepta obligant ſub mortali.

4 Præmittendum 3. Iſta præcepta non obligare ad finem præceptorum, qui finis eſt Charitas, ſed ſolum ad actum in præcepto incluſum. v.g. non furtũ facias, obligat ad non furandum ſimpliciter, non ex charitate, licèt ut meritoriè fiat adimpletio præcepti, debeat fieri ex charitate, ſeù dicas quod pręceptum quoad ſubſtantiam poteſt impleri ſine charitate, non tamen quoad modum.

5 Prout hoc primum præceptum eſt affirmativum, pręcipit actus virtutis Religionis. Religio enim eſt virtus moralis, qua Deo exhibetur interior, & exterior cultus debitus. Actus internus, eſt animi ſubmiſſio, qua veneramur infinitam Dei excellentiam. Actus externus eſt, quo manifeſtamus internum. ſat v.g. Oratio, Sacrificium. Et nota obiter, quod Actus internus voluntatis, eſt perfectior, ideoque amagis meritorius, quando eſt coniunctus cum exteriori.

teriori. Reſolutus de Baccone *in* 3.*diſt*.38.*art*.5.*&* 6 Ad hoc tamen præceptum reducuntur actus Theologicarum virtutum. Undè S Auguſtinus ait in Enchyrid. *cap*.3.*Fide, Spe. & Charitate Deum eſſe colendum*. Nunc videndum eſt primò, quid circa Religionem præcipiatur, & quatenus hoc præceptum negativum eſt, quid prohibeatur, ut debitè fieri poſſent interrogationes. Omiſſis igitur virtutibus Theologalibus, de quibus iam aliqua neceſsaria prænotavi, &c. & Sacrificio, de quo pro nũc non multũ refert ad intentũ.

6 Sciatis quod oratio propriè loquendo eſt actus virtutis Religionis, & definitur quod eſt elevatio, ſeu mentis aſcenſus in Deum ad laudes, ſeu gratias referendas, aut poſtulandas. Quæ ſi fiat à Miniſtro Eccleſiæ ipſius nomine, eſt oratio univerſalis, & publica. Si à particulari dicitur particularis, & privata; quæ etiam dividitur in mentalem, & vocalem. De mentali, vide S. Franciſcum Saleſium, devotæ vitæ eximium Magiſtrum, in ſua introduct. Sed.

7 Quæres an Oratio ſit neceſsaria ad ſalutem neceſsitate præcepti, ita ut fideles teneantur ad illã præcepto Divino?

Dicendum teneri, Patet ex Matth. 7.*Petite, & accipietis, quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis*, & cap.27. *Vigilate, & orate, ut non &c.* & Lucæ 18. *oportet ſemper orare*. Undè S. Chriſoſt. lib. 1. *de orãdo Deum*, ait; *Quemadmodum corpus hoc noſtrum ſi non adſit anima profectò mortuum eſt, ac fætidum, ſic Anima niſi ſe ipſam incitet ad orandum, mortua eſt ac miſera, & graviter dolens, ſpecialia enim auxilia Divinæ gratiæ maximè impetrantur media oratione, ſine quibus auxilijs homo non poteſt perſeverare, & tentationes ſuperare*. Ergo, &c.

8 Quæres 2. Quo tempore obligemur ad Orationem?

Dicendum ſi loquamur de præcepto Eccleſiaſtico; eſse partibus officij Divini aſſignata certa tempora; ut benè ſciunt Eccleſiaſtici, quæ ſi ſine ulla cauſa anticipent, aut poſponant, vix excuſari poſſunt à veniali, a quo tamen quælibet cauſa rationabilis meo videri excuſat. Loquor de tempore aſſignato Horis Canonicis v.g. Veſperi, Completorio, Tertiæ, Nonæ, &c. Non de die aſſignato pro adimpletione præcepti & recitatione Matutini; traſgreſſio cuius temporis eſſet mortale, ut videre poteritis apud Doctores. Videatis Colleg. Salm. *tract.* 16. *de Horis Canon. cap.* 2. *de recit. offic punct.* 2. Lezanam hic. Videndus etiam Doctor meus Reſolut. *in* 4. *diſt.* 20. *art.* 2. 3. *& quæſt.* 3. ubi pulchra dicit circa ſuffragia communia, & orationem: ipſum videatis. Si de prçcepto Divino loquamur.

9 Dicendum obligare ex varijs capitibus. 1. Si urgeat gravis tentatio. 2. Si immineat occaſio periculoſa peccandi. 3. Si occurrat graviſſima difficultas in adimplendo aliquo præcepto. 4. Ex mente Navar. apud Leſſium *lib.* 2. *cap.* 37. *de Orat. dub.* 3. Si ruinam proximi nequeas impedire niſi per orationem. Exceptis his caſibus, qui per unum menſem v.g. ceſſaret ab omni oratione dubium eſt an mortaliter peccaret? Et ego reſpondeo affirmativè, nam afferret grave prçiudicium animç ſuæ. Hic notate, quod etiam peccatores tempore apto exaudiuntur à Deo, iuxta eius ineffabilem providentiam, ſi orent perſeveranter, & cum propoſito verç emendationis. Notate etiam quod quidquid à Deo poſtulatur per orationem, ab

ipſo

ipſo petitur tanquam a prima cauſa,& Supremo omnium Auctore, quidquid à Sanctis, tanquam ab interceſſoribus poſtulatur.

10 Queres 3. An etiam poſſint dirigi Orationes noſtræ ad Animas in Purgatorio degentes,ut illę pro nobis impetrent apud Deum? D.Thom.*q*.85.*art*.11. Negat: dicit enim, quod licet ſint illæ Animæ nobis Superiores, quantum ad impeccabilitatem, ſunt tamen inferiores quantum ad pænas, quas patiuntur,& ſecundum hoc non ſunt in ſtatu orandi pro alijs, ſed ut magis oretur pro eis. Si ergo inferunt aliqui, & præcipue Abellij non ſunt in ſtatu orandi pro nobis, nec ſunt in ſtatu, ut debeant orari à nobis. Et confirmatur,quia in eo ſtatu non poſsunt cognoſcere noſtras Orationes, ſicuti Beati cognoſcunt, nam has cognoſcere, pertinet ad eorum gloriam accidentalẽ. Sed pace tantorum Doctorum.

11 Dicendum omninò orationes noſtras poſse, imò debere dirigi ad animas, quæ in Purgatorio exiſtunt.

Sunt enim certè in ſtatu, ut magis oretur pro ipſis, ſed quare, & ipſæ non poſsunt orare pro alijs?

Infirmus enim non poteſt rogare Medicum pro alio Infirmo? Dices ſunt in ſtatu in quo non poſsunt, ut Beati cognoſcere noſtras Orationes. Concedo;ut faciunt Beati in Divina eſsentia; ſed non poſsunt ea ſcire Angelica revelatione? Nam Angeli in Purgatorio, ut eſt ſententia multorum Doctorum frequenter ad eas viſitandas, atque ſolandas accurrunt.Non poſsunt quidem pro ſe ſatisfacere, ſed poſsunt impetrare pro alijs. Sed efficaciter me movet ferè omnium Catholicorum pietas, quæ orationes ſuas cum

ma-

magna fiducia, & fructu ad eas dirigit. Quanta enĩ auxilia, Gratiæ, & miracula eorum interceſſione referuntur apud graves, pios, & doctos Auctores? quæ licet de fide non ſint, pium eſt credere, præcipuè ad erga eas excitandam devotionem fidelium, ſuffagijs, alijsque pænalibus operibus. Hoc certiſsimè credendum, præſertim cum rationes, quę in cõtrarium afferuntur non valdè urgeant. Vide Medinam *q.5.de oration.* Cum ergo nos adiuvare poſſint, ergo debent precari.

12 Adverte quod debemus orare pro illis omnibus, quos debemus ex Charitate diligere, & quibus Orationes noſtræ poſſunt prodeſſe. *Noluit pacis Doctor* ſcribit S. Cyprianus *in expoſit. Orat. Dom. ut quis pro ſe tantùm præcetur.* Non enim dicimus *Pater meus*, nec *panem meum da mihi*, ſed *Pater noſter*, *Panẽ noſtrum da nobis*. Infertur, quod tenemur in communibus Orationibus orare etiam pro inimicis, & pro quocumque maximo peccatore, non tamen pro dãnatis, nec pro Sanctis, *Iniuriam* dicit S. Auguſtinus *facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Debemus tamẽ gratias Deo referre de eorum gloria, & donis gratiæ, & poſtulare quod pro maiore Dei gloria, eorũ Sanctitas cognoſcatur, ad excitandam in populis devotionem, & imitationem. Inſuper debemus orare cum attentione, & devotione, nam oratio debet procedere ex pio quodam affectu: Quando autem oratio cadit ſub præcepto, ut in officio Divino, qui voluntariè diſtrahitur peccat mortaliter, & licet regulariter actus interni non precipiantur ab Eccleſia, quando ſunt coniuncti cum externis, ut in oratione, cadunt, & ipſi ſub præcepto. Eccleſia enim dum

pre-

præcipit confeſsionem, pręcipit internum dolorem, quia requiritur ad validam Confeſſionem, ſed intē de iuxta modum quē explicabimus in ult. quæſt. Miſcell. Tandem observa quod totum, quod non eſt eſt contra noſtram ſalutem, licitè petitur.

De Oratione vide Lexanam *tom.* 1. & de eius neceſſitate quoad Religioſos, ubi multa reperies.

13 Quoad Sacrificium, ut ſaltem aliqua percipiatis, noto quod.

Eſt oblatio facta Deo per immutationem alicuius rei in ſignum ſupremi dominij ſuper res omnes, ex legitima inſtitutione. Suar. *diſp.* 73. Filiucc. *tract.* 4. *de Euchariſtia diſp.* 1. *num.* 8. & fuit Sacrificium in lege naturę; in lege ſcripta, & in nova. Miſsa eſt verè Sacrificium, nam ex vi verborum ſeparatur Corpus à Sanguine, ſicque mactatur victima incruenter, & myſticè. Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. *c.* 14. Vide Salm. noſtrum *de Sacram. in genere tract.* 5. *cap.* 1. 4. ubi copioſè de hac re; in applicatione Sacrificij expedit habere ſecundam intentionem: nempè ſi anima defuncti pro qua celebratur ſit in Cęlo, ſeu in Inferno, applicetur pro v. g. tali, vel tali, pro Benefactoribus, & præcipuè pro illis, quibus non eſset data debita ſatisfactio: aliòquin rediret in Theſaurum Eccleſiæ. Non peccat mortaliter Curatus ſi diebus feſtivis non applicet Miſsam pro Parochianis, niſi obligetur ex fundatione, pacto, ſeu lege Diæceſana, aut aliqua particulari obligatione. Laym. *lib.* 5. *cap.* 3. *nu.* 3. congruum tamen eſt, ut aliquando hoc faciat, & ſemper pro ſuis oret.

Hic nota quod hoſtię parvæ, quæ à Sacerdote conſecrantur propter communionem fidelium, debe-

relinqui in ara conſecrata ſuper corporale tempore Sacrificij, nempè donec Sacerdos ſumat corpus; & ſanguinem Domini, nam omnes ſunt una victima, & per modum unius offeruntur; & ſicut Sacerdos non poteſt dare de ſua hoſtia priuſquam ipſe ſumpſerit, ſic dicendum de alijs; cum ſit una victima & hoſtia, omneſque oblationes, benedictiones, orationes, quæ ſequuntur non minus pertinent ad parvas, quam ad magnam hoſtiam, quare ante ſumptionem Sacerdotis integra, & perfecta victima non eſt ſacrificata. Obſervetur igitur totum pro praxi, nam à multis aut negligitur, aut ignoratur.

Sunt aliqui Sacerdotes, qui ægrè inducuntur ad communicandos alios dum celebrant, iſti malè faciunt, & contra mentem Concil. Trid. *Seſſ. 22. cap. 6.* ubi habentur præciſa verba: *Optaret quidem Sancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles aſtantes, non ſolũ ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent &c.* Quare non inficiantur Sacerdotes obtemperare tam ſalubri, & venerabili deſiderio. Hic nota quod Euchariſtia ſignificat bonã gratiam, ſeu gratiarum actionem, nam per ipſam uberrimas gratias recipimus, & acceptiſſimas Deo gratias referimus Chatec. Rom. *p.2. cap.4.* An Diaconus in caſu neceſſitatis deficiẽte Sacerdote poſſit viaticum adminiſtrare moribũdo, multi affirmant, imò etiam laicus, & etiam ſibi ipſi. Suar. *diſp.72. ſect.1.* Tolet. *lib.2. cap.8.* laudatur enim factum Mariæ Reginæ Scotiæ, ſed fuit, ut aiunt diſpenſata à Pontifice. Quoad laicos, non concederem niſi de licentia Pontificis.

14 Quæres tandem, an Oratio facta in peccato mortali à privata perſona ſuffragetur Animabus Purgatorij?

Di-

Dicendum negativè. Sed ſi Oratio ſit inſtituta ab Eccleſia, ut Officium Defunctorum, Horę Canonicę, Pater noſter, &c.illis prodeſt, nam talis Oratio, ut ab Eccleſia inſtituta Deo grata eſt,& illa intelligit, ut offeratur pro ſuis membris vivis. Navar. *de reſt.lib.2.cap.2.num.254.*

Sed multi contrarium ſentiunt, & eſt probabile, quod dicunt.

15 Quatenus verò hoc primum præceptum negativum eſt, prohibet multa, ſed præcipuè ſuperſtitionem, radicem cæterorum malorum. Qua cultus illegittimus Deo, ſeù Creaturæ cultus indebitus exhibetur. Opponitur Religioni, cum ſuis ſpeciebus per exceſsum; & ſpecies quinque ſunt; Nempè Idolatria, Magìa, Divinatio, vana Obſervantia, & Maleficium, *D*e quibus videre poteritis multa apud omnes Doctores; Nos autem pauca adnotabimus, ut promiſſam ſervemus brevitatem, tradendo tamen notitiam ſufficientem Confeſſori, ut ſciat diſcernere aut ſaltem prudenter dubitare,

16 Pro praxi nota cum Toleto, quod perſonæ ſimplices aliquandò non peccant ſaltem mortalitèr, utentes ſuperſtitionibus, & vanis obſervationibus, in quibus tacitè Dæmon invocatur, nam poſſunt invincibiliter ignorare ſe Dæmonem invocare. Quando autem ſunt admonitæ, vel incipiunt dubitare, tunc nullo modo excuſari poſſunt.

17 Sed quia diximus Divinationem eſſe unā ex ſpeciebus ſuperſtitionis,& caſus faciliter occurrit, aliqua debent adnotari circa Divinationem per aſtra, quę non obſtantibus Conſtitutionibus Pontificijs noſtro ſæculo viget in Animarum perniciem.

Doctor meus de Baccone *in 4. Prologi q. 9.* Multa dicit quærendo an Aſtronomia ſit mala, qui ut video ex exemplis allatis accipit Aſtronomiam pro Aſtrologia, ſeu ex ſcientia Aſtronomica vult inferre periculum labendi in errores Aſtrologię. Nos conſiderantes eius doctrinam, & aliorum Doctorum dicimus, Aſtronomiam, quę ut ab Aſtrologia diſtinguitur, & conſiderat Cæli motus, Obitus, & Ortus ſyderum, opportunitatem plantandi, effectus naturales, ut punctum Lunæ, &c. bonam eſſe, & laudabilem.

18 Suar. *de Relig. lib. 2. de Superſt. cap. 11. n.* 8. Sãchez *in Decal. tom. 1. lib. 2. cap.* 38. *n.* 28. dicunt quod etiam Aſtrologia naturalis, quæ prædicit per coniecturas ex aſpectu Aſtrorum, temperamentum, & propenſiones hominum eſse licitam, cuius tamen effectus demptis neceſſarijs, ſunt valdè incerti, & dubioſi: nam pendent ab alijs cauſis, ut dicit Caietanus 22. *q.* 95. *art.* 5. Unde vix debent vocari coniecturæ. Quare inclinatio pueri naſcentis prędici poteſt, ſed non ut certa, nec verè probabilis. Si poſtea iſta Aſtrologia iudiciaria prædicit effectus pendentes ex libero arbitrio, & fortuitos, omninò illicita eſt, & divinant Aſtrologi ex pacto tacito Dæmonis, ut eſt divinare matrimonium, liberos, mortem, &c. & ſic Aſtrologus init pactum tacitum cum eo, quod fit utẽdo cauſis non habentibus connexionem cum effectu, ut accidit in alijs ſuperſtitionibus.

19 Hic nota quod ſuppoſita Couſtitutione Sixti V. Non poteſt Aſtrologus nec coniecturaliter quamvis tenuiſſimè, illos effectus prædicere. Salas *par. 2. q. 9. art. 5. tract. 2. par. 2. ſect. 3. nu.* 38. Carena de S. Officio.

cio. Proteſtantur tamen Aſtrologi omnia à Deo evenire, ſe tantùm coniecturaliter prædicere, ſe nõ credere illi fallaci arti: ſed totum apparenter ut fugiant pænas, quas tamen ſaltem incurrunt in foro externo in S.Officio.

20 Superſtitioſa pariter eſt Aſtrologia, quæ divinat res præteritas, ſeù præſentes, ut furta,&c.

21 Hæretica tandem ſi prædicit myſteria fidei, & illi qui divinant aliquid de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, de vita, morte, ſeù aſſumptione Romani Pontificis, & eius conſanguineis, ultra pęnam excõmunicationis, quam ipſo facto incurrunt, tanquam læſæ maieſtatis Rei, ultimo ſupplicio ſunt puniendi, cum confiſcatione bonorum. Eccleſiaſtici verò hoc facientes mulctantur inſuper privationibus Beneficiorum, & Officiorum.

22 Extenditur ad tenentes figuras nativitatis; & ad eos qui alijs oſtendunt, & de hac re, verbis tractant. Vide tu an iſtæ Sanctiſſimæ Conſtitutiones obſerventur?

23 Confeſſarius ergo invigilet, & onus denunciandi, cui debet imponat. Benè igitur Doctor meus Reſolutus dicit Aſtronomiam, prout eam diſtinguit, excepta naturali, periculoſam eſſe ad Hæreſes immittendas. Vide eum ut ſupra de Sortibus, & Fato, Magia, & quomodo Dæmones homines decipiant *in* 4.*qu*.10.*art*.4.*&* 5.

24 Pro praxi, & interrogationibus faciendis, ſcias, quod contra hoc præceptum peccant, qui Idolatriam, Iudaiſmum, Hæreſim profitentur. Illi qui à fide per Apoſtaſiam recedunt, qui hæreticos in cauſa hæreſis defendunt, qui dubitant de veritate fidei,

ideſt credunt eſſe dubios articulos; quos ipſa docet, ij qui diſſimulant fidem, quando (hoc nota) fateri tenentur. Qui culpabiliter neſciunt, quæ ſcire tenẽtur circa fidei myſteria. Qui præſumunt de miſericordia, & gratia Dei, vel deſperant, vel murmurãt de eius Iuſtitia, ſeù providentia, Qui deliberatè faſtidit Dei ſervitutem. Item Superſtitioſi facientes pactum implicitum, ſeù prҿterita per modos ſuperſtitioſos ſcire volunt, per Aſtrologiam, Auſpicium, Augurium, Chiromantiam, ſortes, & alios indebitos modos, qui conſulunt Divinos, & Ariolos. Qui Reliquias, Orationes, Ieiunia, tanquam media infallibilia ad aliquid faciendum, ſeù ſcientiam ſine labore acquirendam adhibent, quæ dicitur ars notoria. Qui ſanitatem procurant modis ſuperſtitioſis. Qui vanis obſervationibus ſibi aliquid mali, vel boni ominantur. Qui veneficijs amatorijs &c. utuntur. Qui Deum tentant. Item Sacrilegi, Simoniaci, violatores Immunitatis Eccleſiaſticæ; Templorum profanatores. Vtentes ad profana rebus Sacris. Imagines, & Reliquias Sanctorum contumelioſè tractantes. Abutentes denique verbis Sacræ Scripturæ ad res Superſtitioſas, falſas, ridiculas, & ſimiles. Et etiã qui utuntur arte Cabaliſtica, cum ſit quoddam genus divinationum.

25. Pro Iunioribus, Sciant quod Sacrilegium eſt violatio rei Sacræ. ideſt dicatҿ cultui Divino; & eſt mortale ex genere ſuo, & oportet quod opus peccaminoſum repugnet ſpecialiter rei sacræ, non generaliter ad hoc ut ſit ſacrilegium; aliòquin omnia peccata mortalia eſſent ſacrilegia, nam omnia repugnãt generaliter Sanctitati: & eſt triplex perſonale, quo vio-

violatur perſona Sacra v.g.luxuria, percuſſione,&c locale, quo violatur locus v.g.Eccleſia: Reale, quo violatur res aliqua Sacra, ut Calix, &c. Vide apud omnes Auctores.

26 Pro praxi nota,quod peccatur Sacrilegè etiã per õmiſſionem. Si v.g.res non cuſtodiantur ea munditia, & reverentia, quæ requiritur.

27 Nota etiam quod in Confeſsione exprimenda eſt ſpecies, & materia Sacrilegij. Percuſſio enim Sacerdotis, & luxuria cum ipſo differunt ſpecie.Debet etiam exprimi materia an ſit,v.g. contra Euchariſtiam. In cæteris autem Sacramentis probabile eſt, quod non requiratur,dummodo non adſit aliqua ſpecialis malitia.

28 Nota etiam quod circa Sacrilegiũ furti obſervandum, quod committitur furando Sacrum de Sacro, non Sacrum de Sacro (dummodo res ſint aliquo modo traditæ Eccleſiæ, quomodo non eſt qui furatur crumenam alicui in Eccleſia[vel Sacrũ de nõ non Sacro *in cap.quiſquis inventus* 17.*q*.4.Diana *par. pr.tract.*7.*reſol*.27.Vide Lezanam *verbo ſacrileg.* qui tenet abſolutè, quod quando tollitur non Sacrum de Sacro ſit ſacrilegium, licet quod tollitur non ſit ſub cuſtodia Templi, & dicit hanc ſententiam eſſe probabiliorem, & magis receptam.

29 Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi prætio temporali, aliquid ſpirituale, seũ ſpirituali annexum. Hic pro prætio intelligitur quivis Contractus oneroſus, & ſufficit pactio tacita, ſivè ſit muneris, linguæ, ut eſt laus, & vituperium, patrocinium, ſivè obſequij, ſivè famulatus; Undè dicitur munus à manu, a lingua,ab obſequio. Simonia

monia triplex eſt, mentalis, conventionalis, & realis, unaquequæ habet ſuas pęnas. Tandem Simonia alia eſt iuris *Divini*, quæ eſt prohibita propter malitiam ſuam; ut vendere Hoſtiam conſecratam; & alia Iuris humani. & eſt mala, quia prohibita, ut venditio Beneficiorum ſecundum id, quod in illis temporale reperitur: Vide exempla, & pœnas apud Doctores, nam nimis à brevitate deviarem, pręcipuè Lezanam hic.

30 Simoniaci notorij, pręter alias pænas ſunt infames, & conſequenter irregulares. Vide etiam apud illum pro quiete Religioſorum pulcherrimam doctrinam *n.*31. Sed obſerva quod ſunt damnatæ iſtæ propoſitiones ſub Innocentio XI. in ordinem 45. & 46. *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam prætium, ſed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.* De qua dicam aliqua in ult. quęſt. Miſcellanea *Et id quoque locũ habet etiam ſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; imò etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, seu illud pluris æſtimetur quàm res ſpiritualis*, ſed de hoc in ultima quęſt. Miſcell aliqua pariter adnotabimus.

De Simonia tractat Doctor meus Reſolut. *in* 4. *q.* 9. *diſt.*22. *art.*1.2. & 3. & *qu.*7. ubi proponit varios caſus, circa Simoniam latè, & copioſè.

31 Circa Immunitatem Eccleſię, & Eccleſiaſticorum breviter me expediam: nam eſt mare magnũ, nec ita breviter navigandum. Hic tantùm mentem aperiam mei Confeſſarij, ut ſaltem ſciat dubitare, & quęrere id, de quo dubitat apud Auctores. Immuni-

tas igitur eſt exemptio Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorū, bonorum, cauſarum, & perſonarum à Iuriſdictione Principis laici.

Hoc privilegium eſt quadruplex. Locale, Perſonale, Reale, & Actionale. Privilegium locale Eccleſiarum quoad reos ad eas confugientes, eſt de Iure Divino; ſnnt aliqui rei tamen, qui non gaudent de tali immunitate, ut videre poteritis apud omnes, ſed nō poſſūt extrahi ab Eccleſia, niſi prius Iudex Eccleſiaſticus declaraverit eos nō gaudere imunitate, ſed quomodo in his caſibus procedendum, videte Dianā & Bullam ſuper hoc Gregorianam. An committentes abortum fœtus animati, cum videantur homicidæ proditori j gaudeant Immunitate? Dicendum gaudere, nam malitia homicidij proditoris in hoc conſiſtit, quod occidatur homo rationi compos, qui tamē hic & nunc ſit impotens ad precavendum per dolū; ſed doli infans non eſt capax, non enim propriè poteſt decipi, aut falli. Sententia affirmans immunitatem Eccleſiaſticorum etiam quoad perſonas, & bona eſse de Iure Divino tutior eſt, & tenenda. Conciliū Lateranenſe ſub Innoc.III.*cap*.46. quę poſtea immunitas fuit à Iure Canonico declarata, & ſtatuta. Azorius *par*.1.*lib*.5*cap*.12.*q*.1.Laym.*lib*.4 *tract*.9.*cap*.8 *num* 1.Filiuc.*tom*.1.*tract*.16.*cap*. 11. 316. & hoc fuit habitum, & notum per traditionem Apoſtolicam. Rota Romana in una Albanenſi *die* 28.*Iuni*.1630.& procedit etiam quoad bona: Abbas, & Canoniſtę communiter *in cap. Eccleſia, & in cap. quæ Eccleſiarum &c.* Cui immunitatati Principes, & Reges derogare non poſsunt, ne dum, quia eſt de iure Divino, ſed etiam ſi eſset de iure Canonico; nam fuit à Pontifici-

bus

bus,& Concilijs confirmata, nec poteſt contra ipſam prævalere conſuetudo etiam immemorabilis, nec pariter Clerici poſſunt illi renunciare, neque quoad patrimonalia, quę omnia reperies clarè probata: Vide Dianam de Immunitate, Suar.de Imm. *lib.* 4. *cap.* 34.*n.*27. Qui nam gaudeant tali immunitate? Vide apud Auctores.

32 Pro praxi nota valdè, qnod tunc violatur libertas Eccleſiaſtica, quando laici precipiunt aliquid Clericis, quod Iure Divino, vel Canonico illis pręceptum non eſt, aut quoties aliquid prohibetur eis, quod illis nullo Iure prohibitum eſt. Tunc hos facientes non poſſunt abſolvi, & præter aliam excommunicationem quam incurrunt ex Sacr.Can.ſunt excommunicati in Bulla Cœnę.

33 Pro Regularibus quomodo ſe gerere debeāt circa facinoroſos recurrentes ad ſuas Eccleſias, & monaſteria, adeſt pulcherrima praxis noſtri P.Lezan v. *Immunitas* omninò videndus.

34 In quibus caſibus Iudex ſine excommunicatione poſſit trahere perſonas Eccleſiaſticas ad ſuum Tribunal, vide Bonac. de Cenſuris in Bulla Cœnæ, *Diſp.*1.*q.*16.*ſect.*1.*punct.*6.

Colleg.noſtrum *tract.*18.de Privilegijs compendioſè, ſed benè multa dicit, ſed non placet in eo, quod vult Immunitatem eſſe de Iure poſitivo Eccleſiaſtico, ac Civili, nam licet non habeatur ex Sacra Scriptura, quod ſit de Iure Divino, habetur ex traditionibus Apoſtolicis, & ſic in primitiva Eccleſia fuit obſervatum, ut Trident. *ſeſſ.* 25.inſinuat illis verbis *cap.*20.*Immunitatem Dei ordinatione,& Canonicis ſanctionibus conſtitutam.*

35 Placet cum Lezana, quod Clerici, & Religioſi poſſint extrahi a ſuis Prẹlatis ab Eccleſia, & quod Epiſcopi non poſſint extrahere ab Eccleſia reos ſine conſenſu Prẹlati Regularis, non ratione Immunitatis Eccleſiaſticẹ, ſed quia Epiſcopus nullam poteſt exercere iuriſdictionem in loco exempto, nã talis locus comparatur loco extra Territorium exiſtenti.

56 Etiam de emunitate, ſeù Immunitate Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum tractat Doctor meus de Baccone *in* 4.*diſt.*11.*quæſt.unica* demonſtrans talem Immunitatem fuiſse in Sacerdotio legis naturæ, & Moſaicæ, cui ſucceſſit Chriſti Sacerdotium, *in art.* 3. docet quænam ſit immunitas ipſius Eccleſiæ, & vide apud ipſum pulcherrimas reſponſiones ad id quod Laici ſolent afferre, quod omnia poſſunt devolvi ad Eccleſiam ſi habet immunitatem acquirendi, & detinendi. Ipſum vide, & non tædebit, *in* 4.*diſt.*13.*q.*1 *art.*1. docet quosnam ad ſe cõfugientes defendat Eccleſia. *Art.*2. oſtendit quomodo defendi debeant confugientes ad Eccleſiam: *& art.*3. enumerat pœnas latas contra violantes Immunitatem Eccleſiaſticam, auctoritate, ut doctè ſolet Sacrorum Canonum, ſed ne a brevitate diſcedamus hoc inſinuaſſe ſufficjat. Emunitas, ſeù immunitas idem eſt, quod libertas.

37 Circa maleficia quia paſsìm ſuccedunt, nota, quod ſi maleficus licito modo poteſt ſolvere maleficium, licet illum rogare, imo illum cogere, ut ſolvat, etiam verberibus, non autem morte, etiamſi ſcias hoc facturum per novum maleficium, ſicuti cum cauſa potes ab uſurario petere, & ſolvere uſuras, ratio quia quis habet ius petendi ab alio, quod rectè fa-

cere poteſt, & eſt indifferens ad malè, ſivè ad benè faciendum, & ſi malè facit, ſuæ debet imputare malitiæ, non voluntati benè petentis. Sanch. *de Matrim. diſt.* 95. *nu.* 11. Filucc. *num.* 102. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 44. *diſt.* 8.

38 Inſuper poteſt tollere ligaturas, & ſigna cõtraria ponere, honeſta tamen; quia non eſt velle recuperare ſanitatem tali ſigno, ſed tantũ tollere maleficij ſigna, & pacta cum Dæmone diſsolvere. Si poſtea dubitetur an Maleficus poſsit tollere maleficium ſine novo maleficio, non licet ab eo petere, ut diſsolvat, nàm exponeres illum, & te, periculo peccandi; unde debes eum interrogare de modo ſolvendi, nempè an poſsit ſine novo maleficio?

39 Pro praxi quando Confeſsarius interrogat Maleficum, inquirat primò poſtquam intellexit varietatem ſuperſtitionum: De fine quem habuit, an propter vehementem paſſionem, triſtitiam, odium, vindictam, avaritiam, amorem, aut ad conciliandum ſibi nomen ſanctitatis (nam eſset ſacrilega Hypocriſis) fecerit. 2. Interrogare debet de Idolatria, Apoſtaſia, Hæreſi. Maleficus enim ſolet abnegare Deum, & Sacramenta; habet Dæmonem pro Sancto, pro Deo fęlicisſimo. 3. De blaſphemijs, de abuſione rerum Sacrarum, Sacramentorum, & explicãdum eſt, an abuſus fuerit Sanctiſs. Sacramento, propter ſpecialem reverentiam debitam Corpori Chriſti Sacratiſsimo.

4 Interroget de luxuria, & commiſtione cum Dæmone. 5. De damnis proximo illatis. Vide ergò qnam circumſpectè eſt procedendum.

Undè debet Confeſsarius eos obligare, ut diſsolvant

vant pacta facta, ſi apud ſe habeant, abiurent commercium. Libros, & inſtrumenta artis comburant, lacerent Chirografum ſi habent, & ſi Diabolus tantùm habeat, non eſt neceſſe cogere eum ad reddendum, quia iſta pacta ſufficientiſſimè diſſolvuntur per pænitentiam; compenſent etiam damna proximo illata: ad quod tenetur etiam Fiſcus, ſi habuit bona venefici; & Hęredes ſi ad ipſos devoluta ſint bona ipſius. Vide Suar. *tom.* 1. *de Rel.* 2. *cap.* 17. Sanch. Filiucc. Aliter non ſunt abſolvendi, tanquam indiſpoſiti.

40 Examinandi ſunt de Superſtitionibus præcipuè Paſtores ovium, Fabri ferrarij, Ruſtici, qui ad ſananda Animalia ijs uti ſolent, Milites qui deferunt ſecum orationes, ad advertenda mortis pericula. Vetulæ pariter, quæ habent remedia ad infirmitates ſanandas.

Nota quod maleficium duplex eſt amatorium, ſeù philtrum, quo Dæmon movet phantaſmata, & immaginationem, et carnis appetitum, ſed non poteſt cogere voluntatem, undè pro praxi Confeſsarius interroget an credat Dæmonem poſse cogere voluntatem ad amorem, nam tunc pænitẽs eſſet hęreticus, & cum eo agendum, ut infra dicemus; aliud eſt maleficium veneficum, quo Dæmon nocet aliquem in bonis, ſeu perſona Deo id permittente, eſt etiam maleficium amatorium, quo excitat Dæmon rixas inter coniuges, & reddit ineptos ad actus matrimoniales. Nota etiam quod maleficium differt a Magia, nam hæc intendit facere mira, illud nocere.

AR-

ART. II

De ſecundo Præcepto Decalogi

Non aſſumes nomen Domini tui in vanum.

1 QVatenus hoc præceptum negativum eſt, per hoc prohibetur abuſus Divini Nominis, pariter irreverentia, quæ à blasphemis, periuris, & temerè iurantibus committitur. Quatenus eſt affirmativum, præcipitur ſumma Divini Nominis reverentia. Quare debent ſervari religiosè iuramenta, & vota Deo facta.

2 Unde breviter ſciatis, quod Blaſpemia eſt verbum contumelioſum in Deum, nec opus eſt addere, vel in Sanctos, quia verbum contumelioſum in Sanctos, habet rationem blasphemiæ quatenus redundat in Deum ipſum, omnium Auctorem, & Dominum. Et cum blaſphæmia, Divinæ laudi opponatur, propriè in ſolis verbis coſiſtit, licet quatenus etiam exprimitur ſuo modo, mente, ſcripto, & facto, tũnc etiam blaſphemetur.

3 Dividitur in ſimplicem, & Hęreticalem. Hæreticalis eſt quę repugnat his, quæ ex fide credere te-

tenemur. Ut v.g. Deus eſt iniuſtus, improvidus, quod ſi proferens talem blasphemiam crederet Deum eſſe iniuſtum, improvidum, ne dum eſſet Blasphemus, ſed etiam Hæreticus, cum quo agendum ſicuti cum Hæretico, ut dicemus in interrogationibus, particulariter in fine operis.

4 Simplex blaſphemia illa dicitur, quæ non repugnat his, quę credere tenemur ex fidei articulis. Ut v.g. pereat Deus, Maledictus ſit, &c.

Dividitur etiam blaſphemia in levem, & atrocẽ; Dicitur levis, non quia verbum aliquod, quomodocumque contra Deum prolatum ſit leve præciſivè, ſed comparativè ad enormen, quæ eſt, v. g. pereat Deus, maledictus ſit &c. per modum optantis ſeu affirmantis. Quæ certe enormis blaſphemia ab Epiſcopis, ut contingit in multis Diæceſibus deberet reſervari: & ubi nõ eſt reſervata, animadvert ãt Cõfeſsarij cum debito rigore, in tales impios blaſphemos, illis oſtendendo gravitatem talis atrocis blaſphemiæ; quæ videtur ortum habere ab odio formali Dei, quod atrociſſimum peccatum eſt, oppoſitum Charitati, neceſſariò ſpecificandum in Confeſſione ſemper. Thomas Sanch. *in Summa lib.2.cap.32.num.39* Colleg. Salm. *de Sacr. in genere tract.6.cap.8.* Sicuti etiam explicari oportet, an per blasphemiam intelligatur formalitèr, & directè Deum inhonorare.

5 Quæres, An qui blaſphemaret Deum, & omnes Sanctos tot peccata committeret, quot Sancti ſunt?

Dicendum problematicè. Sed hoc non multum intereſt, nam ſi non tot peccata committeret, quot Sãcti ſunt, certè unum peccatum committeretur omni-

Nàm ut quis ſit verè, & propriè hæreticus, debet habere pertinaciam; verè credendo quod profert. Nec eſt verè hæreticus qui metu mortis negat aliquē fidei articulum, niſi ita interius malè credat. Si tamē Colleg. intelligeret quod in foro externo cenſendus eſſet hæreticus, in aliquo caſu poſſet admitti, ſed cęteris paribus, in hæreticali blasphemo, ad ſummū oritur ſuſpicio vehemens hæreſis.

9 Nota valdè quod blaſphemia, quæ dicitur peccatum in Spiritum Sanctum, [quia per illud peccatum ponitur directè oſtaculum remiſſioni peccatorum, & collationi gratię,) continet ſub ſe plures ſpecies in confeſſione ſpecificandas, nempè deſperationem, impugnationem veritatis cognitæ, & invidiam gratiæ fraternę.

10 Circa maledictiones nota, quod maledicere, Creaturis, quatenus ſunt creaturæ Dei, blaſphemia eſt; quatenus illa maledictio redundat in Deum, ſicuti eſt in blasphemia Sanctorum; contumelia quorū in Deum tendit. Maledicere Creaturis irrationabilibus, quatenus v. g. ſunt alicuius tui inimici, eſt peccatum contra charitatem, & grave. Quatenus nobis ſunt cauſa alicuius mali, ſeu incommodi, nullum eſt peccatum: eſt enim magis maledicere ipſi malo, quàm Creaturis; ut v.g. *Pereat dies in quo natus ſum.*

11 Tandem alijs Dęmonem imprecari, aut mortem, non eſt blasphemia, ſed dira imprecatio, quæ ſi fiat ex ſubita ira, erit veniale. Impræcari tamen ſibi Dęmonem, niſi excuſet inadvertentia, ſeù indeliberatio, vix poteſt excuſari a mortali, quod procul dubio erit, ſi ſubditi Prælatis; filij parentibus, id imprecentur. Molina, Baldel. *l.c.* ſi tamen fiat cu

ſufficienti advertentia, & deliberatione.

Terere pedibus ſacras Reliquias, & ſimilia facere, eſt peccatum impietatis, & est blasphemia in factis.

12 Quoad Iuramentum.

Sciatis quod eſt Invocatio Divini Nominis in cõfirmatione alicuius rei, & eſt actus Religionis, quo profitemur divinam veritatem infallibilem eſſe. Dicere in fide boni viri, per fidem meam, in conſciẽtia, non cenſentur Iuramenta. Navar. *cap.* 12. & alij multi. Si tamen ſic iurans intelligeret verè iurare, teneretur ad iuramentum. Per ignem, non eſt iuramentum, niſi addatur Dei; nam tunc eſt iuramentum per creaturas iurare, quando dicunt ordinem ad Deum; ſeu quando iuratur per Creaturas nobiliores, in quibus relucet ſpecialiter bonitas, ſapientia, aut ſcientia Dei, ut v.g. iurare per Cælum, nam eſt regia Dei, & in hoc intelligitur ipſe Deus; Per tẽplum, nam intelligitur id quod colitur, Per Crucem, nàm intelligitur Crucifixus. Lezana v. *Iuramentum, quoad* Regulares. Iuramentum, eſt quadruplex Aſſertorium; Promiſſorium, Comminatorium, Execratorium, ut v.g. Deus me perdat ſi hoc faciam. In õnibus Iuramentis datur parvitas materiæ excuſans à mortali, ſaltem in aliquibus caſibus, præter quam in aſſertorio. In iſto enim nunquam datur parvitas materiæ, ſemper enim cenſetur, gravis irreverentia Dei, invocare primam veritatem in confirmationem mendacij etiam levis. Et Doctor meus Reſolut. *i n 3 diſt. 39. q. unica* dicit quod omne illud, in quo directè contemptus Dei includitur eſt peccatũ mortale, ſed in periurio, in quo ſcienter falſum iuratur, ſive ſeriò, ſivè ioco, includitur directè contemptus Dei, er-

gò

gò eſt peccatum mortale; Summa enim veritas aſſumitur in teſtimonium falſi. *Et in art.*1. comparat periurium homicidio, & dicit, licet problematicè, quod periurium gravius peccatum eſt homicidio, ex ſuo genere, nam cadit ſupra materiam magis indebitam.

13 Ut debitè, & ſine omni peccato iuretur, tres requiruntur conditiones aſſignatæ à Hieremia Propheta 4. *Iurabis vivit Dominus, in veritate, in Iuſtitia & in Iudicio*. Undè ut licitè fiat iuramentum requiruntur iſtæ tres conditiones; nempè veritas, iuſtitia, & iudicium. Debet adeſſe veritas, nam quod iuramento aſſeritur, debet à iurante exiſtimari vere eſſe verùm. Debet eſſe Iuſtitia, nempè iuramentum debet eſſe de re iuſta, ideſt licita, & honeſta. Debet iurari cum Iudicio, ideſt quando iudicatur neceſſarium Iuramentum, ex neceſſaria, aut gravi cauſa, Aliòquin *Vir multum iurans implebitur iniquitate.*

14 Pro praxi nota quod conſideranda ſemper eſt intentio iurantis, v. g. qui iurat filium, ſervumque caſtigaturum, videtur iurare cum conditione, ſe illam pęnam condonaturum ſi emendatos viderit; ſi ita videbitur expedire, ſi non aliqua iuſta cauſa remiſſionis intervenerit. Qui iurat ſe non ſeſſurum in primo loco, videtur ſe obligare in caſu, quod non moraliter cogatur, quod alius acceptet, ſed clarius inferiùs. In his, & ſimilibus caſibus, ſervatis ſervandis, licitum eſt iuramentum: & bonum eſt iuramentum, ſed non eſt de genere eorum bonorum, quæ per ſe bona ſunt, ut eleemoſynæ, oratio, ſed ex ſuppoſitione, quod adſint illæ tres conditiones, ut v.g. eſt bona medicina, tamen ſuppoſita infirmitate S. Doctor *art.*5. *hic*.

15 Pro praxi pariter. Solent enim multi dicere, tàm verùm eſt hoc, quam Deus verus eſt.

Queres, an licitum ſit hoc iuramentum?

Dicendum ſi faciat ſenſum ſimilitudinarium proportionaliter, nempè tam verùm eſt hoc ſuo modo, quam Deus uerus est ſuo modo tanquam prima veritas, non eſt mala locutio eſſentialiter; ſi poſtea intelligeretur ſine proportione abſolutè, ſecundum æquivalentiam comparando ſecũdam veritatem cum prima, eſt iuramentum cum blaſphemia. Monendi tamen ij, qui ſic iurant, ut abſtineant à ſimilibus locutionibus, v.g. tàm hoc verùm eſt, ut Chriſti Evangelium, nam malè ſonant auribus piorum.

16 Circa Iuramentum promiſſorium, pro praxi obſervandum eſt, Quod obligaris iuramento promiſſorio licet ſit extortum à te per metum, aut vim, (quod de voto non valet, nam debet eſſe voluntariũ, & ſpontaneum) v.g. iuraſti prædonibus dare centum, teneris dare, nam adhuc iuramentum eſt voluntariũ, licet non ſit ſpontaneum. Excipe iuramentum de matrimonio contrahendo, nàm nõ valet ſi eſt extortum per metum cadentem in virum conſtantem; Matrimonium enĩ ſic contractum cum ſit nullum, etiam tale iuramentum nullum cenſetur. Caietan. *vide periurium*, Suar. *cap. 9.*

17 Si iuraſti in favorem Tertij, & ille acceptavit, non relaxatur niſi Tertius, in cuius favorem factum eſt, conſentiat; Sed obſerva quod.

Si iuraſti ducere in uxorem Franciſcam, divitem, Virginem bonæ famę, non teneris iuramento, ſi Frãciſca cadat in paupertatem, & in malam famam.

Un-

Undè Iuramentum promiſſorium imbibit in ſe naturam promiſſionis; nam acceſſorium ſequitur principale, & quando promiſſio non obligat, nec iuramẽtum promiſſorium obligabit. Leſſius *lib.* 2 *cap.*42.

Iuravit Antonius dare Petro Equum, Petrus non ſervat ea quę promiſit, Antonius non tenetur dare Petro Equum, etiam ſi expreſsè ſub ea conditione non promiſerit, quia cenſetur ſub tali conditione tacitè promiſiſſe nempè, ut Petrus ingratum non ſe oſtendat *cap.Pervenit* 2.*de Iureiurand*.Bonac.*punſt.*5 *num.*2.Palaus *num.*2.Sanch. *lib.*3.*cap.*16.*n.*16.

Iuraſti parere mandatis Eccleſiæ, vel ſtarę ſentẽtiæ Iudicis,ſubintelligitur hæc conditio, niſi iniuſtè gravatus fueris; unde ſi conſtet de gravamine potes appellare, quia eſt rationabilis appellatio, non excluſa per iuramentum *ex cap.prout à nobis de dolo*.Sylveſter *Iuramentum* 3.*q.*3.

Iuraſti promittendo aliquid abſenti, te non revocaturum iuramentum, potes ante acceptationem revocare promiſſionem, quia talis promiſſio,cuius naturam ſequitur iuramentum, eſt revoca bilis, quouſque acceptetur. Sanch. *lib.*3.*cap.*9.*nu.*3. Leſſius *n.* 22. *Bonac. puncto* 16.*nu.*2.*verſ.*5. Iuravit Antonius Senator, ſeù Miniſter ſervare decreta, ſeù regulas alicuius communitatis, Reipublicæ, Collegij, &c. intelligitur Iuramentum de illis, quæ ſunt in vigore, & in uſu, nempẽ quæ ſolent à tota,, vel maiori parte Communitatis ſervari, non ea quæ in deſolationẽ abierunt. Diana *par.*2.*tract.*6.*Miſcellan*.Sanch.*lib.*3. *cap.*14.*num.*2.*&* 7. Axorius *lib.*11.*cap.*8. *quæſt.*7.8.

14 Unde pro praxi ad dignoſcendum,quomodo vota,& iuramenta debeant interpretari in univerſa-

li,quatuor regulas cum Salmaticenſi Collegio ponã.

1 Quod votum, & iuramentum interpretandũ eſt ſecundùm intentionem promittentis, ut dixi; & ſi non conſtet de tali intentione, eſt interpretandum in benigniorem ſenſum, nam odioſa eſt obligatio, quare ſemper reſtringenda.

2 Quod iuramentum, & votum debẽt reſtringi iuxta naturam actus, ſeù contractus ſupra quem cadit, ita ut omnes conditiones, limitationes,quas res, quæ promittitur habet ex iure,vel lege, aut ex recepta conſuetudine, omnes pariter illas habent votum, aut Iuramentum, quod illi adherent; Nam tunc votum, & Iuramentum eſt acceſſorium rei promiſſæ: ſicque acceſſorium ſequitur naturam rei principalis, ex regula iuris 41. *in 6.* Iam exempla aliqua attuli. Sic Tamburinus *in decal.lib.3.cap.3.* §.4.*n.*3. Bonacc. *tom.2.diſp.4.qu.1.punſt.16.*Sanch.*lib.3. cap.17.n.* 18. Leſsius *lib.2.cap.41.dub.4.n.12.*

3 Regula: quod iuramentum, & votum obligant rebus permanentibus in eodem ſtatu,non ſi fuerint notabiliter mutatæ. Talis enim preſumitur intẽtio promittentis.Sanch. *lib.3.cap.17.num.3.*Sylveſter *Iuram.4.qu.*16Palaus *tract.14.diſp.2.puncto* 14.*nu.*18 Et tunc dicitur notabilis mutatio, quando talis eſt, quod ſi à principio prævisa fuiſset, iurans, & vovens non promiſiſſent, & tunc ipſo facto ceſsat obligatio voti, & iuramenti. Patet in exemplo allato de Franciſca divite, & bonæ famæ.

4 Regula. Si Iuramentum, & votum cædunt in præiudicium tertij reſtringenda ſunt, ut non inferant damnum alicui, ſunt enim tunc illicita *cap. Venientes cap.Cum tuis de iureiurando.* Iuraſti ſecretum Petro, non teneris ſervare, ſi præiudicatur Paulo. Iuraſti

non diſceſsurum Luca, potes diſcedere ſi Superior imperet; nam non potes præiudicare Iuriſdictioni Superioris. Suar *tom.2.de Relig.lib.2.de iur.cap.34.n.7.* Bonac. *diſp.41.q.2.punct.16.*

19 Pro praxi, Nota quod tribus modis poteſt peccari in iuramento promiſſorio, 1. cum quis promittit, & iurat ſine intentione promittendi, 2. quando iurat ſine animo faciendi, quod iuravit, & promiſit, 3. quando quis iurat cum propoſito, ſed non implet. In his tribus modis peccatur mortaliter, ſed in primis duobus non datur parvitas materiæ. In 3. Si res promiſſa eſſet parva; daretur tunc parvitas materiæ, & peccatum veniale, & in tali caſu non peccatur contra veritatem iuramenti, ſed contra fidelitatem in re parva, ſive illa res parva, ſit tota materia iuramenti, ſivè non, ut voviſti tantum unam Ave Maria, ſeù Roſarium, & omittis unum Pater; Mihi tamen placet, quod ſi res parva eſt tota materia promiſſionis, quia deficit veritas Iuramenti, tunc mortaliter peccetur. Caietanus 26.2.2.*q.* 89. *art.7.& alij*, utraque tamen ſententia eſt probabilis.

20 Quæres, An in Iuramento liceat uti æquivocatione, aut reſtrictione mentali? Certum eſt quod ſub Innoc. XI. Sanctæ Recordationis iſtæ tres propoſitiones fuerunt damnatę. quæ in ordine ſunt.

25 *Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſivè res ſit levis, ſivè gravis.*

Et quidem [hoc nota] ſemper ad minus eſt peccatum veniale, ſi verum iuratur, ſed in contractu, & iudicio legitimo ſemper eſt mortale, & etiam quando falſum iuratur etiam ſine intentione iurandi.

26 *Si quis vel ſolus, vel coram alijs, ſivè interro-*

gatus, ſivè proprio ſpontè, ſivè recreationis cauſa, ſivè quocnmque alio fine iuret, ſe non feciſſe aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod nõ fecit, vel aliam diem ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec eſt periurius.

27 *Cauſa iuſta utendi his amphibologijs eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.* Certum eſt, quod benè iſtæ propoſitiones damnatæ ſunt, ut iacent, de quibus nullo modo tractare, nec volo, nec debeo. ſed

21 Quæres. An detur adhuc iuſta cauſa utendi æquivocatione, & reſtrictione mentali in iuramento?

Pro intelligentia noto, quod iuramentum ex parte iurantis poteſt eſſe doloſum, quia iurans æquivocis, & amphibologicis verbis, in iurando ütitur in ſenſu, quem ipſe vult, ut proximum decipiat, & nõ in ſenſu quo ab auditoribus intelligatur.

22 Amphibologia idem eſt, ac dubia ſermonis ſententia. Nam *Amphi* ſignificat dubium, *Bole* ſentẽtiam, & *logos* ſermonem. Nota quod quadrupliciter poteſt accipi hæc Amphibologia. 1. Quando verba communiter habent duplicem ſenſum. v. g. Hæc pictura eſt Raphaelis: Nam poteſt ſignificari per hanc enunciationem, picturam eſſe opus Raphaelis, & quod Raphael ſit Dominus talis picturæ. 2. Quando per verba ſignificatur ſenſus magis communis, & minus communis, vel ſignificant verba unum ſenſum per ſe, & ad litteram, & alium miſticum. Ut v. g. Eli-

as

as es tu? Non ſum; Nempè quod aſſertum fuit miſticè de ſe, negat Ioannes de perſona. 3. Quando licet verba non habeant diverſum ſenſum, tamen ex modo interrogantis, & reſpondentis, adiunctis circumſtantijs temporis, & perſonę, determinantur ad alium ſenſum, & ſic patiuntur æquivocationem v.g. Interrogat Confeſſarius Pænitentem, an fecerit tale peccatum, reſpondet ſe non feciſſe, quod tamen alias fecit, ſed iam confeſſus fuit: ratione circumſtantiarum, temporis, loci, &c. fuit vera reſponſio Pænitentis, nam interrogatio Confeſſarij fuit in ordinē ad peccata non confeſſa. Pariter aliqua verba à viris probis dicta intelliguntur in bono ſenſu, à malis verò pronunciata in malo ſenſu, ſunt multæ propoſitiones Sanctorum Patrum, quæ in ore malorum ſaperent hæreſim.

4 Quando tantùm verba reſtringuntur ad unum ſenſum per ſolam reſtrictionem mentalem iurantis, nec ab auditoribus poſſunt intelligi. v.g. Interrogat quis, feciſti hanc rem? Reſpondet, *non*; intelligendo ut tibi dicam, ſeu heri non feci.

23 Dicendum 1. Nullam ex prædictis æquivocationibus licere ſine iuſta, & rationabili cauſa. Nā hoc dato. Societas, fidelitaſque humana deperderetur, & finis humanæ locutionis impediretur, ad ſocietatem communem ſervandam.

Sed quæritur an poſt damnatas propoſitiones allatas, poſſit uti aliqua æquivocatione in iuramentis, iuſta, & rationabili de cauſa? Dicendum reſtrictionem purè mentalem non licere ex quacūque cauſa, eſt enim ſemper mendacium, ideoque periurium. Communiter Thomiſtę, & multi alij. Sotus *libr. 5. de*

iu-

de Iuſtitia q.6.Art.2.concl.7. Petrus de Ledeſma *tom. 2.tract.8.cap.24.poſt 6.concl.dub.2.*Lugo *diſp.4.de fide ſect.5.*Laym.*lib.4.tract.3.cap.13.num.7.& cap.14.n.8.* Azor. *tom.pr.lib.11.cap.4.*Franciſc. noſter Bonæ Spei *de fide diſp.2.dub.3.nu.65.*& multi alij. In tali enim iuramento enunciatur falſum cauſa fallendi. Nec reſtrictio illa mentis aliquo modo explicatur; & largius, & benè probat Colleg.Salmat. *tract.17. de voto, ac Iuramento punct.8.*

24 Dicendum, ſalva ſemper debita reverentia auctoritati Romani Pontificis poſse adhuc, ex iuſta, & rationabili cauſa, uti vera ęquivocatione in *Iura*mento.

Nam hoc mendacium non eſt, & ex circumſtantijs loci, perſonæ,temporis,& modi interrogandi,& reſpondendi, poſſum quantum ſufficit intelligere æquivocationem, & ſi decipior hoc tribuendum eſt meæ inſcitiæ, & imprudentiæ, nam reſpondens utitur iure ſuo, occultando veritatem.
S. Thom. 2.2. *q.*40.*art.*2.dicit quod nõ tenemur ſemper veritatem aperire,licet teneamur non dicere mẽdacium *& quæſt.*110.*art.*3.*ad* 4. affirmat quod licet veritatem occultare prudenter, ſub aliqua diſſimulatione. Undè *S.*Auguſtinus ſic ſcribit *lib. contra mẽdacium cap.*10.*Deum in Scripturis loqui per Metaphoricas, & Tropicas locutiones in alio ſenſu, nec aliqui percipiunt, ſed in verbis occultè, & verè contento, & ob id abſque mendacio. Quæ propterea figuratis velut amictibus obteguntur, ut ſenſum piè quærentes exerceant,& ne nuda, ac prompta vileſcant.*

25 Scio multos Doctores graviſſimos iuſta cauſa, concedere in iuramento reſtrictionem mentalem,

ſed

ſed poſt damnatas propoſitiones, dico hoc non poſſe ſuſtineri. Quod vere ſummoperè miror, eſt quod aliqui etiam Neoterici, aſſignando modos æquivocandi, meo videri aſſignant in exemplis reſtrictionẽ mentalem, ſed quidquid ſit de hoc, meum non eſt de hac re diſputare, nec alios impugnare.

26 Undè Uxor interrogata à Marito de adulterio occulto, poteſt æquivocè reſpondere. Sicut Cõfeſſarius interrogatus de auditis in Cõfeſſione, & reus à Iudice non iuridicè. *In* ſimilibus caſibus adeſt ius occultandi veritatem: & ſi interrogatores decipiuntur ſuæ malitiæ aſcribant deceptionem. Scire enim debent, quod ſic poſſunt, imò debeat reſpondere interrogati.

27 Sed queres *M*ulier interrogata à Marito de adulterio ſecreto, illi ferro minante mortem, reſpõdet negando cũ æquivocatione, urget tamen Maritus dubitãs de æquivocatione: quæres ã cum non ſit alius modus mortem evadendi poſſit uti reſtrictione mentali, & utendo an peccet, & quo peccato?

In hoc quæſito duo mihi videntur certa, Unum quod ſi verum eſt, ut veriſſimum puto, quod in reſtrictione purè mentali ſemper ſit mendacium, ut volunt Thomiſtæ cum multis alijs, ut diximus; Numquam licere mendacium, cum ſit intrinſecè malum, quare in nullo caſu admittendum. Alterum, quod tunc inadvertentia, indeliberatio actus, ignorantia ad inveniendã novã æquivocationẽ cum perturbatione mentis (ut poteſt etiam accidere in viro aliàs docto) poſſit excuſare à peccato. Sed an tali caſu liceat uti reſtrictione mẽtali deliberatè, cum non ſuppetat alius modus æquivocandi, & celandi veritatem

com-

commiſſi adulterij, aut alicuius ſimilis delicti? In ſententia multorum Doctorum dicentium in iſta reſtrictione mentali non adeſſe mendacium, facilis eſſet reſponſio, ſed poſt damnatas propoſitiones: quid ſentiendum?

28 Doctores quid dicunt in reſtrictione mentali nullum adeſſe mendacium, etiam in Iuramento. Sunt Valentia 2.2.*diſp*.3.*q*.13.*par*. 2. Villalob. *tom*.2. *tract*.3.*diff*.6. Palaus *tom*.3.*tract*.14.*diſp*.1 *par*.7.*n*.3. Suar. *tom*.2.*de Relig*.*tract*.4.*lib*.3.*cap*. 11. Bonac. *tom*. 2.*diſp*.4.*q*.1.*par*.12. Leſſius *cap*.42.*du*.9. Trullenc. Diana, Sayrus, Facund., Tolet. Filiucc. & alij apud Salmatic.

Quare ſi mens Sacrę Congregationis fuit in omni caſu damnare reſtrictionem mentalem, ut credo certiſſimè, allata ſententia amiſit omnem probabilitatem, nec ſequenda iuxta dicta. Unde nec in tali caſu poteſt nullo modo talis mulier uti reſtrictione mentali, & tenetur potius mori: ſed poteſt æquivocare, & quidem multis modis. Nota quod verba *ſcio* & *neſcio* volunt, quod ſint æquivoca, & quod eſt occultum, neſciatur; Unde poſſum interrogatus reſpondere neſcio. Quod at tentis circumſtantijs loci, perſonæ, interrogationis, &c. poſſim reſpondere petenti mutuũ, non habeo pecuniam, intelligendo ad mutuandum, quia ex uſu iſta reſponſio, *non habeo*, vult innuere, ut tibi mutuem; exempla reperies apud Patrem de Cardenas. Ipſum vide.

Paritèr quid dicendum de reſtrictione non purè mentali, nempè cum aliquo ſigno externo, ut dicitur de S. Franciſco, qui poſuit manum in manica tunicæ, dicens de reo, hic non tranſivit, ut illi non noceret.

Hoc

Hoc valdè nota, quod ad affirmationem alicuius rei, ſufficit probabilitas facti, ad iuramentum requiritur certitudo.

29 Solùm moneo, quod ad hoc ut Iuramentum cum æquivocatione ſit ſine peccato, non debet eſse cum præiudicio tertij.

30 Pro praxi nota, quod qui habet conſuetudinem iurandi dummodo verè pæniteat, adhibendo media ad emendationem, debet abſolvi, debita facta admonitione, nam eſt verè diſpoſitus, ut ſuppono. An verò conſuetudinem peccandi quis debeat confiteri, lis eſt ſub Iudice, & ego teneo regularitèr non eſse confitendam, niſi ſit neceſsaria ad cognitionem peccati, & ſtatus pœnitentis: nàm non tenemur ad confitenda iterum, peccata ritè confeſsa. Si autem pœnitens à Confeſsario de ea interrogetur, tenetur eam fateri. Damnata enim eſt hæc propoſitio ſub Innoc.X*I*. quæ in ordine eſt 58. *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicuius conſuetudinem*.

31 Ab obligatione iuramenti promiſsorij præter dicta excuſant. 1. Si quod bonum erat tempore iuramenti, poſtea fiat illicitum, vel vanum, vel maioris boni impeditivum, vel quod melius ſit omittere, quam ſervare. 2. Si mutes Iuramentum in opus apertè melius, & Deo gratius, & hoc quilibet poteſt facere auctoritate propria, ut docet Toletus *cap.* 23. excipe ſi iuraſti in commodum proximi, ut diximus. Si mutetur ſtatus rei notabiliter. v. g. iuraſti punire ſervum, factus eſt pænitens, non teneris, ut dictum eſt. 4. Si res facta ſit inutilis ad intentum, v. g. iuraſti punitionem Filij per quam peior evadet, turbādaque

que eſt familia, & rixæ ſuſcitandæ, remanes liber à Iuramento. Tandem ſi accedant conditiones, quas ſi pręvidiſſes non emiſiſſes iuramentum, & regulariter ſubintelliguntur. 1. Si potero. 2. Salvo iure Superioris. 3. Si non mutetur materia iuramenti. 4. Niſi à Superiore tollatur obligatio: de quo videautores quinam ſint illi qui poſſunt irritare, diſpenſare, commutare, & remittere iuramenta, & vota? de quo tamen aliquà dicta ſunt, ſuperius. Hæc addidi ad pinguiorem doctrinam.

32 Ioann. de Baccone Doctor meus Reſolutus *in 4. Sent. q.* 14. alias cauſas excuſantes ab obligatione iuramenti promiſſorij affert. Et etiam aſſignat pœnas periurij *art.* 4. Sunt nempè excommunicandi: per ſeptem Annos pęnitentia puniendi, & de hoc in foro interno. In Iudicio tamen exteriori ſi accuſati convincuntur, ſunt degradandi, & ſunt infames infamia Canonica, maximè ſi ſint periurij in Iudicio 6. *qu.* 1. *Quicumque in glo. ult. extr. de Iureiurand.* & non recipiuntur ad teſtificandum. Præter alias pœnas civiles, de quibus parum refert ad intentum. Nota tamen cum Baccone, quod qui facit iuramentum illicitum, licèt non teneatur ad iuramentum, imponenda tamen eſt ei pœnitentia, propter temerarium iuramentum.

33 · Quoad votum ſcias, quod eſt deliberata promiſſio facta Deo de meliori bono. Intellige de non meliori abſolutè, ſed de meliori bono, quod non habes. Subita, & inconſiderata promiſſio non ſufficit ad rationem voti. Eſt actus Religionis, & Latriæ; quod ſi fiat Sanctis, cenſetur factum Deo, in gratiam cuius, Sancti honorantur. Præmiſſa communi diviſione voti, in Reale, Perſonale, & mixtum, dividitur

etiam in ſolemne, & ſimplex, pro qua re.

34 Nota, quod votum ſimplex, licet admittatur, quod non differat ſpecie à ſolemni [nam ſolum differt ratione ſolemnitatis) adhuc in Confeſſione oportet explicare, an quis v.g. habuerit copulam cũ habente vòtum ſolemne, aut ſimplex caſtitatis. Mutat enim notabiliter iudicium prudentis Confeſſarij, & eſt circumſtantia aggravans quaſi in infinitum, ut patet. Sed.

35 Quæres 1. an poſſit fieri commutatio voti in aliud opus equale proprio arbitrio voventis?

Dicendum non poſſe: Nam non poteſt aliud pro alio ſolvi, ſi promiſſarius non conſentiat. Suarez, & alij apud Laym. *tract.* 4. *de voto cap.* 8.

36 Quæres 2. An vota facta in magna tempeſtate Maris, aut periculo mortis ſint valida?

Dicendum eſſe valida; ſunt enim voluntaria, & ſpontanea. Nam v.g. Petrus conſtitutus in tali periculo, poterat adhuc non vovere, ſeù aliud votum emittere. Quare alius eſt metus intrinſecus, alius extrinſecus, alius iniuſtè incuſſus ad hoc, nempè ad faciendum tale votum, aliud non incuſſus ad hoc. Metus ergo extrinſecus iniuſtè incuſſus ad hoc, nẽpè ad extorquendum votum irritat votum. Nam Deus nõ acceptat, quod non eſt omninò ſpontaneum. Hilarem enim datorem diligit Deus. Sed metus intrinſecus non irritat votum.

37 Quæres 3. Cum Reſoluto meo *in* 4. *diſt.* 3. ubi multa dicit de voto. An melius ſit benefacere ex voto, quam ſine illo?

Dicendum melius eſſe benefacere ex voto, quam ſine.

1 Eſt enim melius intenſivè, nam vovere eſt in ſervitium Dei ſe obligare, & eſt actus latriæ, nàm latria idem eſt ac ſervitus Deo exhibita; Sed inter omnes actus latriæ facere ex voto, eſt confirmare propoſitum cum Deo, ergo eſt optimum. Et ſic Angeli, & Beati in bono ſunt confirmati.

2 Eſt etiam melius extenſivè, quia dando dat arborem cum fructibus.

Sed dices Votum inducit neceſsitatem, ergo aufert libertatem; ergo, & meritum. Reſpondetur. Quod votum non cadit ſub neceſsitate ex coactione voluntatis; Sed ex confirmatione in bono liberæ voluntatis.

38 Quæres 4. An qui votum emiſit ieiunandi ſingulis ferijs ſextis per Annum, teneatur ieiunare, ſi in tali die cadat feſtum Natalis Domini Noſtri?

Dicendum non teneri. Nam cum vovens intendat regulariter ieiunare iuxta morem Eccleſiæ, cum Eccleſia tali die diſpenſet ieiunium, ob ſolemnitatē diei, ſequitur quod non teneatur ad ieiunium.

2 Quia hæc præſumitur intētio voventis iuxta dicta ergo, &c.

Suppono tamen, quod noluerit talis vovens, expreſse ſe obligare etiam in tali caſu, nam tunc teneretur. ſic.

Molina *tom.2.de iuſt.diſp.292.*Azor. *pr.par. lib.*11. *cap.*20.*q.*3.Facund.*de præcept.Eccl.tract.*4.*lib.*1.*cap.*6. *n.*6.Rodrig. *tom.*3.*cap.*25.*n.*3.Villalob.*tom.* 2. *tract.* 34.*diff.*34.*nu.*3.Diana *pr.par.tract.*9.*reſol.*6.*& par.*9. *tract.*8.*reſol.*22.& eam probabilem vocat Tambur. *in Decal.lib.*3.*cap.*15.§.5.*nu.*13.

Sed Colleg. Salmat. vocat oppoſitam ſententiam pro-

probabiliorem,quæ eſt Suar. *tom.2.de Relig.lib.4.cap.* 20 *num.*8.Vaſq.Sanch.Bonac.Leandri *tract.2.diſ.*20. *q.*11.

Movetur præcipuè Colleg.Salm. ex verbis *textus in cap.fin.de obſerv.ieiun.* habetur enim *Qui nec voto,nec regulari obſervantia ſunt adſtricti in ſexta feria ſi feſtū Nativitatis Dominicæ die ipſo venire contigerit carnibus propter Feſti excellentiam veſci poſſunt, ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ generalis* Dicit enim Collegium, quod textus loquitur abſolutè, & univerſaliter. Ultrò conceditur, ſed de ijs, qui expreſsè voverunt tali die ieiunare. Sicut dicit, quod etiam non ſatisfacit, quod adducitur in favorem voventis; nempè, quod ſi talis dies in mentem vovētis veniſset, noluiſſet ſe obligare,hoc eſt contra dicta: Nam dixit Collegium quod vota, & iuramenta debent interpretari iuxta intentionem promittentis, & ſi de illa non conſtat, in benigniorem ſenſum; & quod obligatio prout odioſa reſtringenda,ut diximus in prima regula ſecundum doctrinam Salmaticenſium. Ad id quod dicitur, quod tenetur ad ieiunium, qui per regularē obſervantiam tali die tenetur ieiunare, etiam quod regula non loquatur præcisè de tali die Nativitatis. ſed ſufficit, quod dicat ieiunent ſingulis ſextis ferijs, abſolutè non admitto, nam loquitur textus de illis, qui per Regularem obſervantiam tenentur particulariter ſingulis ſextis ferijs ieiunare; habemus hoc nos non ex particulari obſervantia, ſicut multæ Religiones, ſed ut nos conformemur præcepto Sanctæ Matris Eccleſiæ prohibentis tali die eſum carnis, & uſui fidelium,qui particulari devotione colunt talem diem. Nam indefinitè ſaltem ter poſſumus in heb-

domada edere carnes; & ſignum horum eſt, quod ieiunium diei veneris infra octavam Paſchæ, relinquitur arbitrio fratrum, & ſic obſervatur in Hebdomada Nativitatis Ieſu Chriſti *cap. 3. de commeſtione, & ieiunio Fratrum, & num. 2. Poterunt fratres ter, aut quater in hebdomada comedere carnes, quando Vicario Generali. vel eius in hac parte vicegerentibus videbitur expedire, iuxta Privilegium conceſſum per Dominum Papam Pium* II. Quare &c.

39 Sed reſpondet aliquis, quod totum libenter concederetur, dummodo Textus allatus non urgeret. Sed contra: optimè enim textus ſalvatur in ſenſu iam dicto, ergo etiam propter excellentiam, & lætitiã feſti ſic debet interpretari. Bibebat enim in tali die D. Antonius paululm vini, & omnes etiã ſanctiores in tali ſolemnitate, Chriſtiana hilaritate lætantur. Etiam convivia laudant Deum, ſi debitè fiant.

40 Pro praxi ſcias, quod qui violat votum committit ſacrilegium, Quod qui dolet de voto emiſſo, dummodo retineat voluntatem adimplendi non peccat graviter. Quod ſi occurrunt duo vota incompoſſibilia, implendum eſt id, quod eſt præſtantius, & Deo gratius, & ſi utrumque eſt æquale, illud quod eſt prius tempore, & ſi hoc neſciatur, quod tibi libet. Quod qui habet ſuper alios poteſtatem dominativã, vota ſubditorum qualiacumque ſint, etiam ſine cauſa, poteſt irritare directè, licèt irritando ſine cauſa peccet. Leſsius *lib. 2. cap.* 40. *nu.* 75. Undè Superior, Pater, Maritus ſaltem in ijs, quæ pertinent ad Matrimonium, poſſunt ſubditorum, filiorum, uxoris, vota irritare] in Religioſis excipitur votum tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem) Suar. *lib. 6. de voto cap. 7*

n.

*num.*19.Lezan. vide votum. Sed debet hoc fieri tẽpore ſubiectionis. Quando tempus, quod aſſignatur in executione voti facienda, non aſſignatur ut terminus, illo tranſacto, remanet adhuc obligatio voti v.g. voviſti ieiunium in hoc menſe, ad ſollicitandam executionem voti, non ieiunaſti, mortale commiſiſti, ſed adhuc teneris ieiunare: & ſi dubites an tempus ſit aſſignatum ad finiendam obligationem, nec ne, teneris voto, nam conſtat de emiſſione voti, & dubitatur de circumſtantia excuſante; poſſeſſio igitur ſtat pro voto. Azor. *lib.*11.*c.*5.*q.*31.Parentes non poſſunt per vota in morte gravare filios in legittima. Sanch. *lib.*7.*de Matrim.diſp.*36.*nu.*6.Sayrus *lib.* 6.*cap.* 7.*dub.*6.*num.*5.& multi alij.

41 Qui dubitat an emiſerit votum, ad illud non tenetur, nam poſſeſſio ſtat pro libertate. Qui dubitat an impleverit, tenetur ad iterum implendum, tunc enim poſſeſſio ſtat pro voto. Poſſeſſio enim ſtat pro illa parte, quæ transfert in alium onus probandi. Probato facto, præſumitur interveniſſe omnia ad factum neceſſaria. Error circa ſubſtantiam voti illud annullat, non autem circa circumſtantias: irritat tamen error circa finem v.g. voveo eleemoſynam, ut Pater meus convaleſcat, quia eum credebam ægrotum, re vera non eſt ægrotus, votum non tenet. Cætera videatis apud auctores, & meum Reſolutum loco citato. Ex his enim dictis ſciet Confeſſarius ſuper hoc prudenter interrogare.

Quæres, An ceſſante fine voventis, aut iurantis, culpa promittentis, & voventis, ceſſet obligatio voti, & iuramenti, v.g. promiſiſti iurando dotare fæminam intra menſem, aut hoc voviſti, ſed non feci-

ſti, tranſacto menſe mortua eſt Mulier,ad quid teneris?

Dicendum ad nihil amplius. Sicut qui hodie non ieiunavit in vigilia de præcepto non tenetur cras ieiunare, & per accidens reportas commodum de tuo delicto. doleat tamen de culpa. Sanch. *lib.4. c. 2.* & multi alij contra Leandrum *tract. 1. diſp. 12. q. 6. & 7.* & alios. Si tamen iuraſti, aut voviſti ad ſollicitandam non finiendam obligationem teneris voto, aut Iuramento.

ART. III

De Tertio Præcepto Decalogi

Memento ut diem Sabbathi ſanctifices.

1 HOc præceptum partim eſt morale, partĩ cæremoniale, Morale quatenus præcipit, quod homo deputet Divino cultui aliquod tempus. Cæremoniale quatenus interdicit opera temporalia ĩ memoriam creationis, à qua requievit ſeptima die. In quantum morale eſt, ſemper omnes, & eodem modo obligat. In quantum cæremoniale, eſt antiquatum, & ſubrogata Dominica, loco Sabbathi, in memoriam Reſurrectionis Domini. Cathechiſmus Rom. *par. 3. cap. 4.*

3 Sanctificationem ob diei Feſti, nedum abſtinendũ eſt ab operibus ſervilibus, a mercimonio præter cibaria, & à iudicialibus actibus: ſed etiam requiritur, ut dies illi Divino cultui, operibus pijs impendãtur, præcipuè auditione Sacri *cap. Si quis etiam & cap. omnes fideles & cap. Miſſas de conſecrat.* Patet etiam ex univerſali, & continua praxi Eccleſiæ. Sed, bone Deus! a multis polluuntur peccatis, Sacranda feſta pietate, & ſunt graviora: Undè minatur Deus per Malachiam *cap.* 2. *Diſpergam ſuper uultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum.* Iterum per Amos *cap.* 5. 21. *Odi, & proieci feſtivitates veſtras, non capiam odorem cætuum veſtrorum.* Quid clarius! Quid terribilius?

3 Opus ſervile ex ſe prohibetur die feſto, ſed hoc certum, quod ratione alicuius urgentis neceſſitatis, quæcumque opera ſervilia licita redduntur *cap. Licet de ferijs*, ſed nimis dilatatur diebus noſtris hęc licentia, & certè cum piorum ammiratione. Videant ergo Superiores, ne hoc tollerantes, ſint participes, & cauſa multornm delictorum, videatis hic Auctores, quia nec approbare, nec impugnare volo, quæ à multis quaſi communiter dicuntur. Certè aliquæ emptiones, & venditiones nullo modo neceſſariæ, neſcio quomodo tolerentur. Pariter quomodo poſſint excuſari à mortali, illi qui diebus feſtis, ut diximus, ludis, choreis, commeſſationibus, venationibus, negocijs ſæcularibus, & ſimilibus rebus continuatè incumbunt. *Id ne eſt ò Chriſtiani celebrare diem feſtum*, ait Sanctus meus Cirillus Alexandrinus *lib.* 8 *in S. Ioann. cap.* 5. *indulgere ventri, & inconceſſis voluptatibus habenas laxare?* Per hoc tamen

men debitis horis, non prohibetur aliqua honeſta recreatio.

Ad ſatisfactionem Feſtorum diximus, quod requiritur ex præcepto Eccleſiæ Sacri Auditio, ad quod præceptum implendum, duo præſertim requiruntur, ut qui audit Sacrum corpore ſit præſens, & mente in Deum attentus, Undè qui deliberatè diſtrahitur nõ ſatisfacit ſecundum opinionem multorum, ſed de hoc dicemus in ultima quæſtione pro coronide, dum quæremus de attentione requiſita ad Divinum Officium recitandum, & quomodo requiratur; non tamen eſt neceſſe audire auribus, ſeù intellectu percipere, quæ dicuntur, vel oculis Sacerdotem videre, ſed ſufficit moralis prẹſentia corporis, & ſaltem virtualis attentio mentalis. Undè ut docet Toletus, & alij poteſt qui intereſt Sacro, recitare eodem tempore horas Canonicas, & præces, ad quas tenetur ſub præcepto; & utrique ſatisfacere obligationi, dummodo tamen habeat neceſſariam attentionem Miſſæ, nempè velit, & ſciat ſe Miſſam audire, & ſaltem illo Sacrificio, virtualiter Deum colere. Abellij hìc, in ſua Medulla. Sed quæres an qui audit Sacrum poſſit ſatisfacere huic præcepto, & eodem tẽpore ſua confireri peccata?

4 Negant præ cẹteris Azorius, & Suarez. Sed. Dicendum quod ſi eſt breve tempus, quod Confeſſioni impenditur, & fiat ex aliqua rationabili cauſa, ſatisfieri huic prẹcepto. Abellij. Nota quod debet Miſſa audiri integra, undè ſi pars notabilis ommittatur, committitur peccatum mortale, & pars notabilis eſt à principio Miſſæ, uſque ad epiſtolam incluſivè, & eſt ſententia probabilior.

5 Quia præcepta Eccleſiaſtica non obligant cū tanto onere ex pietate S. Matris Eccleſiæ; excuſat ab hoc præcepto Eccleſiaſtico, impotentia phyſica, ſeù moralis; Moralis eſt quando non poteſt audiri niſi magna cum difficultate, aut gravi detrimento, ut v. g. timor inimici, latronis ſi Domus ſola remaneat, ſi infirmus gravis relinquatur ſolus, ſi Mulier nobilis cum ſordidis veſtibus cum magno rubore, & dedecore debeat Eccleſiam adire. Nota quod damnata eſt hæc propoſitio ab Innoc: XI. *Satisfacit Præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, imò quatuor ſimul à diverſis celebrantibus audit.*

An verò poſſint audiri duę medietates ſucceſſivè à diverſis Sacerdotibus, & ſatisfacere præcepto, licet peccetur venialiter, ſaltem per æquipollentiam. Cōtrovertitur. Ego ſequor partem negativam, tunc enim noneſſet una Miſſa, ſed duæ medietates duarū Miſſarum.

Vide apud Bonac. alios caſus. *Diſp. 44. qu. ult. de Sacr. Miſſ.*

6 Pro praxi, & interrogationibus faciendis. Peccant contra hoc prçceptum, qui faciunt opera ſervilia, ſine legittima cauſa, & qui alios ad id inducunt, & Superiores qui hoc permittunt. Qui vendunt citra neceſſitatem aliquid, quod alijs diebus venditur conſuetè, præſertim ſi in venditione teratur notabilis pars temporis: quomodo itinerando, audivi cum magna amaritudine, etiam in diebus ſolemnioribus vociferando, & circumeundo Civitatem, vendere etiam mane. Uulgo *Piſtoine*, ideſt Caniſtras. *Meſtole* iſtrumenta lignea pro ollis, *Spazuole*, ad abſtergēdos parietes, & ſimilia. Intolerabilis abuſus, & cer-

tè tollendus; ſolùm à pſeudoTheologis excuſatus:ſi tamen illis debitè narrantur. Qui officinas non neceſſarias apertas tenent, & exponunt merces vendendas, & etiam illi qui talia permittunt. Uè Superioribus, qui ad ea, quę Dei ſunt non attendunt, & eum iſta negligentia Feſta, venditionibus, ludis, peccatis, conculcantur. Sic pariter Deus nos viſitabit, ſicut illum colemus. Qui ſine urgente neceſſitate actus iudiciales exercent. Qui maximam partem diei feſti conſumunt aleis, choreis, commeſſationibus. Qui non audiunt Miſſam cum debita attentione cõfabulando, aut aliquid aliud cogitando, & explicãdum an fuerit hoc per notabilem partem Miſſæ, ut poſſit diſcerni an ſit mortale, ſeu veniale peccatum, iuxta dicenda: Qui alios impediunt, ne audant Sacrũ, præcipuè Domini, & Patresfamilias. Nota quod circa opera ſervilia datur parvitas materiæ, & notabilis pars temporis obligans ad peccatum mortale, eſt, ſi quis laboret per duas horas, inſpecto tamen labore, & qualitate, præcipuè ſi fiat ſine aliqua neceſſitate; Arbitrio viri prudentis. Vide hic Filiuc.

7 Pro praxi etiam addendum eſt ad id, quod diximus, quod ob urgentem neceſſitatem poſſunt exerceri quæcumque opera ſervilia ſine ſcandalo tamen. Unde excuſantur quando opus inceptum non poteſt relinqui ſine gravi damno. Neceſſitas funeris, & communis letitiæ, Piſcatores v.g. Tinnorum, qui in tali piſcatione occupantur ſolùm certo anni tempore, Pauperes, qui non poſſunt alere filios, ſi non laborant, dummodo faciant ſecretò, aut ſine ſcãdalo.

Tutius excuſat cum cauſa rationabili, diſpenſatio

Epiſcopi, Prælatorum Eccleſiaſticorum reſpectu ſuorum ſubditorum, & Parochi, quando non eſt facilis acceſſus ad Epiſcopum. Sed.

8 Quæres an teneamur ſub mortali diebus feſtis audire concionem?

Dicendũ regulariter non teneri ſub mortali, ſed ſi quis rudis debeat diſcere ea, quæ sũt neceſsaria ad ſalutem, tenetur ſub mortali audire concionem, ſeù potiùs Chriſti Doctrinam, & hoc ratione Charitatis, qua quilibet tenetur animæ propriæ conſulere. Trid. *ſeſſ.*24.& Bonac. *d.*5.*in præcept.*2.*n* 28. addit cum Facund.& alijs, in tali caſu concionem præferendam eſse Miſsæ. Et ego ſentio, quod ſi aliquis etiam doctus, dummodo ſacris lectionibus non ſuppleat, vel neceſsariò occupatus ſit, raro audiat concionem eũ peccare mortaliter, quia ponit obicem efficaciæ verbi Dei, & debitam charitatem erga animam ſuam non habet. Undè ſummoperè miror multas mulieres nobiles tempore Quadrageſimę, in hora Concionis incumbere Confeſsioni, & Sacrę Communioni, potius quàm audire Concionem, nec à Confeſsarijs admoneri de neceſsitate, tàm ſalubri, verbi Dei: Et illud poſtea magis dolendum, quod aliquæ in diebus ſacrandis pænitentia, converſationibus nocturnis ludendo continuò, raroque paſculo tàm ſalutari recreantur. Meus igitur Confeſsarius omnia benè diſcernat, & munus ſuum zelo Apoſtolico perficiat, nec loquatur pænitentibus placentia, ſed Deo.

AR-

ART. IV.

De quarto præcepto Decalogi.

Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.

OFficia charitatis erga proximum ad hoc præceptum reducuntur. Quare aliqua breviter ſunt adnotanda, antequam ſpecialiter de hoc præcepto loquamur.

1 Quatuor ex caritate ſunt diligenda ſecundum mentem D.Auguſt. *lib. pr. de Doctrina Chriſtiana cap.* 23. Unum quod ſupra nos eſt, ſcilicèt Deus: alterum quod nos ſumus: tertium quod iuxta nos eſt, ſcilicet proximus: quartum quod infra nos eſt, ſcilicet proprium corpus. Deum tenemur appretiativè diligere ſuper omnia, nos in ordinem ad Deum, quia ſumus eius creaturæ, ideò quilibet tenetur ſeipſum diligere propter Deum, quia ſumus aliquid ipſius Dei. Corpus pariter eſt diligendum in obſequium Dei, nõ tamquam culpa infectum, ſecundum quam conſiderationem ipſum punire debemus, & mortificare. Apoſt. *Coloſſ.* 3. Debemus amare proximum, nempè S. Angelos, & Homines, ſivè beatos, ſivè viatores, ſivè peccatores, ſivè iuſtos, ſivè amicos, ſivè inimi-

cos

eos. Undè non poſſumus excludere inimicos à generalitate dilectionis quare illis nõ poſſumus negare cõmunia dilectionis ſigna, nempè quæ alijs æqualis condictionis hominibus exibemus. Remiſſionem tamen criminalis iniuriæ, ſecluſo odio, tantum propter iuſtitiam, ſeu compenſationem damni, non tenemur ſub mortali illis concedere. Laym. *tract. 3. de Charit.* licet maximè deceat, & ſit ſignum veræ remiſſionis, ut dicit benè S. Franciſcus Saleſius.

2 Licitum inſuper, & iuſtum eſt in peccatoribus, & inimicis, optare, imò, & lętari ad emendationem, ut à Deo, vel à Iuſtitia puniantur, & eos odio abominationis habere propter malam vitam eorum. *Iniquos odio habui*, aiebat Sanctus Rex, & Paulus ad Galatas 5. *Vtinam abſcindantur, qui vos conturbant.* Nota tamen quoad bona temporalia, & exteriora cæteris paribus, unumquemque magis ſe ipſum debere diligere, ſupra proximum. Undè S. Auguſtinus *lib. de mend. cap. 5. dicit. Si quis exponat vitam corporalem propriam pro vita corporali alterius, iam non diligit proximum, ſicut ſeipſum, ſed pluſquam ſeipſum, quod ſanè doctrinæ regulam excedit.* Dixi cæteris paribus, nam pro bono publico, pro conſervatione hominis valde neceſſarij Reipublicæ, tenemur mori. Solùm debeo cum periculo vitæ ſuccurrere proximo in illius extrema neceſſitate ſpirituali, ſi adſit ſpes illum adiuvandi. Paſtores tamen ſubditis ſuis tenentur ſuccurrere cum vitæ periculo, etiam in gravi neceſſitate ſpirituali conſtitutis.

4 Duo ſunt præcipuè actus miſericordiæ, quibus proximo benefacimus, nempè eleemoſina temporalis, & correctio fraterna, quæ eſt eleemoſyna ſpiritualis, pro quo. No-

Nota quod eleemoſina non eſt ſolum de conſilio, ſed de præcepto, quod à multis valdè negligitur, nō conſiderantes illud terribile pronunciatum. *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare. Ite maledicti in ignem æternum*. Dico ergo unumquemque obligari ſub mortali ad faciendam eleemoſynam de ſuperfluis ad naturam, ideſt ad conſervationem vitæ, conſtitutis in extrema neceſſitate. De ſuperfluis ad decentiam perſonę conſtitutis in gravi neceſſitate. Vide Tolet. *lib.*8.*cap.*35.

5 An autem de ſuperfluis ad decentiam perſonę ſit ſuccurrendum pauperibus, quacumque preſſi neceſſitate, etiam non gravi, lis eſt ſub Iudice, & cōmuniter ſententia eſt negativa. Tutius tamen eſt de ſuperfluis exercenda eſſe opera Charitatis, & pietatis: Nam Sancti Patres communiter ad id obligant, quorum ſententia multi debet æſtimari, & ſequi, maximè ab Eccleſiaſticis, qui Eccleſiæ bona poſſident ſuperflua, ad ſui ſtatus conſervationem.

6 Adeſt ſuper hoc propoſitio damnata ſub Innocentio XI. quæ in ordinem eſt 12. *Vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus ſuperflua ſtatui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui*.

7 Nota pro praxi, quod Filij Familias, & Uxores poſſunt ex bonis parentū, & Mariti facere modicas eleemoſynas ex conſenſu tacito, vel præſumpto, pręcipuè ſi Maritus ſit nimis durus in ſimilibus operibus Charitatis. De bonis autem caſtrenſibus, & Uxor de proprijs, poſſunt facere etiam magnas eleemoſynas, dummodo própria domus non egeat, nam debet eſſe rationale oſſequium noſtrum.

8 Quæres cum Doctore meo Reſoluto *in* 4.*Diſt*. 20.*art*.1. An melius ſit benefacete communitati, quam particularibus perſonis cæteris paribus; Dicēdum cum eodem Baccon., quod eleemoſina temporalis poteſt accipi, vel ſimpliciter, vel pro tempore præſenti; ſimpliciter melius eſt facere eleemoſinam communem, quam ſpecialem. Nam hæc eleemoſina perfectiſſima eſt, tam ex parte dantis, quam accipientis. Apoſtoli enim recipiebant eleemoſynam in commuui, & accipiebant modo perfectiſsimo, etiam ex parte dantis. Si eleemoſyna accipiatur pro tempore præſenti, certum eſt etiam, quod communis, eſt ſimpliciter perfectiſsima, cum ſit imitativa morum Apoſtolorum, ſed ratione alicuius particularis neceſsitatis, melius eſt dare particulari, quam communitati, applicat hoc Religioſis Doctor meus; & concludit iuxta hanc diſtinctionem eſse reſpondēdum; quod ſimpliciter, melius eſt dare communitati; quia hoc etiam imitatur legem naturæ *ut*. 12.*q*.1. *Dilectiſſimi*. Verum tamen in caſu ægeſtatis, vel maioris utilitatis, vel pietatis, &c. melius eſt dare perſonæ, quia hoc imitatur legem Apoſtolicam, per quam dabatur unicuique prout *opus erat*, & demonſtrat ibi: hoc expende, *ut opus erat*. Videnda tamen illius fundamenta. Seneca enim dicit, quietiſsimē viverent homines, ſi de mundo ſublata eſsent duo verba *meum, & tuum*.

9 Quod certò credo admittendum, ſi regula militaret quo ad omnes, ut erat in primitiva Eccleſia, ubi omnibus, ſcilicet Petro, Apoſtolis, & cæteris erat cor unum, & anima una, ſed quod unus eſuriat, etiam de neceſsarijs, & alius ebrius ſit quoad ō-

nia

nia, hoc valdè durum. Quare eleemoſina ſemper eſt ſuadenda, ut opus gratiſsimum Deo. Neceſsitates enim propriæ ſentiuntur alienę, nec curantur.

10 Eleemoſina ſpiritualis eſt correctio fraterna. in quo præcepto parum, ne dicam nihil, Deo obtẽperatur; nec deſunt excuſationes in peccatis;& licet ſeptem modis ſpiritualis eleemoſina erogetur, nam ſeptem ſunt opera miſericordię ſpiritualis; unũ verbum dicam de correctione fraterna, quæ cadit ſub præcepto, etiam ſecundum modum in Evangelio deſcriptum, nempè ſecundum ordinem. Vide noſtrum P.Franciſc.Bonę Spei.*Diſp.* 6.*de correctione fraterna &c.Si peccaverit in te,&c. Vade corripe eum inter te,& ipſum ſolum.*

11 Reſolut.meus in 4.*diſt*.19.*q*.1. docet quomodo ſit intelligendum præceptum Chriſti de correctione fraterna. Unum noto quod ſi ſolus noſti peccatum fratris, & eum coram alijs vis arguere, non eris erroris corre-ctor, ſed proditor.Hoc cogitent aliqui, qui indiſcreto zelo publicant aliorum peccata, ſub prętextu fraternæ correctionis, & nimia curioſitate rimantur facta proximi.Ut tenearis ad correctionem faciendam requiruntur quatuor conditiones. 1·ut ſciatur peccatum proximi.Nec tamen debes curioſius de eo inquirere,hoc munus eſt Superioris.2. Ut nõ ſit emendatum, nec ſperetur emendatio. 3.Ut credatur fructuoſa Ut corrigatur opportunè. *Nam morbus animi*(Seneca) *Mollem deſiderat Medicinam.*Undè *Corripe* dixit Chriſtus, ideſt *cor rape*. Et poteſt addi.5. Conditio ſi non adſit alius idoneus, qui probabiliter putetur correpturus.

12 Omnes igitur iure naturali, ut membra cor-

pus

pus adiuvent. *Sumus enim ſinguli alter alterius membra* tenemur ad correctionem fraternam faciendam, etiam precepto Divino poſitivo. Matth. 18. Bonacc. *p.* 7. Laym. *lib.* 7. Filiuc. ſed præcipuè ex officio obligātur Superiores. Adhibere Teſtes, ut deſcribitur in Evangelio, quando videtur profuturum, poſt primam correctionem, cadit ſub præcepto, & debent eſse Teſtes admonitionis, non accuſationis, ut benè Doctor meus Reſolut. ubi ſupra: ſed quia hoc an ſit profuturum eſt valdè dubiū, melius eſt tūc manifeſtare delictum Prælato, ſeù Superiori, non ut Iudici, ſed ut Patri, ad hoc ut paternè corrigat delinquentem. Quando autem delictum vergit in damnum tertij, ut proditio Civitatis, Hæreſis, &c. tunc ſtatim manifeſtandum eſt Prælato: nam commune bonum præferendum eſt particulari. Filiuc. *p.* 18. *c.* 7. *n.* 149.

13 Tenentur etiam inferiores ad corrigendum Superiorē, concurrentibus ſuperius annumeratis cōditionibus, ſub mortali, &c. Ad corrigenda peccata venialia nullus per ſe tenetur ſub mortali, niſi eſſent nimis ſcandaloſa, & poſſent præbere ruinam ſpiritualem alicui, excipe Superiores qui tenentur ad conſervandam Eccleſiaſticam diſciplinam, & precipuè Regulares. Tenemur etiam corripere eum, qui ex ignorantia peccavit, ſi ignorantia ſit vincibilis; Si tamen eſt invincibilis, tenemur ſi fructus ſperatur, ſecus non: niſi timeretur grave damnum, aut ſcandalum proximi. Omittentes correctionem fraternā peccant mortaliter, niſi excuſet magna timiditas, puſillanimitas, concurrentibus tamen conditionibus recenſitis: excipe Superiores, qui ſemper tenentur juxtà dicta.

Sed

Sed, bone Deus! ferè ſunt omnes adiutores Diaboli ad fovendam proximi iram, libidinem, avaritiam, ſed pauci ſunt coadiutores Chriſti ad ſalutem proximi procurandam. Omnes varijs titulis ſe excuſant, ne tam ſalutiferum munus Deo gratum exequantur, & ferè omnes gloriantur de cooperatione ruinæ ſpiritualis alicuius. Hoc Mundus laudat, illud deteſtatur, & Chriſtus perperam vociferatur. Si peccaverit in te,&c.vade corripe eum.

14 Nota tamen, quod in ijs, quę S. Officio ſunt denuncianda, ut hæreſis ſuſpecta, non debes præmittere correctionem fraternam; Nam tunc ad bonum communitatis eſt facienda correctio Iudicialis; quę certè ab inquiſitoribus fit cum maxima charitate, & circumſpectione, ut ipse in noſtro Sacro Tribunali, ſum Teſtis de viſu.

15 Nunc autem videamus. Quæ ſit oligatio filiorum erga Parentes,& Parentum erga filios.

Dicendum teneri filios exhibere Parentibus Amorem, Reverentiam,& Obedientiam.

Quare circumſtantia odij Parentum, debet explicari in Confeſs. Navar.cap.14.Tolet.*lib*.5.*c*. 1. Cath. Rom.*p*.3.*c*.5.Contumeliæ, irriſiones, quę ob levitatem materiæ multoties peccata ſunt venialia, in Parentes prolatæ,ſunt mortalia: ſicut illis non ſubvenire in neceſsitatibus temporalibus, & ſpiritualibus. Pariter filij tenentnr illis obedire, quoad mores, & in rebus gravibus ſub mortali; Unde ſi accipiant Uxorem ſtatui ſuo non convenientem, contra eorum voluntatem, peccant graviter contra obedientiam illis debitam: imò tenentur abſtinere ab ingreſſu Religionis, ab itinere, ad illos adiuvandos, ſi ſint conſti-

ſtituti, aut probabiliter conſtituendi in extrema neceſſitate. Et etiam in gravi, & ſi iam ſint Religioſi profeſsi in extrema neceſsitate parentum, tenentur egredi, in gravi poſſunt, ſed controvertitut an teneantur.

16 Parentes viceverſa tenentur filijs alimenta prꝑſtare, quando aliunde ſibi providere non poſſunt, curare, ut addiſcant, quꝑ ſunt neceſſaria ad ſalutem, illos verbo, & exemplo ad bonos mores inducere, eos caritativè corrigere: & liberos relinquere ad ſtatum vitæ eligendum; dummodo tamen rationabilis cauſa contrarium non ſuadeat. Toletus ubi ſupra.

17 Quod dicitur de Parentibus, & filijs, ſervata proportione dicendum eſt de Dominis, de Curatoribus, de Servis, Subditis, Principibus, Prælatis, & Magiſtris.

18 Hìc nota, quod aliqui mali Chriſtiani nomine ſolùm Catholici, facilè obloquuntur de Summo Pontifice, facinus deteſtabile, & Hæreticis gratiſſimum, de Epiſcopis, Parochis, Principibus, cenſurando omnes eorum actiones, quos nunquam ego abſolverem à mortali; nam hoc non eſt illis præſtare, nec amorem, nec debitam reverentiam; ſunt enim iuxta eorum delictum ſtrictè obligandi ad reſtitutionem famꝑ, & ad removenda ſcandala pro poſſe, quæ diſseminaverunt; ſunt enim ut plurimum ſuſurrones, alios ad malum in quantum poſsunt provocantes.


19 Pro interrogationibus faciendis in praxi præter dicta de charitate. Peccant Filij, qui Parentibus amorem, reverentiam, & debitam non exibent obedientiam, qui in neceſsitate illos non adiuvant, qui in morte eorum voluntati non obediunt, aut nimis

differunt obedire, qui ſuffragia debita illis non procurant, qui illos contemnunt,convicijs afficiunt,percutiunt,ſpernunt eorum præcepta,nimis perturbant. Eadem proportione loquere de Subditis, & Superioribus; Et ſi quod diximus, eſt in re gravi, erit peccatum mortale.

Peccant pariter Parentes qui Infantes ſuos exponunt, qui filijs ægentibus alimenta non præbent, non curant ut rectè inſtruantur, qui nimiam licentiam in Annis iuventutis eis concedunt, qui malo exemplo ſcandalizant, qui eos peccantes non corripiunt, qui avertunt à ſtatu Religionis, vel ad eum cogunt, & adeſt excommunicatio contra cogentes filias ad ſtatum Religionis, pariterque ab eodem retrahentes, ut videre eſt in Trident.a qua tamen poſſunt omnes approbati Confeſſarij abſolvere. Peccant pariter Matres, quę ſine rationabili cauſa filios alijs nutricibus lactandos tradũt. Sed venialiter tantùm.

Quęres an filij magis teneantur ſuccurrere extremæ neceſsitati parentum, quam filiorum?

Dicendum affirmativè ſed contraria opinio non caret probabilitate vide Toletum hic.



AR-

ART. V.

De quinto Decalogi Præcepto.

Non occides.

1 NE dum hoc præcepto prohibetur omne homicidium, quod eſt iniuſta hominis occiſio ſed etiam quilibet appetitus vindictæ, imò quæcũque læſio iniuſta proximi, & pariter ſui ipſius: Undè ad evadendam mortem poſſum permittere licet nõ tenear [quod valet etiam de difficilibus medicamentis) mutilationem alicuius membri, tunc enim non eſſet iniuſta læſio: Nunquam tamen permittere poſſum ab alio occidi, quia homo non eſt Dominus ſuę vitæ, excipe duos caſus à Toleto recenſitos, nempè ad defenſionem, ſeu liberationem amici: dummodo tua vita non ſit neceſſaria ad bonum communitatis: & quando aggreſſus ab hoſte potes illum cum moderamine inculpatę tutęlæ[ideſt non maiorem adhibendo vim, quam neceſſe ſit) occidere; Attamen ex motivo charitatis (licet ad hoc non tenearis) Ne hoſtis iniquus aggreſſor moriatur in peccato, permittis tuam occiſionem; quod tamen ſi illum occidas ſuæ

ſuæ imputet malitiæ, per quam ſe cônſtituit in tali ſtatu, nec peccas, nec irregularitatem incurris. Teneris tamen mori in Fidei defenſionem, ob conſervationem boni publici, Principis, & quando iuridicè ad mortem es condemnatus, & in hoc caſu potes fugere, non tamen vi, aut armis, nec potes te ipſum occidere, licet ſis reus mortis, & à Iudice imperetur.

2 Quæres an poſsit aliquis Ieiunijs, flagellis, ita ſe macerare, ut mors ſibi acceleretur?

Dicendum non poſſe, ſi faciat indiſcreto fervore, & cum notabili vitæ, & virium detrimento; & hoc faciendo peccat mortaliter. Laym. *tract. de iuſtitia p.* 3. *cap.* 1. Intellige niſi excuſet bona fides, & zelus Deo placendi, ſed ſi admonearis, amplius non excuſaris. Specialis inſpiratio Divina excuſat, ſed ſemper ſtandum obedientiæ ſui Confeſſoris.

3 Quæres 2. An peccent parentes, qui caſtrant filios, etiam conſentientes, ut dent operam Muſicæ?

Dicendum peccare, & quidem mortaliter. Sed quia periti Chirurgi tutò id faciunt ſine mortis periculo, & uſus communis approbat, debita adhibita diligentia, ob Eccleſiarum decorem, excuſarem à mortali, penſatis tamen circumſtantijs.

4 Quæres 3. An qui ſe ipſum occidit debeat privari Eccleſiaſtica ſepultura?

Dicendum affirmativè, *&* id vetant Eccleſiæ Canones, ſed iterum.

5 Quæres 4. Si dubitatur an hoc fecerit ex amẽtia, an ex perturbata ratione, ob aliquam vehemẽtem paſsionem?

Dicendum in praxi privari; Conſtat enim de facto, nempè de proprio homicidio, nec conſtat de amen-

amentia, aut perturbata phantaſia. Sed.

6 Quæres 5. Si dubitatur an a ſe, vel ab alio ſit præcipitatus?

Dicendum. Non præſumi tàm immane delictum in ſui perniciem, undè ſepeliendus eſt in loco ſacro. Ego tamen vidi illos in loco ſacro ſepultos ob præſumptionem ſtultitiæ; nam qui ſe ipſum occidit ſtultus eſt, niſi conſtet hoc ex deſperatione feciſſe.

7 Nullus auctoritate privata poteſt alium occidere, excipe iniuſtos invaſores, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, & tunc, ut dixi nulla incurritur irregularitas, licet ſpectato iure antiquo hęc doctrina fuerit controverſa. Poſt *Clement. ſi furioſus de homicidio* eſt communis. Poteſt etiam occidi iniuſtus inuaſor proximi innocentis, quia licitè defenditur innocens, eſt communis. Filliuc. *tom.* 2 *tract.* 29. Et valet in probabiliſſima ſententia etiam ſi tu aggreſſori cauſam dediſſes per iniuſtitiam. Tabiena *n.* 24. Urtado *diſp.* 2. *de Inreg. Diffic.* 10. *nu.* 3. Et eſt opinio probabilis quod nec ex defectu lenitatis incurratur ex homicidio facto ad defendendas res proprias. Alphonſus de Caſtro *lib.* 2. *de lege penali cap.* 14. Caſtropal. *de Cenſuris tract.* 29. *diſp.* 6. *par.* 15. §. 8. Quam tamen ut dixi non ſequor, ſed illam propono ad notitiam mei Confeſſarij, ut benè cogitet, & videat Auctores. Sed damnatæ ſunt hę propoſitiones ſub Innocentio XI. & in ordine eſt 30. *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, & aliter hæc ignominia vitari nequit, idem quoque dicendum ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.*

Nota quod poſſum occurrere invaſori honoris, cũ

non ſit aliud medium diſtricto gladio, & ſi aggreſſor non deſiſtat, ſed mihi armis mortem moliatur, non eſt ſolum tunc aggreſſor iniquus honoris, ſed etiam vitæ. Undè tunc cum moderamine inculpatæ tutelę poſſum illum occidere. Hoc applica, &c. ſed ſi aggreſſor honoris, & rerum fugiat, aut deſiſtat, non poſſum illum offendere, eſſet enim tunc vindicta, nō iuſta defenſio.

31 *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.*

32 *Non solùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, quæ nos poſſeſſuros ſperamus.*

33 *Licitum eſt, tàm hæredi, quam legatario contra iniuſtè impedientem ne vel hæreditas, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut, & ius habenti in Cathedram, vel præbendam contrà eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem.*

Et etiam ſub Alexandro VII. prohibitæ ſunt iſtę in ordine.

17 *Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni publicè, & coram graviſsimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.*

18 *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos Teſtes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poſſet innocens damnum evitare.*

19 *Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Uxorem in adulterio depræhenſam.*

8 Quare proſcripti non occiduntur ſine peccato auctoritate privata, ſed publica, & hoc præcepto prohibetur, etiam voluntas homicidij, vindictæ, & læſionis proximi. Unde faciles ſunt quoad hoc interrogationes Confeſsarij.

9 Pro praxi nota quod explicanda eſt inConfeſſione qualitas perſonæ occiſæ. An v.g. fuerit Pater, Superior, ſeu perſona Sacra, in hoc caſu enim eſset Sacrilegium, cum Excommunicatione Papæ reſervata. An ſit Romipeda cauſa negociorum, ſeù devotionis accedens ad Sedem Apoſtolicam, & ab ea recedens, adeſt Excommunicatio in Bulla Cœnæ Domini. Inſuper debet explicari qualitas loci: an in loco Sacro. Idem dic de percuſsione, & mutilatione.

10 Damna, quæ ſequuntur (exceptis expenſis funeris ſecundum Defuncti conditionem, quæ tandem fieri debebant] ex homicidio, & mutilatione certè ſunt compenſanda, licet præciſè non oriatur hæc obligatio ex homicidio, & mutilatione, cum hæc nullo prætio æſtimari poſſint, licet à Iudice occiſor poſſit ad hæc compelli; ut ex communi. Leſſius *lib.2. de Iuſtit. & iure cap.9. dub.*13. Iudicio prudentis viri, conſideratis ætatibus, conditionibus, & ſanitate occiſi. Idē dicendum eſt ſi ex ſua iniuſta lęſione alicuius vita brevior effecta ſit. Occiſor inſuper debet pro Anima eius ſatisfacere pijs operibus, pręcipuè Sacrificijs, iuxta dicta. Sed obſerva quod lucrū Defuncti erat incertum, & mutationibus ſubiectum: quare ſi occiſus lucrabatur centum, occiſor non debet ſolvere centum, ſed arbitrio viri boni, demptis expenſis proprijs, & conſiderato periculo lucri ceſ-

ſantis. Iſta tamen reſtitutio debet fieri Filijs, Uxori, parentibus, quia censētur una caro cum occiſo; Non autem cæteris hæredibus; aut creditoribus. Vide Leſſium ubi ſupra *de Iuſt. lib.* 23. Bannem, & Sotum quibus ſubſcribo. Creditores habent ſolùm Ius in bona Defuncti. Si verò Petrus v. g. occideret Paulum animo, & malitia, ne Paulus ſolveret debita creditoribus, tunc credo quod Petrus teneretur ad ea ſolvenda, cum de Lugo *de Inſt. diſt* 11. *na.* 8. Leſſ. Sed de hoc iam diximus alibi ſufficienter.

11 Sed quæres Caius occidit Antonium, incarceratur Franciſcus innocens, qui tamen damnatur ad mortem propter homicidium Caij. Quæritur an Caius teneatur ad damna ſequuta ob mortem Franciſci? Dicendum non teneri, quia mors Franciſci non cauſatur directè ab ipſo Caio, ſed per accidens, ſeù per errorem, aut malitiam accuſatorum. Bonac. *diſp.* 2. *q. ult. tom.* 2. *par.* 2.

12 Placet hic pro praxi aliqua dicere de Militibus, nàm de bello infra, cum de Principe bellante loquemur, debent enim iſti interrogari, an receperint ab hoſpitibus aliquid, quod non ſit à Principe taxatum, etiam ſi ſpontè illis datum ſit, niſi conſtet de libera, & ſpontanea donatione; quod totum reſtituendum eſt, niſi excuſaret extrema, ſeù gravis neceſſitas. Diana *par.* 6. *tom.* 4. *reſol.* 26. Obſerva quod Repræſaliæ ſunt illicitæ, niſi intercedant iſtę conditiones; Nempè ut conſtet manifeſtè Cives alterius Principis feciſſe iniuriam, ut Iudices rogati recuſent facere Iuſtitiam, & ſciatur hoc, Iudices recuſare culpabiliter. Ut Princeps Supremus cauſa cognita concedat militibus Repræſalias. Ut non inferatur maius

dam-

damnum, quam ſit iniuria recepta, & ut non concedantur in Perſonas Eccleſiaſticas: quæ omnia an obſerventur, tu conſidera.

Quæres ultimò. An liceat occidere Principem, ſeù alium virum Reipublicę neceſſarium cum ſunt iniuſti invaſores?

Dicendum non licere quando ſequeretur ex tali occiſione grave damnum communitati, & præcipuè ob ſucceſſionem. Bonum publicum debet anteponi particulari. Et hoc ratione charitatis, & iuſtitiæ cōmutativæ erga Rempublicam. Doctores communiter paucis exceptis. Malderus 2.2. *tract.* 3. & alij dicũt quod ſi aggreſſus ex tali morte ſibi timet periculum animæ poteſt tunc occidere Principem.

Pro praxi continua ſcias, quod miles in bello iniuſto poteſt occidere militem contrariæ partis ſe invadētem, dumodo prius eum monuerit ut deſiſtat, iuſtè enim ſe defendit licet bellum iniuſtum ſit. Sotus *de iuſtitia lib.* 5. *qu.* 1. *art.* 7.

ART. VI

De Seſto Præcepto Decalogi

Non Mæchaberis.

1 HOc præcepto prohibetur quicũque actus luxurioſus, tàm externus, quàm internus. In hoc

hoc pręcepto, & in ſequenti, Meus Reſolutus *in 3. diſt*,40. *q*.1. Quærit quod nam opus prohibuerit, vel cohibuerit lex vetus, *& art*.2. dicit quod lex vetus prohibuit manum, & animum; choibuiſſe autem ſolum manum, nempè operationem exteriorem per pænas: nulla enim lex habet virtutem coactivam niſi propter pænas, quas infligit, & concludit, quod lex nova utrumque cohibet. Quare quicumque actus tàm externus, quàm internus his duobus pręceptis, & prohibetur, & cohibetur.

2 Recordetur prudens Confeſſarius quod cautè in hoc præcepto debet interrogare pænitentem, nàm eſt materia, ut dicit Cath.Rom. *par*.1. *cap*. 7. *quę moderationem potius deſiderat, quam orationis copiam.*

3 Sex ſunt Luxuriæ ſpecies propriæ, & hoc eſt proprium Luxuriæ, quæ licet ſint contra eamdem virtutem caſtitatis, ſunt ſpecie diverſæ. feruntur tamen contra eamdẽ virtutem differenti malitia formali; alia eſt enim formalis malitia adulterij, alia beſtialitatis &c.

Et ſunt Fornicatio, Stuprum, Adulterium, Inceſtus, Raptus, & peccatum contra naturam. Et alij addunt Sacrilegium, quod committitur luxuriando cum perſona Sacra, nempè voto caſtitatis Sacrata Deo. S. Thomas tamen hoc peccatum reducit ad Adulterium, cum Perſonæ Sacræ ſint connubio Spirituali Deo ligatę, ſed non recedendum à communi opinione, quæ tale peccatum vocat Scrilegium. Obſerva pro Stupro Virginis, quod ad hoc, ut verè ſit Stuprum, requiritur quod ipſa ſit invita, nam ſi conſentit liberè, erit ſecundum aliquos, quod ægrè admittendum (ut dicam infra) ſimplex fornicatio:

Nec

Nec neceſſariò aperienda talis circumſtantia in Cō-
feſſione. Sanch. *lib.7.d.12.*

4 Præter has ſpecies luxuriȩ prohibentur etiam moroſȩ delectationes, quȩ cum pleno, & deliberato conſenſu committuntur, & quidem ſunt peccata eiuſdem ſpeciei, de qua quis delectatur. Prohibentur inſuper obſcȩna deſideria, oſcula, tactus, quando fiunt ex carnali, & venerea delectatione: ſecundum verò morem patriȩ, oſcula ſunt indifferentia; ſed ſi intenderetur delectatio illa quæ carnē afficit, & excitat ad libidinem eſſent mortalia. Adeſt ſuper hoc propoſitio damnata ſub Alexandro VII. quæ eſt 40. *Eſt opinio probabilis, quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.*

5 Nota quod qui exhibet comedias turpes, facit picturas inhoneſtas, componit cantiones oſcænas, cum ſemper moraliter adſit certitudo, quod aliquibus prȩbeatur ruina ſpiritualis; eſt peccatum mortale, & Magiſtratus, qui hoc permittunt, niſi faciant ad evitandum maius malum [quod difficillimum eſt] pariter mortalitèr peccant.

6 Hic quæro, quia de hoc fui conſultus. An peccet mortaliter Pictor, qui ad inſtantiam Iuvenum furtivè pingit eorum Amaſiam, ſeù mulierem coniugatam non conſanguineam. Et dico circa Amaſiam, ſi illi non conſtet de malo fine, aut vehementer de eo ſuſpicetur, poſſe, quia probabile eſt, quod ſit ad finem Matrimonij. De Muliere verò nupta non conſanguinea in gradu ſtricto, abſolutè dico non poſſe, quia præſumitur de mala voluntate expoſcentis, niſi

in

in contrarium Pictori conſtet de rationabili, & honeſto fine: cooperaretur enim tali peccato, & poſſunt ſequi ſcandala, & ſuſpiciones. Hìc poteſt accomodari illud Tertulliani de Idol.*cap*.8.qui reprehendebat Scultores, qui Martem, Venerem, Idolatris faciebant; *qui de Tilia Martem exculpſit* (*aiebat*)*quãtò citius armarium compingit*? Vocat eorum manus ſacrilegas, quę iterum Chiſtum crucifigunt, licet iſti ſcultores excuſarent propriam intentionem; ſicuti faciunt aliqui pictores.

7 Nota etiam (quia de omnibus ſpeciebus nolo loqui, nam res eſt clara apud omnes Auctores] quod ad beſtialitatem reducitur concubitus cum Dæmone, cui additur malitia contra Religionem, & etiam illa, quæ habetur ex affectu. v.g.Adulterij, Inceſtus, &c. Si in tali actu quis delectaretur de Coniugata, aut Conſanguinea.

8 Nota, quod in Sodomia ſi committatur cum Conſanguineo, & affine, pręcipuè in primo, & ſecundo gradu, cum in ea adſit ſpecialis malitia contra honeſtatem parentibus debitam, debet ſpecificari in Confeſſione, non tamen opus eſt explicare gradum.Eſcobar. *de act.hum.E.2.c.o.*ſufficit enim dicere, coivi ſodomiticè cum conſanguineo, vel affine.

9 Circa pollutionem in ſomno facta, obſerva quod ſi fuit aliquo modo procurata eſt mortale peccatum. Si poſt ſomnum placuit, propter delectationem veneream, adhuc eſt mortale, ſi placuit tantùm via naturali, quia facta fuit ob exonerationem naturę, vel ad minuendas tentationes, non eſt peccatum; quia obiectum huius complacentiæ malum non fuit, quidquid dicat Natalis ab Allexandro. Sed.

Quæ-

Quęres an mutua pollutio inter Mares, & Mares, & fæminas inter fęminas, ſit tantum mollities, ſeù Sodomia?

10 Dicendum eſſe tantùm mollitiem ſi fiat ex ſolo affectu ad libidinem veneream; ſi verò ſiat affectu ad perſonam ſexus indebiti (adderem ego, ut talis eſt, & ſub illa formalitate, maximè ſi adſit aliqua commixtio corporum) habere malitiam Sodomię. Filiucc. *tract*. 30. *cap*. 8. Hìc non appono interrogationes, quia ſunt nimis notæ, & facilè reperiuntur apud omnes.

11 Quæres 2. An ſint aliquæ reſtitutiones faciendæ ex traſgreſſione huius præcepti?

Quando egimus ſupra de reſtitutione, multa diximus, illa videatis; ad maiorem tamen claritatem.

Dicendum ob ſtuprum, & adulterium, ratione damni illati, poſſe oriri obligationem reſtitutionis. Vnde.

Qui Virginem aliquam decepit promiſſione Matrimonij, illam tenetur ducere in Vxorem: etiam ſi fictè, & dolosè Matrimonium promiſiſſet. Navarr. Sotus, & alij. Vide Leſsium *lib*. 2. *cap*. 10. *dub*. 3. Sed ſi qui illam decepit, eſſet conditionis valdè inequalis, aut non poſſet adimplere promiſsionem ſine gravi ſcandalo, tunc tenetur eam dotare pro ratione conditionis, & ſtatus defloratæ. Navarr. *cap*. 16. *nu*. 83. Tolet. *lib*. 5. *cap*. 11. Et ego crederem libenter iuxta conditionem decipientis; ratio eſt, quia ſi ex vi talis ſtupri tenetur eam ducere, tenetur ſaltem in tali caſu dare illi æquivalens, ſi non aritmetica proportione, ſaltem ſecundum geometricam, arbitrio viri prudentis, conſideratis conſiderandis; Et certè dam-

damnum debet compenſari aumento dotis, ne à Marito malè tractetur ſi detegeretur delictum. Non diſcedo tamen à communi opinione. Addo quod ſi deceptio poterat eſſe prævifa ex loqutione, aut nimia inęqualitate, & virgo aſſerit ſe deceptam, debet multum conſiderari ex circumſtantijs, an fuerit vera deceptio; nam multoties eſt deceptio voluntaria, & illi mulierculæ imputanda; quare in hoc caſu ſufficiet eam dotare iuxta ſtatum ſuum, & non decipientis. Sed maturè hoc conſiderandum eſt. Ad id etiā tenetur qui violentia, pręcibus importunis, doloſis perſuaſionibus, virginem defloravit. Secus ſi ipſa liberè conſenſiſſet, tunc enim deflorator ad nihil teneretur. Nam deflorata hoc damnum ſibi imputet.

12 Pro praxi, nota quod ſi deflorata convenienter nupſit, quia ſtuprum nulli innotuit, ad nihil tenetur deflorator, nam tunc uullum-damnum paſſa eſt, nàm præcisè propter virginitatem, & adulterium non oritur debitum reſtitutionis; Sunt enim bona ſuperioris ordinis.

13 Circa adulterium, ſi conjugata filium recepit tenetur ſi habet ex proprijs, compenſare damna filijs legitimis, ut dictum eſt; ſi non habet magis laborare, minus expendere; Adulterino ſi idoneus eſt ſtatum Religionis persuadere, & omnia facere quæ poteſt, ut compenſet ſaltem aliquo modo damna ſequuta, ſalvo tamen periculo famæ, & vitę, quæ cū ſint bona ſuperioris ordinis, non ſunt eroganda pro bonis ordinis inferioris. Neque tenetur filio adulterino manifeſtare crimen, niſi moraliter eſſet certa, talem manifeſtationem profuturam. Alleganti enim ſuam turpitudinem iuxta regulam iuris, nulla debe-

tur

tur fides.

14 Adulter pariter ſi illi moraliter conſtet filium eſſe ſuum, tenetur compenſare damna: Sed in praxi Confeſſarius conſideret, ne in iſtis compenſationibus generetur ſuſpicio adulterij, ne ſit cauſa maioris mali, mortis, infamiæ, & ſcandali, quare cautè, prudenter, & maturè procedendum.

15 Adulterium propter damna, quæ regulariter ſequuntur, eſt maius crimen reſpectu adulteræ coniugatæ; Et etiam maius ſi uterque adulter eſt coniugatus, & eſt circumſtantia aperienda in confeſſione: committitur enim iniuſtitia contra duos thoros.

16 Hic obiter, ut univerſalem in quantum poſſumus pro praxi tradamus notitiam, ſcias quod coniugati peccant mortaliter. 1. Si ſemen ſcienter extra vas effundant, eſt enim contra ordinem generationis. 2. Si in actu generationis divertant mentem ad alia obiecta. v.g. ad aliam Mulierem, Mulier ad alium virum, tunc peccatum eſſet eiuſdem ſpeciei, ut eſt obiectum; ſtuprum, v.g. Si cogitaret vir de virgine, & ſic de alijs obiectis, quod eſt ſpecificandum in confeſſione; & de hoc tenetur Confeſſarius interrogare. 3. Si præpoſterè cum Vxore rem haberet, in quo conſentiendo etiam Mulier peccaret mortaliter, etiam ſi inciperet circumfricando partes illas obſcænas, cum intentione conſumandi in vaſe debito. Baſilius Ponſe de Matr. *lib.* 10. *cap.* 11 *n.* 5. Eſt enim magna indecentia in Matrimonio, in quo ut dicit S.Thom. in additionibus *q.* 64. *à* 7. *in Corp tenetur unus alteri debitum reddere ſalva debita honeſtate, & quaantum ad actum generationis* 4. Si quis

utere.

uteretur ſua Uxore, non tamquam uxore, ſed tanquam eſſet ſimplex fæmina, aut meretrix, paratus ea uti, etiam in tali ſtatu. S.Thom. *in addit. q. 49. in reſp. ad 1. Tunc voluptates meretricias vir in uxore quærit, quando nihil aliud in ea attendit, quam quod in Meretrice attenderet*. Undè Tobiæ 6. *Hi namque qui coniugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut Equus, & Mulus, quibus non eſt intellectus habet poteſtatem Dæmonium ſuper eos* 5. Si se luxurijs prohibitis reddant impotentes ad reddendum debitum; præbent enim alteri cauſam ruinæ ſpiritualis. Andreas à Matre Dei *tom. 2. tract. 9. de Matrim. cap. 15. par. 1. n. 5.* 6. Si ſe invicem tangendo polluunt extra copulam. 7. Si unus haberet votum caſtitatis, & peteret debitum, nam ſi haberet votum ſimplex poſset reddere, ſed nõ petere. 8. Si inter eos eſset conſanguinitas, & affinitas quis eorum cognoſcèret impedimentum, peccarent 9. Si mulier aliquo modo emittat ſemen receptum ne concipiat, licet difficile ſit emittere (ut docent Medici] 10. Si faciunt aliquid per quod impediant conceptionem, licèt de facto non impedirent, peccarent quoad affectum.

17 Peccat venialiter, qui utitur matrimonio ob ſolam delectationem. *Opus Coniugij ob ſolam voluptatem exercitum omni pænitus caret culpa, ac defectu veniali*. Eſt propoſitio damnata ſub Innocentio XI. Undè S. Auguſtinus *de bono Coniugali cap. 6. Dicit Coniugalis concubitus generandi cauſa non habet culpam, concupiſcentiæ verò ſatiandę, culpam habet venialem*. Qui utitur coniugiò ſolùm ex motivo captandæ ſanitatis. Qui indebito modo ſtando, ſedendo, &c. utitur

Ma-

matrimonio, dummodo abſit periculum emittendi ſemen extra vas; nam tunc eſſet mortale. Layman. *lib.5.tract.16.cap.1.num.1.* Qui utitur matrimonio cum magna laſcivia, ſeu cum menſtruata. Si uxor prolem ablactet, nam ſi tunc conciperet, grave dãnum fieret filio. Et uno verbo ſemper intervenit ſaltem culpa venialis inter uxoratos, quando utuntur Matrimonio extra duos fines, nempè *bonum prolis*, *& bonum fidei*, ideſt ob reddendum debitum. Nam bonum Sacramenti eſt indiſſolubilitas Matrimonij. Pro praxi.

18 Quæres quid dicendum ſit de ſumptione Euchariſtiæ Coniugatorum, ideſt quando impediatur per actum Matrimonij?

Dicendum. Eos qui utuntur Matrimonio *ob bonum prolis, & fidei*, nunquam ex hoc peccare, nec etiam venialiter; undè ſemper ſunt diſpoſiti ad recipiendã Sanctiſſimam Euchariſtiam.

Dicendum 2. Reddentem debitum nunquam peccare venialiter. Imò cæteris paribus ſemper poſſe recipere Euchariſtiam. Vide S. Franciſcum de Sales in ſua introductione ad vitam devotam.

Propter talem immunditiam corporalem, & perturbationem mentis ob congruentiam poteſt prohiberi, ut coniugati illo die abſtineant, niſi hoc illis eſſet nimis moleſtum, propter magnam aliquam ſolemnitatem, Indulgentiam acquirendam, & ego noto, quod ſi Maritus eſſet Sponſus, nec poſſet ſe continere niſi difficiliter, dummodò non adeſſet magna mentis perturbatio, premiſſis debitis præparationibus, rarò illi prohiberem, tàm ſalutare animi ſolatium.

19 Quæres tandem. An poſsit interrumpi actus coniugalis incæptus ſi ex cōcitatione naturæ ſit pollutio ſequutura, cum iuſta tamen cauſa. Dicendum poſse ſine peccato. Unde ſi ex continuatione Copulæ immineat morbi periculum, mors ab hoſte ſuperveniente, vel quid ſimile, poteſt interrumpi ſine peccato talis actus. Perez *diſt*.49.5.9.

20 Cum Uxor eſt gravida, & adſit abortus periculum, infirma, aut periculum infirmitatis illi immineat, poteſt ſine peccato negare debitum. Inſuper ſi Maritus laboraret morbo gallico, lepra, & ſimili, ebrietate, amentia. Si tamen ante Matrimonium fuerunt cognitæ iſtæ infirmitates, & non eſsent nimis graves, teneretur reddere. Laym. *lib*.5.*tract*.10 *par*.3.*cap*.1. Bonac. *q*.4.*par*.3.*n*.11. Sanch. Si Maritus tamen nimis immoderatè peteret debitum, & ilii Uxor aliquando, rarò tamen negaret, non peccaret, ſecluſo tamen periculo incontinentię. Perez *D*. 50. 3.4. Vide Sanch. Filiucc. Tactus inter coniugatos sſit peccaminoſi mortaliter, ſi fiant cum periculo pollutionis, ſecus venialiter, nullo modo, ſi fiant in ordinem ad prolem, ad eccitandam naturam.

Pro praxi ſcias quod aſpicere coitum beſtiarum ex mera curioſitate non eſt peccatum mortale, aſpicere coitum hominum, & verenda contrarij ſexus ſtudioſè, eſt mortale ratione periculi, nam hoc eſt multum provocativum ad libidinem. Secus verò qui breviter, & incidenter aſpiceret, & ſine periculo excitationis, & delectationis venereę, quia in hac non datur parvitas materię.

A R T. VII.

De Septimo præcepto Decalogi.

Non furaberis.

1 IN hoc præcepto prohibetur etiam voluntas furandi, ut ſuperius dictum eſt, ſed quia aliqua iam tetigimus de reſtitutione. Scias quod *furtum eſt occulta, & iniuſta ablatio rei alienæ iuvito rationabiliter Domino*. Quod ſi res ablata eſt ſacra, ſeu loco Sacro depoſitata, erit Sacrilegium, & ſi auferatur cũ violentia erit rapina, quæ gravius eſt peccatum ſpecie à furto diſtinctum; ideoque hoc erit exprimendum in Confeſſione. Undè qui accipit alienum in cõmodum Domini non furatur. v.g. Uxor accepit à Marito pecuniã ne ludis, aut ebrietate prodigat, vinum ne inebrietur. Amicus ſurripit librum hæreticum, ne cum periculo, aut peccato legatur, non eſt furtum, quia Dominus in his caſibus non eſt rationabiliter invitus. Similiter qui pro ſe, vel alio in extrema neceſſitate conſtitutus (non autem in gravi) ſurripit neceſſarium, non eſt furtum, nec reſtituere tenetur, tunc enim ſunt omnia communia. Vide Layman, *lib.3.tom.3.par.1.cap.1.num.7.* Lugonem *diſp.*

26.5.7. & etiam qui accipit in compenſationem dũmodo alia via ſuum recuperare non poſſit, & non ſit periculum ſcandali, aut damni alterius. Nam nõ eſt iniuſta ablatio. Sed obſerva quod tres ſunt propoſitiones damnatæ ſub Innocentio XI. Feria 5. die 2. Martij 1679. Prima eſt in ordine 36. *Permiſſum eſt furari non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.*

2 *Eſt* 37. *Famuli, & Famulæ domeſticæ poſſunt occultè hæris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam quàm maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt.* Tertia eſt 38. *Non tenetur quis ſub pæna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.*

2 Pro quarum intelligentia breviter dico pro prima, quod hoc verum eſt, quod licet in extrema neceſſitate ſurripere à divite neceſſaria, ad illam ſublevandam, ſed non licet furari, quia tunc non eſt furtum, cum ſint omnia communia: furtum enim eſt intrinſecè malum, & nunquam licet. Igitur non licebit pariter furari in gravi neceſſitate. Sed

3 Quæres an in gravi neceſſitate liceat etiam ſurripere à divite neceſſaria? Dicendum negativè. Nam hoc eſſet ſemper furtum, cum iſti pauperes in gravi neceſſitate non habeant ius ad res alienas; & ſi hoc eſſet verum, Dives citò a multis pauperibus ſpoliaretur, quare hæc eleemoſina remittitur arbitrio poſſidentis. Excipe duos caſus in quibus licet. Primus cum Reſpublica eſt in gravi neceſſitate, tunc poteſt Magiſtratus auferre ſuperflua divitum, ut neceſſitati ſubveniat communi, nam neceſſitas gravis Reipublicæ, æquiparatur extremæ neceſſitati S. Tho-

mas

mas 2.2.*quæſt*.32.*art*.6.Suar.*de char.d*.7.*ſect*.4. *con*.1. Caietanus in S.Thoma ibidem. Secundus caſus eſt, quando aliquis reperitur in neceſſitate evidenter urgenti, tunc enim qnia eſt neceſſitas quaſi extrema, poteſt ſurripere neceſſaria ad illam ſublevandam,& talis neceſſitas eſt, quando adeſt periculum graviſſimi damni. v.g.Franciſco imminet à Turcis periculũ captivitatis, videt alienum equum ſibi proximum, poteſt illum ſurripere ad fugam, ſed amoto periculo tenetur ad reſtitutionem. Cæteris paribus.

Quoad ſecundam: in hac propoſitione damnata; nomine famulorum propter identitatem rationis expreſſam in damnatione, veniunt etiam adminiſtratores rerum familiarum Principum, Communitatum, Patronatuum, montium, Agrorum, Vectigalium, Iudices, Prætores, & omnes qui impendunt operã & induſtriam ſuam pro prætio. Hi enim omnes in caſu damnato, non poſſunt ſibi compenſare. Sed.

4 Quæres an quando conſtat de evidentia iniuſtitiæ ſalarij debiti, tunc poſſint ſibi compenſare, & hoc non compræhendatur in damnata propoſitione?

Dicendum poſſe, nec compræhendi, nam de hoc caſu non loquitur damnata propoſitio, ſed iterum.

5 Quæres 2. Quando conſtet de hac evidentia iniuſtitiæ?

Dicendum ex his capitibus.

Primò, obſervandum, quod ſicut in Mercibus eſt triplex prætium, ſummum,medium, & infimum, ſic poteſt applicari in miniſterijs famulorum. Menſura ſtipendij accipitur à lege, ſed magis ad conſuetudinẽ inſpiciendum eſt. Igitur videtur, quod conſtet de iniuſtitia ſalarij, quando ſalarium eſt minus infimo,

 ſed

ſe adhuc ſunt conſiderandæ plures conditiones.

Prima, quod ſtipendium ſolùm debet commeſurari cum labore, & induſtria famuli præcisè. 2. Quod ſemper ſtipendium eſt iuſtum, quando pro eodem ſtipendio alij famuli deſervirent. 3. Quod ſicut merces ultroneæ vileſcunt, ita conſiderandum eſt, an famulus rogavèrit Dominum, ut illud ad ſuũ famulatum recipiat, nam in tali caſu, minori prætio debet eſse contentus. 4. Quando cogitur aliquis ſervire pro prætio infimo minori, tunc conſtat de manifeſta iniuſtitia 5. Si Dominus ſolvat ſalarium in rebus, quas famulus cogitur vendere cum ſuo detrimento, tunc pariter eſt evidens iniuſtitia. 6. Si famulus condonaſset hero partem ſalarij, non poteſt ſibi compenſare. His penſatis debet famulus conſulere Confeſsarium doctum: nam non licet famulo facere compenſationem propter iniuſtitiam ſalarij ſuo iudicio, ex damnata propoſitione.

6 Quoad tertiam, dico quod fur recordetur, vel non recordetur illorum paucorum furtorum in ultimo furto, per quod redditur materia gravis furti, quando recordatur debet reſtituere totum ablatum; Si enim damnata propoſitio concederetur, ut licita, infinita ſequerentur abſurda, & hoc eſset onus grave Reipublicæ, & particularibus, non ex illo præcisè furto levi, ſed ex uſu communi, per quem quilibet poſset ab omnibus tutò pauca ſurripere cũ magno damno Reipublicæ, & fidelitatis humanæ. Proverb. 11. *Statera doloſa abominatio eſt apud Deum*: per quam minuta furta committuntur: & certum eſt, quod ex pluribus obligationibus levibus, naſcitur obligatio gravis, & poteſt ſpecificari in voto. Quis

vovit

vovit recitare unam Salutationem Angelicam, una die non recitans non peccat mortaliter: ſed ſi ducit in conſuetudinem, nonne tenetur eas Salutationes recitare, cum ad materiam gravem perveniunt? Sed pro praxi.

Quæres quę nam cenſeatur materia gravis in parvis furtis.

7 Nam in furto ſimpliciter, qnæ nam ſit materia gravis, placet opinio Ioannis de Lugo *tom.* 1. *de iuſt.diſp.*16.*ſect.*2.*num.*28. ubi dicit *Quarè non ægrè cum prædictis in re ipſa conſentiam, ut in ordine ad Reges, & Magnates opulentos exigatur furtum unius aurei, ad divites ſex, vel ſeptem argentei, ad Artifices quatuor, ad Pauperes valor victus diurni, ſeù mera merces mediocris, quæ tempore medio inter hyemem, & æſtatem datur foſſori*. Quare ut materia gravis furti dignoſcatur, debent conſiderari conditiones perſonæ læſæ, circumſtantię, & quantitas damni illati, licet quod aufertur minimum ſit.

8 Dicendum ergo quoad materiam gravem in parvis furtis cognoſcendam, hæc eſſe conſideranda; nempè ſi quis ſurripuit, per pauca furta, ad eodem ſurripuit, & cum brevi interpolatione temporis inter unam, & aliam ablationem, tunc materia gravis eſt illa, quæ ſufficit ad peccatum mortale, ſi ſimul ſumpta à quolibet auferatur.

Si parvæ ablationes fiant cum interpolatione tẽporis longi reſpectu eiusdem ſubiecti, requiritur quãtitas duplo maior, quàm quæ ſufficeret ſi res eſſet ſimul ablata. Thom. Sanch. *lib.*7.*ſumm.cap.*21.*n.*19. Navar. *in ſumma c.*17.*n.*139. Leſs. *de inſt.c.* 12.*d.* 8.*n.*46. Quia homines ex Leſsio minus ægrè ferunt ſibi au-

ferri longo intervallo, & curſu, quædam minima, quàm eadem quãtitas ſimul, vel data opera, vel brevi intervallo; ſi poſtea ſurripiatur à diverſis per minuta furta, adhuc materia ad hoc ut obliget ad reſtitutionem debet eſſe maior, nempè unus aureus ſi multi ſint Domini, à quibus ſublatum eſt, & minor ſi pauci ſint, dummodo nunquam excedatur terminus unius aurei. Thomas Sanch. *nu.* 17.

9 Adverte pro praxi: quod qui committit multa furta non intendens ex illis diteſcere, ſed tantum ex occaſione furatur, nec vult grave damnum inferre proximo non peccat mortaliter, niſi quando pervenit ad quantitatem notabilem furti iuxta iam dicta, nec vult reſtituere; quod ſi per minuta furta intendit diteſcere, peccat in primo furto mortaliter, non ratione illius minuti furti, ſed ratione iſtius pravæ intentionis, & tenetur reſtituere Communitati; ſi ipſi nocuit, Domino proprio ſi ſciatur?

10 Nota etiam quod Mercatores, qui minuta furta committunt in menſura v.g. & pondere, ſi hoc faciant, ut ſe ſervent indemnes, & ne perdant emptores, ſi adhibeant circa hoc magnam circumſpectionem, poſſunt excuſari à mortali. Colligens racemum Vvę ex vinea; niſi cum alijs conſpiret, ut omnes racemum colligant, etiam quod damnum grave inferatur non peccat, nec tenetur ad reſtitutionem; ſi autem ſimul conſpirent tenentur in ſolidum, & ſi unum pro omnibus ſolvit, niſi condonet, cæteri tenentur pro rata ſolventi reſtituere. Leſſius. Requiritur tamen maius damnum in rebus ultroneis, ut eſt in vinea ad conſtituendum peccatum mortale. Ego tamen cum formidine hoc aſſero, propter periculum

gra-

grauiſſimi damni dominorum, ſtante hac ſententia, quæ certè debet cáutè intelligi. *Pro* praxi.

11 Ut debitæ fiant interrogationes, peccatur contra hoc præceptum furando rem alienam, iniuſtè retinendo, vel iubendo, conſulendo, cooperando furanti, non ſolvendo debita, cum poſſint, vel ſolvere differendo, præſertim ſi creditor ægrè ſentiat dilationem, ſeù damnum, & incommodum patiatur; Rapiendo vi rem alienam, inducendo metu, dolo, vi, aliquem ad aſſentiendum contractui oneroſo, ſeu damnoſo. Damnata eſt enim hæc propoſitio 39. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati*.

Peccant pariter contra hoc præceptum, qui rem propriam, aut illis debitam, cum ſit apud alterum clam ſurripiunt, cum poſſint alia via illam commodè recuperare, & prçcipuè ſi ex hoc oriatur aliquod ſcandalum, & poſſit innocens inculpari.

Qui promiſſionem ſeriò factam, & acceptatam non adimplet, ſi ſit de re notabili. Hæredes, & executores teſtamentarij, qui debita defuncti, tempore debito non ſolvunt; Qui emunt rem furtivam, vel dubitant eſſe furtiuam, niſi emant ad eam reſtituendam domino proprio. Vide de hoc Reſolutum meũ *in* 4. *diſt.* 22 *art.* 1. Qui ſeruis, operarijs mercedem debitam non ſolvunt, uel nimis differunt, & eo magis peccant ex dilatioue, quo maius ſequitur damnum. Qui utitur in ludis, fraude, uel dolo, uel ludunt res alienas, ſeù neceſſarias familiæ. Qui ludis prohibitis notabilem pecuniæ quantitatem exponunt, præſertim ſi ſint Religioſi. Vide Lezanam, Bacconem meum

meum Reſolutum locis citatis. Qui uſuras exigunt. *Uſura eſt lucrum principaliter ex mutuo proveniens*, quæ quia uariè palliatur, uidendi ſunt Auctores. Omnes iſti fures ſunt, & furum ſocij. Ex dictis multa colliget ad praxim prudens Confeſſarius. De reſtitutione etiam uide *de Iuſt. & Iure* noſtrum Gabrielem à S. Vincentio, & Colleg. Salmat. &c.

Chriſtiani captiui iniuſtè ab infidelibus detenti poſſunt à Dominis ſurripere omnia neceſſaria ad cōpenſanda damna ex ipſa captiuitate ſequuta, hoc nota pro praxi: & uide quæ diximus ſupra de reſtitutione.

ART. VIII.

De Octavo Decalogi Præcepto.

Non loqueris contra Proximum tuum falſum Teſtimonium.

1 HOc præcepto prohibetur non ſolùm iniuſtitia, quæ committitur per falſum teſtimonium, ſed etiam quæcumque alia, quæ proximo irrogatur extra Iudicialis u. g. per detractionem, contumeliam, Iudicium temerarium, quæ ſolet, ut plurimum cum mendacio committi. Sed quia de iſtis aliqua tetigimus, ideo hic pauca tangam.

2 Mendacium, ut docet S. Auguſtinus *lib.* 1. cōtra mendacium. *Eſt enunciatio falſa cum voluntate ad fal-*

fallendum prolata. Et in Enchiridion cap. 22. *ille mentitur, qui contra id quod animo ſentit loquitur voluntate fallendi*. Undè qui falſum dicit putans eſse uerum, *iudicandus eſt* dicit idem Auguſtinus *non mentiri, quoniam quantum in ipſo eſt*, *non fallit ille ſed fallitur*. Doctor meus Io. de Baccone Reſolut. *in* 4 *diſt.* 38. *q. unica art.* 1. tradit mendacij definitionem, quæ in eſſentialibus ab allata non differt. *Mendacium*, dicit ipſe, *eſt falſa vocis ſignificatio*, *cum intentione fallendi*. Et benè dicit, quod ad rationem completam mendacij duo concurrunt, unum formale, ſcilicet intentio dicendi falſum, & unum materiale, ſcilicet falſa uocis ſignificatio. Undè mentiri ſecundum eſſe materiale, non eſt contra mentem ire. Mentiri tamen ſecundum eſſe formale eſt contra mentem ire. Qui dicit ergo uerum, quod credit eſſe falſum mentitur formaliter, dicens autem falſum credens eſse uerum mentitur materialiter: Dicens uerò falſum credens eſse falſum, de quo eſt citata deſcriptio mendacij, mentitur formaliter, & materialiter.

3 Mendacium ergo eſt intrinſecè malum, nec ullo modo poteſt excuſari à peccato, niſi ignorantia inuincibilis ſuaderet alicui, dicendum eſse mendacium, u.g. ad tuendam uitam, ſeù honorem proximi. Ex grauitate tamen, & paruitate materiæ, & damni illati. Mendacium pernicioſum, erit peccatum ueniale, ſeu mortale. Doctor meus Reſolutus *art.* 2. dicit quod mendacium (ſicut cætera uitia ſuo modo) ſecũdum propriam rationem ſui, in quantum ueritati opponitur, diuiditur in mendacium per exceſsum, & hoc pertinet ad iactantiam, & in mendacium per defectum, quod deficit à ueritate in minus, & pertinet ad

ironiam patet *ex* 4.*Ethic.cap.*14.Inſuper mendacium ſecundùm rationem culpæ gravioris, ſeù minus gravis,dividitur in pernicioſum,iocoſum, & officioſum, & hoc modo dividitur ex parte finis intenti. Si enim per mendacium intendatur nocumentum alicuius eſt pernicioſum; ſi intendatur alquod bonum, aut illud eſt delectabile, & tunc eſt mendacium iocoſum,nam fit cauſa placendi, vel illud bonum eſt utile, & ſic eſt mendacium officioſum, per quod intenditur iuvamentum alicuius, vel remotio nocumenti; Affert alias diſtinctiones pulchras, & omninò videndas.

4 Mendacium iocoſum, & officioſum ſunt venialia peccata, ſed per accidens poſſunt ratione ſcãdali fieri mortalia. v.g. Si Sacerdos ſæpè mentiatur coram alijs, qui de ipſo poſſunt ſcandali occaſionem arripere, & ſic poſſunt conciliari, quæ affert idem Doctor *art*.3.§.2.

5 Hic pro praxi notet Confeſſarius, quod qui ſcit crimen grave, quod vertit in detrimentum Reipublicæ, ſi illud delictum poteſt probare, tenetur accuſare Reum; aut illum iudicialiter denunciare,ſi non eſt emendatus; & ſi eſt emendatus, ſi iuridicè interrogetur tenetur verum fateri: Non tamen eum accuſare, & denunciare. Non loquor de denunciationibus faciendis in S.Officio, nàm ſemper tenemur denunciare, etiam ſi delicta de Hæreſi ſuſpecta, ſint emendata, & ea probare non poſſimus.

6 Obſervo etiam cum Toleto *lib*.5.*cap*.57. Quod qui ſcit aliquod crimen, ex quo grave nocumentum alicui imminet,ut v. g. Scio Petrum mortem moliri Franciſco, teneor,niſi poſſim impedire homicidium per correctionem fraternam, denunciare Iudici de-

li-

ctum, aut illi cui parantur inſidiæ, ut ſe cuſtodiat, non tamen manifeſtare perſonam, nam hoc eſſet cõtra charitatem; ſed omnia ſunt facienda matura, & prudenti conſideratione, ne ſcandala oriantur. Ad hoc tamen ut denunciatio, ſeù accuſatio vacet omni culpa, debet eſſe omninò iuſta, ſine mendacijs, calumnijs, & debet procedere ex intentione iuſta, nõ ex odio, ira, paſſione, &c.

7 Quod ſpectat ad Teſtes: quando à Iudice interrogantur ſecundum ordinem Iuris, obligantur ad ſincerè ferendum teſtimonium, & ad crimen declarandum, ſicuti commiſſum fuit. S.Thom.*q*.70.*art*.1. & eſt communis. Excipiuntur Confeſſarij ſemper, & quacumque ex cauſa ex notitia Confeſſionis. Clerici in cauſa mortis, ſeù mutilationis. Inſuper Medici, Advocati, Obſtetrices, qui ſciunt ſub ſecreto naturali, & cauſa petendi conſilium; niſi tamen eſſet neceſſarium eorum teſtimonium, ad avertendum damnum publicum, aut privatum, tunc enim quælibet promiſſio, etiam firmata iuramento non obligat, nã cederet in damnum iniuſtum alterius. Pariter non tenentur Teſtes fateri veritatem, quando Iudex procedit per viam inquiſitionis generalis; ad cognoſcẽda, & punienda delicta, quando delictum eſt omninò occultum. Vide Leſſium hìc; Lezanam. *V. Teſtes quoad Regulares. Ad quid tenentur falſi Teſtes?*

8 Quod pertinet ad Reum iſte ſi legitimè ſecundum formam iuris interrogatur, tenetur verum fateri, etiam ſi certò ſe ſciat moriendum; ſi poſtea Iudex non ſit legitimus, ſi infamia de crimine non præceſſit; nec ſit ſemiplena probatio, nec adſint indicia ſufficientia, non tenetur veritatem dicere, ſed ali-

quo

quo modo,ut diximus, non mentiendo tegere veritatem, & vocatur opinio probabilior. Quare a fortiori non tenetur tunc complices revelare, niſi infamia eorum præceſſerit, ideſt niſi ex fama ſciatur illum complices habuiſſe, vel quando crimen ex ſua natura ſocios requirit, ut v.g. in adulterio.

Sunt tamen aliqui Doctores, ut Angelus, Sylveſter, Armilla verbo (delicti confeſſio) Roſella verb. [accuſatus] Panormitanus *cap.2.de Confeſſione* Peſantius *in 2.2.qu.70.diſp.unica in fin.* quorum ſententiam. Bonacc.hìc *diſp.10.q.3.puncto 2.nu.7.* Probabilem exiſtimat dicentium, quod Reus non eſt obligatus ad confitendum crimen morte, aut mutilatione puniēdum, ſi ſciat quod plenè probari non poſſit: Ut verùm fatear hæc opinio in praxi videtur tenēda, quādo Reus non eſt paratus ad fatendam veritatem: Nā ego expertus ſum, Reos difficulter ſequi primam opinionem, & tunc ſi illis ſuaderetur exponerentur peccato potiùs quàm confeſſioni, ob mortis, & mutilationis naturalem timorem, Quare prudenter in tali caſu ſe gerat Confeſſarius, ne Reo etiam ingerat ſuſpicionem ſui, cum eius periculo ſalutis, nàm videtur opinio verè probabilis.

Sed an expediat ex hoc auferre iuramentum à talibus Reis, ne exponantur periculo committendi periurium?

Dicendum non adeſſe talem neceſſitatem imputet reus ſuæ malitiæ ſi committat periurium. Iuſtè, & ad bonum publicum præſtatur iuramentum, & ille poteſt cum veritate reſpondere. Periculum vitæ in quo propria malitia ſe poſuit, poſponendum eſt animæ ſaluti. Sic eſt praxis Sacræ Inquiſitionis, quæ multum me movet, & per tot Annos S.Matris Ec-

cleſiæ, ſemper vigilantis ad ea quæ pertinent ad dirigendas conſcientias fidelium. Uſus præterea antiqui teſtamenti,& Dei præcepta circa hoc. Vide Cõſultationẽ Illuſtriſs.Marchionis Bottini Lucẽſis Patritij, viri doctiſſimi, qui me citato,hanc partẽ egregiè Romę ſuſtinuit. Utatur tunc Reus æquivocatione dum ſcit crimen ſuum perfectè probari non poſſe. Me tamen humillimè remitto iudicio infallibili S. Sedis. Videantur quæ dico de Secundo Præcepto Decalogi, referens damnatam propoſitionem ſuper hoc. Sed obiter.

9 Quæres. An Iudex debeat iudicare ſecundum allegata, & probata? Caſus eſt v. g. Pone dicit Doctor meus Reſolutus *in* 4.*diſt*.1.*art*.2. Quod contra Ioãnem ſit ſecundum iuris formam probatum, quod Ioannes in capite Decembris furatus ſit decem Lõdini, & Iudex ſcit, quod tunc fuit Romę; Si Iudex condemnet eum, ædificat ad Gehennam, quia facit contra conſcientiam. Si liberet eum facit contra Iuſtitiam, & videtur quod utroque modo peccet, cum non poſſit vitare errorem. Quid ergo dicendum?

Prima opinio eſt plurimorum Canoniſtarum aſſerentium, quod Iudex debet iudicare ſecundum allegata, & citant Canones: apud Bacconem eos vide. Alij reſpondent,ut in Baccone; quod Iudex habet conſcientiam, ut Homo,& ut Iudex, & ut talis debet ſequi conſcientiam Iudicialem. Doctor meus confutat hanc diſtinctionem, & vult quod debeat iudicare ſecundum veritatem; nam poteſtas iudicialis à Deo eſt, & debet eam ſequi ſecundum veritatem, ad peccatnm vitandum. Iudex eſt enim Dei Miniſter in bono. Vide ipſum §.2.§.3.§.4 §.5.& non pigebit.

Qua-

Quare ſi Innocens probetur iuridicè Reus, tenetur eum liberare ſi poteſt, impediendo v. g. accuſationem, multoties examinando Teſtes, aperiendo carcerem, ſi poteſt ſine gravi damno. Et ego dico adeundo Superiorem, eum monendo de veritate. Leſſius *lib.2.cap.29.d.*10.*V.Iudex* Petrus Navarr. Bonac. *diſt.*10.*qu.*2 *par.*2.*nu.*3. Fill. Tolet. de Lugo *diſt.* 37.ſ. 4. Et ſi totum non prodeſt, debet deſerere munus iudicandi. Navarr *lib.3.c.3. de reſtit.num.* 152. & 160. Occidere enim Innocentem eſt intrinſecè malum. E contra, ſi Iudex ſciat aliquem eſſe nocentem, & non probetur Reus iuridicè, non poteſt illum condemnare, nam iudicat ut perſona publica, quæ requirit actus iuridicè, præſertim in favorem rei. Bonac. *diſt.* 10.*q.*2.*par.*2. Sed.

10 Quæres quid dicendum in cauſis criminalibus Minoribus, & Civilibus?

Dicendum tunc Iudicem debere iudicare ſecundū allegata, & probata.

Aliòquin forma publicorum iudiciorum cum ſcādalo everteretur. Laym. *cap.*2.*n.*8. & innocens per appellationem poteſt in integrum reſtitui, & Reſpublica habet poteſtatem in bona ſuorum Civium, quādo bonum publicum id requirit, tu applica, &c

11 Nota, quod damnata eſt hæc propoſitio ſub Innoc. XI. quę in ordine eſt ſecunda. *Probabiliter exiſtimo Iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.*

Quia hìc ab Auctoribus ſolet tractari de iudicio temerario; aliqua ſcitu digna adnotabo. igitur.

12 Nomine iudicij temerarij accipimus actum intellectus, quo aliquis particularis de altero aliquid

iu-

iudicat,ſtatuit,& decernit ex levibus indicijs, nàm ſi ex iuſtis, & ſufficientibus indicijs iudicat, non eſt iudicium temerarium, ſed rationi conſonum. Colleg. Salm *tract.* 13. *de reſt. punct.* 7. In hoc iudicio ſunt tres gradus. Primus eſt dubius, qui in neutram partem inclinat. Secundus eſt ſuſpicio, quando cum debili aſſenſu ſuſpicatur cum formidine oppoſiti. Tertius eſt aſſenſus plenus, iudicans cum firma animi ſententia, aliquid ita eſſe. Hoc præmiſſo.

Quæres quid ſentiendum?

13 Dicendum dubitare, ſuſpicari, iudicare aliquid de proximo eſſe rem indifferentem in genere moris, quæ mala, aut bona poteſt eſſe. Nolite dixit Chriſtus. Ioann. 1. *iudicare ſecundum faciem, ſed rectum iudicium iudicate.* Et licitum eſt dubitare, ſuſpicari, & iudicare malum de Proximo, quando adſunt cauſæ ſufficientes. Axorius *tom.* 3. Laym. *lia.* 1. *de Iuſt. tract.* 3. *par.* 2. *cap.* 2. Colleg. Salm. & eſt cõmunis. Requiruntur tamen maiora indicia ad ſuſpicandum, quã ad dubitandum, & adhuc maiora ad iudicandum: Undè conſiderata condictione, & qualitate perſonę & alijs circumſtantijs, licet dubitare, ſuſpicari, & iudicare, præcipuè quando utilitas propria, ſeù aliena id poſtulat: ſed cum valdè ſint dubia indicia, pręcipuè de interna intentione, ideò non debemus ſervum alienum iudicare, ne noſmetipſos condemnemus. Vide Coll. Salm. ubi ſupra.

Quęres 1. quod nam peccatum ſit Iudicium temerarium?

14 Dicendum eſſe mortale ſi deliberatè, & advertenter iudicetur aliquod malũ de proximo, quod eius famam notabiliter lædat, & fiat ex levibus, &

inſufficientibus ractionibus, aut indicijs. N*olite iudicare, & non iudicabimini* Lucæ 6. ſic enim exponit S. Auguſtin.*lib.2.de Serm.Dom.in Monte cap.*18. Si autẽ non lędatur notabiliter fama, erit veniale. Certè ſi quis de Prælato, de probro Miniſtro, ductus levibus indicijs, iudicet eum eſſe venalem, iniuſtum, aut grave commiſiſſe delictum, & hoc deliberatè, & advertenter, mortaliter peccabit.

15 Quæres tamen 2. Quando dentur indicia ſufficientia, ad hoc, ut iudicium non ſit temerarium, nec peccaminoſum?

Dicendum cum Salmaticenſi noſtro, & communiori, hoc relinquendum eſſe arbitrio viri prudentis: penſatis circumſtantijs, temporis, loci, & Perſonæ.

Video aliquem ſecretò aſcendere ſcalam ad ingrediendum domum alterius, iudico aſcendere ad malum finem, niſi aliud ſit in contrarium, iudicium non eſt temerarium, nec peccaminoſum. Video in obſcuro Iuvenem amplectentem puellam, non temere iudico, ſi credo illum laſcivè peccare. Iudico Petrũ committere furtum, quia eſt ſolitus delinquere, & habeo alia adminicula, non temere iudico. Credo de viro ſuſpecto, aliquod delictũ, ob auctoritatẽ viri pru probi, & prudẽtis, id teſtificantis, temerè non iudico.

16 Quæres 3. An ea quæ neſcimus quo animo fiant, debeant in meliorem partem interpretari?

Dicendum affirmativè, ſi ſint in utramque partem indicia ęqualia. Hoc enim exigit Charitas, & Pietas Chriſtiana. Charitas enim non cogitat malum; Si tamen dubitetur de aliquo malo ſequuturo. Leſs. *cap.*24.*dub.*4. hìc monet tutiùs eſſe ĩterpretari in par-

tem

tem deteriorem,non quidem iudicando ſuum proximum eſse v.g.Furem,aut improbum, & pro tali habendum, ſed ſibi cavendo, vel alteri conſulendo,ut caveat, ac ſi eius fama eſset dubia. Sic Superiores de Subditis, Domini de Servis poſsunt iudicare;prudenter, tamen,& cautè.

17 Nota etiam pro communi regula. Quod ſi tuũ iudicium habet magnam probabilitatem, licèt non omninò ſufficientem ad certitudinem, excuſaris à mortali. Ratio eſt quia moralis certitudo, & magna probabilitas non ita diſtant, ut videatur gravis iniuria iudicare certum, quod eſt valdè probabile: præcipuè adiunctis, & penſatis iam recenſitis circumſtantijs.

18 Inſuper ſuſpicio, & dubitatio temeraria ex genere ſuo videntur eſse peccata venialia,præſertim ſi intellectus apprehendat indicia,ut ſufficientia.Leſſius *liq.2.cap.29diſt.* 3.Si tamen ex malevolentia, & odio, in ſuſpicione voluntaria aliquis perſiſteret, peccaret mortaliter; procederet enim ex contemptu alterius.

19 Pro praxi in faciendis interrogationibus.Peccatur contra hoc octavum Decalogi Præceptum. Mendacium deliberatè proferendo. Simulando per hypocriſim ſanctitatem, & ſi ex hoc ſequatur proximi damnum, ut perverſio in ſide, & moribus,erit gravius,& diligenter conſiderandum; peccant. Qui Iudicis officium ſibi arrogant ſine debita auctoritate, qui illud ſine debita ſcientia ambiunt. Qui non ſervant in eſsentialibus formam iuris; qui ſine debitis indicijs interrogant, & inquirunt. Qui differunt ſententias, vel iniuſtè proferunt avaritia, ſeù alio

malo affectu. Qui non revelant crimina pernicioſa publico, dummodo ſine magno incommodo poſſint. Peccant pariter qui lites iniuſtas movent, & iniuſtè defendunt. Qui ritè examinati non reſpondent, ut tenentur; qui legibus, & ſententijs legitimis reſiſtũt, & inferunt vim Iuſtitiæ. Qui lædunt famam proximi. Qui revelant occulta delicta. Qui ea exprobant. Qui falſa crimina imponunt. Qui non laudant, ut tenentur, bona opera proximi, ex quo famæ patiatur detrimentum. Qui alios inducunt ad detrahendum, & lædendũ famã proximi, quovis modo, ſivè verbis, ſivè ſcriptis. Et tandẽ qui determinatè, & temerè iudicant malum de Proximo, opinantur, ſuſpicantur, ſeù actiones eius ſiniſtrè interpretantur.

ART. VLTIM.

De Nono, & Decimo Præcepto Decalogi

Non concupiſces Uxorem Proximi tui,
Non Domum, non Agrum, & univerſa, quæ illius ſunt.

1 HIc Deus explicitè præcipit ad differentiã humanarum legum, internam animi puritatẽ, ex qua remotiores erimus ad committenda furta, adulteria prohibita *in* 6. *&* 7. pręcepto. Undè hìc pariter prohibentur prava, & inordinata deſideria, ſi ani-

nimo foveantur determinato: Undè nobis non eſt interdicta vis concupiſcendi, quæ nobis indita eſt à natura, ſed malè, & contra rationem concupiſcendi. Qui enim concupiſcit Uxorẽ alterius per pacta Spõſalium, ſeù luxurioſè, illicitè, & contra rectam rationem concupiſcit. Similiter qui inordinatè intendit lucrum, v.g. ex aleis, ex litibus, ex mercimonia, ex bello, ex medicina, optando morbos, penuriam, ut magis lucretur, & charius vendat, inordinatè cõcupiſcit.

2 Pro praxi nota, quod deſiderium abſolutum, ſivè cogitatio, cum voluntate abſolutè in peccatum mortale conſentiente, ut committendum, ſeù in cõmiſſo complacente, eſt peccatum mortale eiuſdem ſpeciei, quem habet actus exterior in quem fertur. Nam actus interior habet ſuam malitiam, aut bonitatem ab actu externo tamquam ab obiecto; Et veniale erit peccatum ſi de veniali ſit deſiderium, ſeù complacentia.

3 In ijs rebus, quæ ſunt prohibitæ ſolo iure poſitivo, eſt licitum deſiderium cum hac conditione, ſi prohibitum non eſſet, v.*g.* ederem carnes hodie, ſi Eccleſia non prohibuiſſet: nam iſta conditio aufert malitiam, quæ tantum eſt à prohibitione. Vaſquez *d.* 116.*cap.* 2. Idem dicendum de rebus prohibitis iure naturali, quę licitè ſunt in aliquo caſu, v. g. ducerem Uxorem ſi non eſſem Sacerdos; Sunt tamen iſta deſideria periculoſa, & vitanda. Sa *V. Peccatum.* De prohibitis tamen iure naturæ, & ſimpliciter, v.g. ſi non eſſet peccatum fornicarer, cum ſint intrinſecè mala, cum adeſt efficax deſiderium, probabilius aſſerendũ eſt non licere. Azor.

QVÆST. XVII.

De Præceptis Eccleſiæ.

Articulus Vnicus.

1 DEbet etiam Confeſſarius habere notitiam de Eccleſiæ Præceptis, quæ communiter quĩque numerantur. Sed quia ſufficienter de illis ſub diverſis titulis loquuti ſumus, breviter hoc unico articulò, aliqua circa duo præcepta adnotabo. Sed primò ſciatis, quod præcepta Eccleſiaſtica non obligant, ut dici ſolet cum tanto onere ex benignitate S. Matris Eccleſię: non vult enim tibi præcipere, ut audias Sacrum cum periculo vitæ, aut gravis damni. Undè ſi Caius tibi minaretur mortem; niſi die vetito ederes carnem, potes edere, dummodo tamen traſgreſſio illius præcepti non verteret in contemptum fidei; in tali enim caſu iure Divino, teneris potius mortem ſubire, quàm pręceptum confeſſionis fidei violare.

2 Adnotabo igitur primò circa ieiunium, quod ex præcepto Eccleſiæ obligat ſub mortali, Quod tria requiruntur ad ieiunium. Primum, Abſtinentia à carnibus, & lacticinijs, ubi de lacticinijs non adeſt privilegium, aut legittima conſuetudo. Secundum. Unica

nica refectio in die, & ex indulgentia Eccleſiæ, ſerò collatiuncula propter corporum debilitatem. Tertiũ tempus refectionis, quod nũc eſt circa meridiem, quid quid fuerit primis temporibus, uſus enim, & conſuetudo ſic prævaluit, & tempus anticipare veniale eſt, ut docet Toletus, Fill. cum non violetur ſubſtantia præcepti, ſed circumſtantia. Intellige dumodo aliũdè non fieret mortale ratione, v. g. ſcandali, ſeù contemptus.

3 Differre prandium ad veſperam, ſi antea nihil ſumas laudabile eſt: ſi differas, & aliquid antea ſumas rationabili de cauſa, ut v. g. ſtudij, negocij, itineris, nullum erit peccatum: ſi ſine cauſa erit veniale tantum, cum non violetur ſubſtantia præcepti: ducere tamen hoc in conſuetudinem contra praxim Eccleſiæ, valdè ſaltem periculoſum exiſtimarem, niſi adeſſet cauſa valdè rationabilis, & iuſta.

4 Quoties aliquis veſcitur cibis vetitis, toties peccat, nam præceptum non conſiſtit in indiviſibili, & eſt negativum: ſi tamen ieiunium multoties frangitur, edendo v. g. piſces, unum tantum peccatum committitur, nam præceptum ieiunij eſt indiviſibile, & ſemel fractum amplius non obligat. Circa quantitatem commeſtibilium in refectiuncula, communiter aſſignatur quarta, vel quinta pars integræ cænæ, ſic deciſum in celebri Academia Theologorum, Teſte Filliuc. *tom. 2. §. 57. p. 2. c. 2. q. 7. n.* 33. In Cæna Domini, *&* in vigilia Nativitatis plus permittitur, ratione magnæ ſolemnitatis, dummodo ſint res, quæ illis temporibus ſolent fieri ob lætitiam v. g. ex amigdalis, & zaccaro, & quæ in cænula communiter edũtur ab ijs, qui ſolent rectè obſervare ieiunium.

Propria cuiuſcumque conſcientia debet eſſe regula propriæ operationis, De conſcientia vide latè P. Magiſtrum noſtrum Lao, qui fuit etiam celeberrimus concionator. quare attento ſtomaci calore, diuturno ieiunio nempè Quadrageſimali, melius eſt aliquid indulgere, ut perseveranter obſervetur Quadrageſima, quàm nimis ſcrupulizzando frangatur poſtea, & ieiunium, & Quadrageſima. Hoc ſemper in praxi ſuaderem.

5 Sciant Medici, quod qui poteſt lacticinijs perficere præceptum, non debet comedere carnes, & qui carnes comedit, ſi poteſt tribus, vel duobus diebus in hebdommada ieiunare, & à carnibus abſtinere tenetur, quare cautè procedant in ſuis atteſtationibus. Qui veſcit carnes in Quadrageſima non ob debilitatem, ſed ob nauſeam, vel ob nocumentum ciborum an teneatur ad ieiunium? lis eſt ſub Iudice, tutius eſt illud obſervare, ſecundùm conſilium tamẽ Medicorum.

Præceptum enim eſt diviſibile, & qui poteſt debet partem adimplere, & non frangere totum.

6 Excuſantur a ieiunio, qui malè nutriuntur in prandio; ut pauperes, undè in ſecunda refetiuncula poſſunt plus ſumere, & aliquando inſpectis circumſtantijs, laboribus, poſſunt comedere ad ſatietatem. Item Senex ſexagenarij etiam anno non completo, licet robuſti, nam vires in ſenibus ſunt illuſoriæ, & etiam antea ſi ſint debiles, & frigidi; Sed tamen de conſilio Medicorum. Sed hoc eſt præceptum, quod à multis nimis contemnitur, & tamen in ieiunio, fletu, & planctu, debemus peccata delere.

7 Igitur Confeſſarius prudẽter advertat, ut acta mo-

monitâ præbere poſsit. Multa Dæmonia, ide ſt peccatâ,non expelluntur,niſi in oratione,& ieiunio.Sub Alexandro VII.damnatæ fuerunt iſtæ propoſitiones in ordine.

29 *In die Ieiunij qui ſæpius modicum quid comedit, & ſi notabilem quantitatem in fine çomederit, non frangit ieiunium.*

30 *Omnes Officiales qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione ieiunij, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum ieiunio.*

31 *Excuſantur abſolutè à præcepto ieiunij omnes illi, qui iter agunt æquitando, utcumque iter agant, etiã ſi iter neceſſarium non ſit, & etiam ſi iter unius diei conficiant.*

Sunt claræ.

8 Doctor meus Reſolut.aſsignat alia genera Perſonarum, quæ non tenentur ad ieiunium *in 4.diſt.20. q.1.art.2.* Nota quod illi, qui non poſsunt ieiunare propter cauſas rationabiles, & cauſa eſt nota, præſertim ubi adeſt iſta couſuetudo, non tenentur petere diſpenſationem, ſi autem dubium ſit, an adſit iuſta cauſa tunc petenda eſt diſpẽſatio ab Epiſcopo, ſi comodè poſsit haberi, aliòquin ſufficit licentia proprij Sacerdotis.

9 Si quis media die,in qua cadit ieiunium ingrederetur annum vigeſimum ſecundum, & antea fregiſſet ieiunium, non tenetur illa die ieiunare, nam iã fractum eſt, & præceptum conſiſtit in indiviſibili. Naldus *verb.ætas num.* 3. Noſter Caſſianus à S.Elia *in ſua Arbor.*

Vide Lezan.verbo Ieiunium, præſertim de privilegijs Regularium circa ieiunium.

Notet pro praxi Confeſſarius, quod fideles ſi cupiunt ieiunium ſuum æterna mercede præmiandum, debent eſſe in gratia, cæterum tamen ſatisfaciunt præcepto, & facilius a Deo contritionis donum cõſequuntur &c.

10 Quod pertinet ad præceptum annuæ Confeſſionis, comunis eſt ſententia, quod non obligat determinatè in aliqua parte Anni *nam ĩ cap. omnis utriuſque ſexus de pęnit. & remiſſ.* non limitatur tẽpus, ſed dicitur, quod quilibet teneatur ſemel in Anno conſiteri, & ſic fatentur ferè omnes Doctores.

Verumtamen Azorius *lib.7.cap.*38.*q.*7.& alij pauci, ut videre eſt apud Salm. noſtrum, volunt, quod ex univerſali conſuetudine Eccleſiæ, iam legitimè præſcripta, teneantur fideles confiteri determinatè in Quadrageſima, & præſertim tempore Paſchatis. Quæ ſententia mihi videtur certiſſima, præſertim ubi in contrarium non adeſt explicita conſuetudo.

Favet huic opinioni Trident. ſtatim citandum *Seſſ.* 14.*cap.*5.*in fin.* Sed reſpondent Valentia, Henriquez, Vaſq. apud Dicaſt. *Diſp.6.dub.*8.*n.*119. talem conſuetudinem non habere vim legis, utpotè non introducta ex obligatione per ſe, ſed vel ex devotione, vel obligatione per accidens, ratione Paſchalis Communionis: Concilium utique laudare talem conſuetudinem, non tamen illud tempus determinare. Quibus non obſtantibus Azorio, alijſque paucis adhereo, qui dicunt talem conſuetudinem firmaſſe vim legis.

11 Quod conſuetudo poſſit firmare legem, certiſſimum eſt. S. Auguſt. *epiſt.*88. ad Caſulanum, hoc teſtatur, S. Thom. *par.*2.*q.*97.

Debet tamen conſuetudo ad hoc, ut habeat vim

le-

legis habere quinque conditiones. 1. Quod ſit rationabilis. Vide de hoc Doctorem meum P. eſolut. *in* 4. *diſt*. 7. 9. 4. qui dicit multa, ſed præcipuè, quod tunc eſt rationabilis, quando non obviat canonicis inſtitutis. 2. Quod ſit ex publica frequentatione actuum liberorum, ſeù eorum omiſſione. 3. quòd per longum tempus duret 4. Quod adſit Principis conſenſus, ſaltē tacitus 5. quod à Populo obſervetur, non ex motivo devotionis, ſed animo ſatisfaciendi legi, quaſi *ex* obligatione.

Tres primæ condictiones clarum eſt, quod in iſta conſuetudine reperiuntur, & tempore Sacri Concil. Trident. erant in uſu, ut patebit ex verbis Concilij mox citandi. Decemnium enim præſcribit contra legem Civilem, & Quadragenarium contra Eccleſiaſticam. 4. Quod adſit conſenſus, ne dum tacitus, ſed expreſſus Eccleſiaſtici Principis laudantis, imò, & approbantis, ex ipſo Concilio patebit. Quinta demum, interrogentur homines etiam, non rudes, & certè reſpondebunt confiteri ī Paſchate; ut adimpleant Eccleſiæ præceptum, & videmus in praxi etiam illos qui non ſumunt Euchariſtiam, vel ex defectu Annorum, ſeu ex aliqua iuſta cauſa adhuc confiteri, credentes tunc temporis ad hoc obligari. Parum ergo refert, quod ſit introducta per accidens, ſi tractu temporis fuit recæpta, ut obligatoria. Audiantur nunc verba Concil. ſeſſ. ſupra citata. *Vndè cum in univerſali Eccleſia, cum ingenti Animarum fructu fideliū, obſervatur mox ille ſalutaris confitendi ſacro illo, & maximè acceptabili tempore Quadrageſimæ: quem morem hæc Sancta Synodus maximè probat, & amplectitur*: *Nota ly amplectitur tamquam pium, & meritò retinendum*.

Nota

Nota etiam quod tempus Confeſſionis non aſſignatur ad finiendam obligationem, ſed ne ulterius prorogetur Confeſſio: quare qui tali tempore non confitetur, tenetur ſub mortali confiteri quam primum. Vide Azorium loco citato, qui alias affert tationes. Sed.

NE INUTILITER MULTIPLICENTUR QVÆSTIONES, ET ARTICULI.

12 Debet etiam ſcire Confeſſarius, quod uno actu poſſunt impleri diverſa præcepta, dummodo contrarium non conſtet de mente præcipientis. v. g. Quis obligatur ad horas Canonicas ratione ordinis, & beneficij, unica ſatisfacit recitatione. Cum Feſtum de præcetpo incidit in Dominica uno Sacro ſatisfacis. Secus ſi habeas votum dicendi Roſarium, & Confeſſarius iunxit in pænitentiam Roſarium, teneris recitare duo Roſaria, quia diverſa eſt mens voventis, & Confeſſarij, niſi ſe explicet in contrarium. Suarez. *tom.4.in 3 part..*

13 Pariter eodem tempore diverſis actibus poſſumus ſatisfacere duplici præcepto, dummodo unum non impediat alterum; Nam poteſt quis audire Sacrum, & legere horas. Qui autem uno actu violat diverſa præcepta, ſi præcepta ſint tantùm materialiter diverſa, & habeant motivum formale idem, & verſentur circa materiam numerò eamdem, cum ijsdem circumſtantijs committit unum peccatum: ſecus ſi ſint formaliter diverſa præcepta, ob motiva proxima diſtincta ſpecie, vel verſentur circa materiam numero diverſam, plura peccata committit, quia malitiæ, & obligationes ſunt diverſæ. Sanch. *lib.9.de mat.diſt.*15. v.g. Quis in Vigilia S. Matthiæ in Quadra-

drageſima frangit ieiunium, paritèr in eius Feſtivitate non audit Miſſam, cum cadat in die Dominicæ, in utroque caſu unum peccatum committit, quia in his præceptis unica eſt ratio formalis, & motivum proximum: in primo caſu carnis maceratio, in ſecundo Dei cultus. Qui autem violat votum, & iuramentum de eadem re, duplex peccatũ commitit: quia voti obſervatio præcipitur, ut fides in rebus promiſſis Deo ſervetur. Iuramentum autem, ne Deus vocetur in falſitatem: quare aperienda eſt hæc circumſtantia in Confeſſione.

14 Sciat etiam Confeſſarius, ut poſſit rectè iudicare. Quod peccata ſecundum ſe, & ex ſuo genere ſunt graviora, quanto magis cadunt ſuper materiam indebitam. v. g. Maius peccatum eſt blaſphemia: quia cadit in Dei irreverentiam, quàm contumelia in proximum; cęteris paribus. ſic. Doctor meus Reſolutus *in 3. Sent. diſt. 39. q. unica art.* 2. Per accidens autem ſunt graviora, quando 1. peccatur ex induſtria, & data opera, quam quando peccatur ex ignorantia, & quaſi inopinatè. 2. Magis etiam peccatur, quando quis ſcienter, & ſpontè peccat, excitando antecedenter ſe ad malum, quam qui metu, & violentia: E contra minus eſt delictum, quod cõmittitur vehementi animi perturbatione, ſeù antecedenti paſſione, quàm quod nullo impulſu ſenſus, & appetitus perpetratur. Sunt etiam maiora peccata, quando committuntur ob finem peiorem. v. g. Caius committit homicidium, ob finem privandi Rempublicã homine, illi maximè neceſſario, ut periclitetur.

15 Et quia in traſgreſsione præcepti, ut plurimũ datur parvitas materiæ, ut prudens Confeſsarius ſci-

at dignoſcere, quando ob parvitatem materię peccatum eſt veniale, pono hanc Regulam cum Baldello *tom.1.lib.3.Diſp.24.nu.13.*Si oriatur ratione obiecti per ſe prima, oppoſitio notabilis ad virtutẽ verſantem circa illud obiectum, tunc in tali traſgreſsione non datur parvitas materię. Si autem oriatur oppoſitio ad virtntem non ratione obiecti per ſe prima, neque gravis, neque levis, ſed fiat levis, ſeù gravis ex ratione obiecti per ſe ſecunda, tunc datur parvitas materiæ. Sit exemplum de furto: Ratio per ſe prima furti eſt, quod res ſit aliena, & ex hoc furtum eſt malum, ut ſic, & contra iuſtitiam ut ſic; Sed quod ſit notabiliter malum, habet ex ratione obiecti per ſe ſecunda, nempè quod res ablata ſit notabilis. In Hæreſi verò ex ratione per ſe prima, oritur notabilis oppoſitio ad virtutem fidei, ideò non datur in hæreſi parvitas materiæ, excuſans à mortali. Quare in iuramento aſſertorio, in ſollicitatione, fractione Sacramentalis Sigilli, in Blaſphemijs, in rebus venereis, in ieiunio naturali, requiſito ad Comunionem, in Anno Novitiatus, in ętate requiſita ad profeſſionem, ad Ordines, in Infidelitate, Magia, Sortilegijs, in eſſentialibus requiſitis ad Sacramenta, & Simonia, non datur parvitas materiæ ob rationem iam dictam, nam ſemper ex ratione obiecti per ſe prima in Simonia contemnitur ſpirituale, contra Merollam *tom.diſp.2.cap.4.dub.7.num.16.eamdem doctrinam applica in exemplis allatis.*

16 Sciat etiam Confeſſarius. Quod actuale peccatum, eſt actualis transgreſsio legis Divinæ. Peccatum habituale nihil aliud eſt, niſi actuale peccatũ, commiſsio cuius iam præterijt, ſed tamen moraliter per-

permanet. Maſtrius *in 2. diſp 6. n. 261*. Undè peccatum habituale, ut tale, non addit novam malitiam ſupra illam, quæ admiſſa fuit in commiſsione peccati actualis. Quod peccatum habituale conſiſtit in reatu culpæ, nondum retractatæ per pænitentiam, cum privatione gratiæ ſanctificantis.

17 Notet etiam, quod ſecundum aliquos peccata diſtinguntur numero dupliciter. 1. Ex diverſis obiectis totaliter, formaliter, & materialiter numero diſtinctis (non tamen materialiter, & phyſicè tãtum) 2. Per interruptionem moralem actionum.

Actns tamen moraliter interrumpitur, ut nec virtualiter, nec interprætativè dicatur manere per voluntatem contrariam, per ceſsationem liberam ab illo actu: An per ſomnum, ſivè diſtrationem interrumpatur, controvertitur.

18 Quare, quę ſolo animo perficiuntur, ut deſiderium vindictæ, delectatio venerea, &c. ſunt peccaminoſa, quoties renovatur actus internus peccaminoſus, deſiderij vindictę, v. g. aut moroſæ delectationis.

Peccata verò, quæ opere externo perficiũtur, multiplicantur ad multiplicationem actuum externorũ. Undè ſi quis in eadem nocte pluries fornicatur, plura peccata committit fornicationis.

19 Qui autem v. g. uno actu detractionis fertur in centum homines, & uno ictu occidit decem homines, vel vult omittere totum ieiunium Quadrageſimæ, unum peccatum committit, quia iſta diſtinctio numerica obiectorum, puta plurium hominum eſt tantũ materialis, & phyſica, ſed eſt una moraliter, & formaliter, quatenus hìc, & nunc uno actu coniũgi-

gitur, & intentio operantis reſpicit illa omnia per modum unius obiecti formalis, totalis, & adæquati. Sed quidquid ſit de hoc, quod meritò controvertitur, & ego nihil affirmo. Meus Confeſſarius ſciat debere totum exprimi in Confeſsione, & ſi dicatur unũ peccatum in tali caſu v.g. Detractionis iam dictę, æquivalet centum peccatis. Qnare rectum formet iudicium de ſtatu pænitentis, etiam in aſsignanda pænitentia.

20 Notet etiam, quod actiones externæ ad eũdem finem, & actum principalem relatę, non habent diſtinctam malitiam, ut oſcula, tactus in ordinẽ ad copulam, & etiam ſubſequentes, ſi ſunt tanquam complementa ipſius copulę; ſecus tamen habent, ut v.g. Si quis gloriaretur de facta fornicatione, eſſet diſtinctum peccatum, nam hæc gloriatio non conſequitur ex natura rei, à fornicatione. Unde reſolve.

Si quis emit arma, parat inſidias, arripit iter ad inimicum occidendum, tandem occidit, unum peccatum tantum committit, licet actus phyſicè multiplicentur. Gravius tamen. Qui in eadem pugna aliquem multoties percutit, vel iterato aliquem in eadem ira contumelijs afficit, unũm peccatum committit, ſecus ſi per intervalla convictiatur, aut percutit.

21 Sciat etiam meus Confeſſarius, quod effectus indirectè, in cauſa volitus tunc imputatur ad culpam, quando operans advertit periculum ſecuturi effectus per poſitionẽ illius cauſæ, & tamen ponit cauſam, nihil enim eſt volitum, quin præcognitum. v.g. Petrus ſe inebriat, & prævidet mala, quæ ſolet in ebrietate committere, mala ſunt volita in cauſa. Effectus verò qui rarò contingunt, nec fuerunt prævi-

ſi,

ſi ad culpam non imputantur. Sicut ebrietas Lot, & inceſtus eius, ſic enim eum excuſat D. Auguſtinus *lib.* 22. contra Fauſtum. E contra qui occidit Mulierem prægnantem ſcienter, & voluntariè, reus pariter eſt occiſionis Infantis. Sciebat enim Feminam eſse gravidam, poterat, & debebat prævidere mortem Infantis.

22 Quando autem actio licita eſt, & neceſsaria, ſeù utilis, licet effectus ſit pravus dummodo non intendatur, nec in eo habeatur complacentia, excuſat à peccato. v. g. Petrus æquitando patitur pollutiones, eas prævidet, non tenetur abſtinere ab equitatione, dummodo abſit periculum conſenſus: nam equitatio eſt rei utilis, nec ex natura ſua eſt cauſa talis fæditatis; Idem dic de eo qui moderatè comedit, & bibit, præter intentionem patitur pollutionem prævиſam, ſicut de eo, qui audit Confeſſiones, & patitur pollutionem, &c

23 Inſuper præter advertentiam illius effectus pravi ſecuturi, ad hoc ut imputetur operanti ad culpam veluti indirectè, & in cauſa voliti, adhuc tres requiruntur conditiones. 1. Quod Agens poſſit agere. 2. ut agendo poſſit illum pravum effectum impedire. 3. Ut teneatur agere D. Thom. 1. 2. *q. 6. art.* 3. eſt opinio communis. Prima conditio patet. Nam nemo in ijs, quæ vitare non poteſt peccat. Nemo enim poteſt ad impoſſibile obligari. *Regul. Iuris in* 6. 2. Cõditio patet: nam in tali omiſſione conſiſtit ratio voluntarij indirecti. 3. Conditio patet, nam ſi hoc non requireretur Deo [quod impijſſimum eſſet] imputarentur omnia peccata mundi, cum poſſit illa impedire, cum ad id ut Auctor naturæ faciendum, non teneatur.

 Sed

Sed pætes quando quis teneatur ad impediendam cauſam peccati?

Dicendum. Debere attendi ex varijs præceptis obligantibus, ut v.g. Iuſtitiæ, ſicut Prælati,& alij, qui ex officio tenentur, ſeù ex charitate, cum teneamur in multis caſibus proximo ſuccurrere, & ſic de alijs virtutibus.

Et peccatum commiſſionis, ſeù ommiſſionis indirectè volitum in cauſa, committitur in appoſitione liberæ cauſæ, vel impedimenti, qua poſita ſequitur peccatum [dummodo abſit impotentia impediendi peccatum] v. g. Caius porrigit venenum Titio, nec poteſt amplius impedire mortem Titij, in illa porrectione veneni commiſit peccatum homicidij, ſed ſi poſſet adhuc impedire mortem, & non impediret, ſemper continuaretur peccatũ, & in ipſa morte cõſumaretur. Idem dic de peccato omiſſionis, Petrus ſe inebriat ne audiat Miſſam, in ipſa ebrietate eſt volitum in cauſa peccatum, & tunc peccat, ſed ſi adſit adhuc libertas,& poteſtas Miſſam audiẽdi, finito tẽpore præcepti, conſumatur peccatum õmiſſionis externæ.

Sed dices tempore actualis inebriationis non obligabat præceptum audiendi Miſſam, ergo tunc non poterat quoad hoc committi peccatum.

Reſpondetur, quod præceptum obligabat ad non ponendum impedimentum, ſicuti nedum obligamur ad committendum homicidium, ſed etiã ad non ponendam probabilem cauſam homicidij, ſed ponamus caſum.

24 Caius porrigit venenum Titio Sacerdoti, nec poteſt amplius impedire mortem Titij, interim pæ-

nitentia ductus ante mortem ipſius Titij confitetur Sacerdoti approbato ſuum delictum, poteſt ne abſolvi, ſi Confeſſarius non habeat facultatem abſolvendi a Caſibus reſervatis? Inſuper Caius remanet ne excommunicatus? Et quando? Fit ne Irregularis? Circa homicidium, dico poſſe abſolvi [preſcindo pro nunc ab excommunicatione) nàm cum confitetur, non eſt completum homicidium, & cum moritur iam peccatum confeſſum eſt, iuxta quod diximus de caſibus reſervatis. In morte fit tamen Irregularis, quia commiſit homicidium. Circa excommunicationem dico, quod incurritur quando venenum incipit operari violēter in corpore Titij Sacerdotis, ſed mihi magis placeret, quod incurratur in ipſa porrectione veneni. Nàm, vere eſt actio iniuroſa, & violenta in Clericum, ſed ſtante opinione, quod incurratur excommunicatio quando venenum incipit operari in corpore Sacerdotis, ſi ille qui porrexit venenum, pænitentia ductus, facit quod poteſt ad impediendam mortem, & Deo reconciliatur, incurrit ne excommunicationem, & irregularitatem? Vide quæ diximus in ſimili caſu de mandante mortem, & revocante efficaciter, mandatum, licet ſequatur mors, quia mandatario non innotuit revocatio, ob fortuitum impedimentum *de excom. quid ſit excom. art.* 2. Et problemmatica opinio vocatur probabilis à Salmatic noſtro, & alijs *tract.* 30. *de cenſ. cap.* 1 *par.* 12. Sed ego re maturius conſiderata, ī praxi non conſulerem hanc ſententiam. Vide Caſtropal. *de Cenſur. tract.* 29. *diſp.* 3. *par.* 23. §. 2 Suar. *diſp.* 44. *de Irregul. ſect.* 3. *n.* 3.

25 Sciat etiam Confeſſarius, quod in dubijs an

quis habuerit perfectum conſenſum ſufficientem ad peccatum mortale, hæc debent obſervari. 1. Si homo advertens ad peccatum, quod faciliter perpetrari poſſet, tamen non committeret, eſt ut plurimum ſignum imperfecti conſenſus. 2. Si eſt vir timoratæ cõſcientiæ ſolitus peccatis diſſentire, pariter ſignum eſt imperfecti conſenſus. 3. *Si* vir timoratæ conſciētiæ dubitet de conſenſu, ſeù de ſua advertentia pariter etiam. &c. 4. Quando motus pravus repentè inſurgit, & voluntas eum expellere curavit, hæc ſigna enim ſunt imperfecti conſenſus.

Sed quia Confeſſarius non audit] Confeſſiones ſcientia divina, ſed peccata remittit auctoritate Divina, abſolvat peccatum eo modo, quo eſt apud Deum, monendo pænitentem, ut tale peccatum, ut dubiũ confiteatur.

QVIBVS PRÆLIBATIS PROGREDIAMUR NUNC PROPINQVIVS AD ALIQVAS INTERROGATIONES PARTICULARITER FACIENDAS, UT CLARIVS INTELLIGANTVR, QVAE ADNOTAVIMVS.

26 Primò. Accedit Prælatus habens curam Animarum. Sed hic prius notandum. Quod quia videtur quaſi communiter receptum, Confeſſarium teneri ſequi opinionem probabilem pænitentis, relicta propria probabiliori, & tutiori. Ut ſciat ergo meus Confeſſarius quid ſit dicendum circa hoc, ut cautè procedat circa opiniones probabiles iam allatas in hoc opere, & quæ illis poſſunt occurrere in Confeſſionibus. Dico quod hoc verùm eſt, quando opinio eſt verè probabilis, ſed quando Auctor propoſitionis nõ eſt omni exceptione maior. Quãdo ratio, qua

qua

opinio firmatur non eſt firma, nec ſatisfacit. Quando pauciſſimi docent illam opinionem, nec reddunt rationem, qua fulcitur. Quando pauci affirmant, & multi vocant eam improbabilem, vel parum tutam, aut illam eſſe reijciendam.

Quando datur aliquod principium certum, & dubitabatur an ei repugnet opinio, nec reperitur ratio convincens ad dubium deponendum. Quando ratio adducta eſt ſophiſtica, aut æquivoca; tunc opinio eſt dubiæ probabilitatis, ſeù tenuiter probabilis, imò inductiva ad errores, ut ex Baccone meo iam dixi. Ideò tũc non ſequenda, ſed quando opinio eſt verè probabilis, Tunc tàm Confeſſarius, quam pænitens poſſunt tutò ſequi illam.

27 AD HOC IGITVR, UT OPINIO SIT VERE' PROBABILIS SECUNDUM TUTIOREM SENTENTIAM.

QVAERES QVID REQVIRATUR?

*D*icendum. Relictis varijs dicendi modis relatis à gravibus Theologis, quod tunc propoſitio eſt verè probabilis, quando tam in intellectu operantis, quã in intellectu ſuorum Auctorum fuit adiudicata vera, poſt ſufficientem diſcuſſionem materiæ, ob aliquod motivum, quod movet magis ad unam, quàm ad aliam ſententiam prudenter ſequendam; & licet opinio ſemper ſit cum formidine contrariæ partis, requiritur quod iſta formido non ſit ita gravis, ut non poſſit contemni, ut ſcrupulus: Aliòquin operans exponeret ſe periculo peccandi mortaliter; ſi prudenter dubitaret de peccato mortali in ſua operatione, & tamen operaretur. Igitur non quæcumque opinio eſt verè probabilis, ſed illa, quæ habet pro ſe Au-

ctores claſſicos, & graves, qui diſputant de materia amore captandæ veritatis ex profeſſo, & moventur motivo inducente moralem certitudinem talis opinionis.

Damnata enim eſt ſub Innocentio XI. hæc propoſitio. *Omnis opinio probabilis, ſufficit ad ſecuritatem cõſcientiæ, modo à probabilitatis finibus non exeatur.* Vndè non quælibet opinio probabilis eſt ſequenda. Et cũ ſub Alexandro VIII. ſit damnata hęc alia propoſitio. *Nulla opinio probabilis ſufficit ad ſecuritatẽ conſcientiæ, modo intra limites opinionis probabilis contineatur.* Clarè igitur deducitur media via incedendum eſſe. Nẽpè opinionem verè probabilem admittendam eſſe; per quam propoſitionem, duæ damnatæ excluduntur. Vno verbo, tunc aliquis tutò ſequitur opinionẽ probabilem, quando inſpecta extrinſeca, & intrinſeca probabilitate, operans habet certitudinem moralem rectitudinis ſuæ operationis. Sed quod dolendum meæ ſenectuti, videtur quod nimis, & ultrò nimis aliqui Theologi noſtri temporis, recurrunt ad Scolaſticas ſpeculationes ĩ rebus moralibus, quæ tractu temporis, utinam mentiar, videbit Lector quid pârituri ſint.

28 Alij autem dicunt, quod opinio probabilis; quæ poteſt ſine peccato ſequi tàm à Confeſſore, relicta probabiliore, & tutiore, quam à quolibet (ſecluſa tamen omni iniuria, & periculo proximi) eſt illa, quę nititur gravi auctoritate, vel ratione non levis momenti, ita ut pro oppoſita parte nihil convincens ſit, nimirum, vel textus clarus, vel ratio evidens, tunc enim non eſſet probabilis. Ratio eſt quia non temerè, imò prudenter agit, qui ſequitur con-

conſilium virorum prudentum,& artis peritorum,licet ipſi operanti oppoſita ſentẽtia videatur ſpeculativè probabilior; cum adſit hæc regula certa, in qua fundatur iudicium praticè certum, quod in dubijs quiſque poſſit operari ſecundum ſententiam verè probabilem virorum Doctorum, neque tunc agitur contra conſcientiam, nec exponitur periculo peccandi formaliter, & tunc tenetur Cõfeſſarius ſequi opinionem probabilem pænitentis, relicta propria probabiliori,& tutiori,ſub peccato mortali abſolvendo eum, licet non ſit proprius Sacerdos, quia non operatur cum dubio, ſed cum regula certa, nempè *qui ſequitur opinionem verè probabilem prudenter operatur*. Non valet tamen hæc doctrina circa valorem Sacramentorum; nàm extra caſus neceſſitatis, quo ad hoc, ſemper eſt tenenda opinio probabilior, & tutior, ne fiat iniuria Sacramento. Adeſt enim propoſitio damnata ſub Innocentio XI. *quæ eſt prima in ordine circa hoc*. Ego tamen laudo primam opinionem; nàm tunc certè opinio eſt verè probabilis,magis tuta, nec nimis laxa, nec nimis rigoroſa. Dummodo Doctor non intelligat obligare ad ſequendam ſemper opinionem probabiliorem, ſaltem ſic putatam ab operante. Sed quocumque modo accipiatur in praxi eſt difficilis; requirit enim magnam peritiam in Confeſſoribus,& pænitentibus. Quare infinitis ſcrupulis viam patebit. Vnde Ioann.Baptiſta Gonet in Prologo diſertationis de opinionum probabilitate hæc habet.. *Aliqui enim conſcientias terrent. Iugum Chriſti nimis exaſperantes, & ita a medio deviantes, ut in morum directione omninò ab opinionibus abſtinendum putent. Sententiam om-*

nem quantumcumque probabilem à conſcientiæ Regulâ excludentes dummodo probabilitatis limites nõ excedat. Alij verò è contra ſub ſpecie pietatis nimis conſcientias laxant, ſtatuentes pro regula morum, quamcumque opinionem quomodolibet probabilem, quam aliqui Doctores defendunt, etiam ſi oppoſita ſit tutior, & manifeſtè probabilior, & quamvis ſimul concurrant in intellectu operantis, illeque exceſſus, ei manifeſtus appareat. expende lij manifeſtè probabilior, & verba ſequentia, unde tunc non eſt verè probabilis. Quarè cautè procedat Confeſſarius, & media via prudenter incedat, prçſertim, quando opiniones ſunt periculosç, & novitiæ. Vndè quando opinio Confeſſarij eſt in re probabilior, & communior inter Auctores claſſicos, & illam iudicat veram ob motiva urgentia ad talem aſſenſum, debet docere pænitentem de debilitate fundamenti ſuç opinionis, & ſi illam non vult deponere, tunc mala fide illam opinionem vult ſequi, cum non ſit verè probabilis,& cum tunc ſit in malo ſtatu, & indiſpoſitus, non debet aaſolvi: Sit Paroehus Cõfeſſor, ſeu quivis alius Sacerdos, cum in hoc pares ſint, quod non debẽt abſolvere indiſpoſitos pænitẽtes: nec Confeſſarius tunc prudenter poteſt deponere ſententiam ſuam; eſt enim Iudex, & Iudex non poteſt iudicare contra ſententiam, quam falſam iudicat: quare non tenetur credere pænitenti in quæſtione Iuris. v.g. an detur, vel non detur obligatio reſtituendi, ſed pænitens tenetur credere Confeſſario, præſertim quando doctior eſt Confeſſarius pænitente.

29 Quare ſtante hac ſententia verũ non eſt quod dicitur, quod Confeſſarius, quando videt pçnitentẽ

bona

bona fide procedere, & ſequi opinionem falſam, & improbabilem, debeat diſſimulare, & illum in ſua ignorantia relinquere, ſi dubitet an profutura ſit admonitio. v.g. Confeſſarius certò iudicat Caium teneri ad aliquam reſtitutiouem faciendam, ſed dubitat, an velit admonitus reſtituere, non tenetur illum admonere, ſed relinquere in fide ſua. Verum inquā, hoc non eſt; eſſet enim abſolvere indiſpoſitum; nam qui eſt in ſtatu, ut admonitus de obligatione paratus ſit non ſatisfacere, eſt in malo ſtatu. Excipe ſi de admonitione timerentur gravia ſcandala, ut in impedimento dirimente Matrimonium, tunc debet relinquere in bona fide, ſi tamen non petat à Confeſſario edoceri.

30 Quando verò penitens ſequitur opinionem verè probabilem debet abſolvi, quæ eſt illa, quę nititur fundamento verè probabili, fulcita auctoritate Doctorum ex profeſſo materiam tractantium, & non adſit in contrarium, textus clarus demonſtrans falſitatem propriæ opinionis, ſeù ratio evidens, nam tunc non eſset verè probabilis. Videatis tamen Auctores (nàm ut à promiſſa brevitate ne diſcederem hęc confusè adnotavi) præcipuè Reverendiſſimum P. Thyrſum Gonzalez Generalem digniſſimum Societatis Ieſu, & ſequimini eam ſententiam, quę vobis magis placet, dummodo ſit verè probabilis: nam hoc ſolùm quam libentiſſimè, & tutò affero, quòd ſemper opinio ſequenda a Confeſſario, & penitente, debet eſſe verè probabilis. Et cū Auguſtinus dicit tene certum, loquitur de pænitentia non differenda cum temporis incertitudine.

Accedit ergo Prælatus habens curam Animarum; & poſtquam dixit peccata vult interrogari, vel opu

gnitates dedit dignioribus, ſi ſuos immoderatè locupletavit, ſi reſederit in ſua Diæceſi, ſi ſuo tempore viſitaverit pręſtando omnia, quæ Tridentinum præcipit, an curaverit, quod cauſæ pauperum citò expedirentur; an fuerit nimis durus in concedendo licentiam abſolvendi à reſervatis, an ad ipſos confugientes benignè, & faciliter auſcultaverit, an ſollicitus fuerit ad munus ſuum in omnibus exequendum, ā curaverit in tota ſua Diæceſi, quod eſſent munda Altaria, & eorum ornamenta, præcipuè Sacerdotalia, & quæ ad Sanctiſſimum Chriſti Corpus pertinēt. Si congregavit Synodum ut præcipit Trident. Si Epiſcopus eſt Religioſus, an retinuerit Statuta Regulæ, quæ poteſt in tali ſtatu, Et ſi Epiſcopus cognoſcit ſe muneri ſuo non ſatisfacere, tenetur Epiſcopatum, petita licentia, relinquere. Pro Curatis, an ſua negligentia aliquis ſine Sacramentis diſceſſerit è vita, an ſuper ægros invigilaverit eos conſolando, an docuerit Doctrinam Chriſtianam, explicando populo myſteria fidei, & neceſſaria ad Sacramenta, ſaltem per alium, ſi iuxta cauſa detineretur; ſi oneribus Miſſæ ſatisfecerit, ſuo tempore eam applicando pro populo, an omiſerit executionem alicuius teſtamenti, an ſua culpa Eccleſię redditus perierint, an renovaverit ſuo tempore Sanctiſſ. Sacramentum. Quæ ultimę interrogationes præcipuè ſunt pro Curatis.

Fateor ingenuè, nimis durum videri tale onus imponere Confeſſarijs, ut omnia hæc memoriter ſciant; ſed ſatis ut confuſè, & in genere percipiant tales obligationes Pręlatorum, & Curatorum eſſe; & ſic de cæteris.

32 Accedit Princeps, & poſtquam dixit pecca-

ta

Caroli, vult interrogari de peccatis Cæſaris. Tu ergo interroga, an iuſto titulo poſſideat omnem partẽ ſui principatus; ſuppoſita tamen de hac aliqua dubietate: Alioquin certè meo videri cavendum ab hac interrogatione, teneretur enim in tali caſu reſtituere illam verò Domino, cum proventibus collectis, &c. & ſic tenerentur ſui gubernatores, & miniſtri, ſaltem in quibus facti eſſent ditiores ſi ſuiſſent bonæ fidei poſſeſſores.

Excipe Miniſtros illos qui [dato quocumque Prĩcipe) neceſſarij erant ob bonum Communitatis. Si intulit vim quocumque modo Eccleſiaſticis Perſonis aut Eccleſiarum Immunitati, ſine debita licentia. Si Eccleſiaſticas leges obſervare fecit. Si obedierit Cẽſuris. Si uſuras, aliaque peccata non tolerata, punivit. Si extraxit ſine licentia reos ſe recipientes in Eccleſia in Caſibus, in quibus non gaudent Immunitate, nam tunc poſſunt extrahi cum licentia Epiſcopi, & ſunt, Primò ſuſpecti de Hæreſi: Secundò Homicidæ, & mutilatores in Eccleſia, ſeù Cæmeterio, & nota quod delictum debet eſſe perpetratum in Eccleſia, ſeù Cęmeterio: undè qui ex Eccleſia emitteret ſagittam, & occideret hominem extra Eccleſiã, non eſſet privandus immunitate. Tertiò. Homicidæ proditorij actu conſumato ab ipſo homicida, & debet accedere ſimulata amicitia, cum quo non præceſſerit rixa, aut rancor, undè debuerit præcavere. Quartò. Aſſaſſini. Aſſaſſinium dicitur cum quis conducit aliquem ad occidendum, aut conductus mercede, aliquem occidit, abſente mandante. Quintò. Læſæ Maieſtatis criminoſi in perſonam Principis, & intellige de Principe Supremo, qui non cognoſcit

Su

Superiorem ſupra ſe in temporalibus, & compræhenduntur etiam Cardinales, quia faciunt unum corpus cum Pontifice. Sextò. Latrones publici, & graſſatores viarum publicarum effectu ſequuto, & non ſemel: nam non eſt publicus Latro, qui ſemel, aut iterum deprædatus eſt, ſicuti non eſt publica Meretrix, quæ ſemel, aut bis fornicata eſt. Septimò, & ultimò Depopulatores Agrorum tam nocturni, quam diurni. Incendiarij licet ſint ſimiles depopulatoribus non ſunt excludendi ab immunitate, quare quæ dicta ſunt de his delictis, non debent extendi ad alia delicta, etiam atrociora, quia odia reſtringi, non extendi debent. Vide hìc Dianam ob explicationem delictorum, quæ enumeravimus ſaltem in ſumma. *Verbo Immunitas Eccleſiarum*. Lezanam, Reſolutum meum, P. noſtrum Caſſianum a S. Elia, interroga inſuper an bona Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorũ, & Eccleſiaſticos vexaverit. Si res vetitas Turcis ſubminiſtraverit, ſeù in hoc auxilium dederit. Si in Maris lictore bona Chriſtianorum naufragantium ſurripuerit. Si in Beneficijs Eccleſiaſticis, in quibus habet Ius præſentandi præſentaverit perſonas idoneas, aut præſentavit recepta pecunia. Si impoſuit indebitè novas gabellas, ſeù pedagia, ſeù iniuſtas recepit. De Gabellis quando ſint iuſtæ, & fraudantes quando teneantur ad reſtitutionem vide Dianam in ſumma. Si ſecuritatem viarum curavit. Si imperitos, avaroſq; retinuit Miniſtros. Si omiſit Iuſtitiam facere. Si Põtifici, & Epiſcopo ſuo obtemperavit in ijs, in quibus tenetur, & ſi illum proſecutus eſt debito honore Si benignè audivit perſonas ad ſe recurrentes pro iuſtia, aut gratia. Si nimis crudelis fuit in puniendis delictis,

lictis, aut nimis lenis. Si fidem inimicis ſervavit. Si violavit pacta, & Privilegia Communitatum, & quare? Si ſe intromiſit in Teſtamentis, in Matrimonijs,& quomodo? Si leges tulit iniuſtas,aut nimis duras. Si Iudæos debitè gubernavit,& ſecundum ordinem S.Matris Eccleſiæ. Si fecit aliquid aviditate pecuniæ. Si toleravit pretia iniuſta rerum. Si nimis fuit delicatus in cibis, veſtibus, convivijs. Quomodo ſe geſſit cum pauperibus. Si præbuit bonum exemplum Subditis; grave enim eſt damnum mali exempli Superioris; & grave peccatum. *Multiplicata ſunt ſecundùm* hunc ſenſum aiebat David. *Peccata mea ſuper capillos capitis mei*: *Regis enī ad exēplū totus componitur orbis. Nec ſic infectere ſenſus humanos, edita valēt, quam vita regentum.* Si toleravit Comedias inhoneſtas. Si benè ſuam familiam moderavit ſecundùm Dei præcepta. Si damna proximi non prohibuit, ſi potuit, & in tali caſu teneretur ad reſtitutionem, nā illi incumbit ex iuſtitia. Si non impedivit peccata publica, & abuſus. Si contra voluntatem læſi condonavit iniurias. Si ſolverit debita. Si oppreſſit aliquem. Si habeat venatorias ſylvas cum notabili dāno ſubditorum. Si in bello acquiſivit aliquid iniuſtè. Quarè omiſſis alijs interrogationibus.

33 Sciatis quod Bellum eſt duplex. Defenſivum, & offenſivum. Defenſivum quando vix iniuſta repellitur, & ſemper licitum eſt, etiam auctoritate privata, ſi fiat cum moderamine inculpatæ tutelę. ſcilicet non inferendo maiorem vim, niſi neceſſariā ad arcendam vim inimicorum: Undè ſi poſſum arcere inimicum baculo, ſeù vulneratione, non licet illum occidere.

Bel-

Bellum verò offenſivum ad hoc, ut iuſtum ſit, tres requirit conditiones. Ut geratur auctoritate Principis, vel Magiſtratus nullum agnoſcentis Superiorem. 2. Quod fiat ex iuſta, & gravi cauſa. v. g. neceſſitas boni communis, quietis conſervandæ, defenſio Innocentium, recuperatio ablatorum, & 3 Ut fiat ex recta intentione, ſcilicet ex amore boni communis, quæ tamen conditio ſi ſola deſit, non adeſt debitum reſtitutionis; ſi cætera benè exequantur.

Subditi tamen non tenentur inquirere intentionē Principis, nec de ea iudicare, ſufficit enim, ut illis non conſtet manifeſtè de iniuſtitia belli: licet dubitē de ea.

34 Rex verò antequam aggrediatur bellum, debet eſſe certus de cauſa gravi, & iuſtitia belli. Undè debet habere doctos Conſiliarios, & poſtea Theologos conſulere, videre ne decipiatur; & poſtea facere quod faceret conſtitutus in mortis articulo. Præ cæteris obſervet, quod ſi cauſa belli eſt dubia, & alter Princeps ſit in poſſeſſione, non licet illi bellum facere, cum melior ſit conditio poſſidentis. Parit enī multa mala, & peccata bellum, & ſunt inexplicabilia; qnare cogitet ſe Regi ſummo redditurum rationem de omnibus. Fill. *tom.* 24. *cap.* 9. *q.* 4. Vide hìc Palaum, Dianam *par.* 6. *tom.* 4. *R.* 7. Doctorem meum Reſol. *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 4. qui quinque ad iuſtum bellum requirit. Nempè perſonam, nempe ut ſit *Se*cularis, rem, ut ſit pro rebus repetendis, ſeu pro defenſione iuſta, cauſam, cauſa nempe neceſſitas, animum, & auctoritatem, ibi vide quæ pulcrà dicit.

His habitis debet proponere bellum parti adverſæ, petendo ſatisfactionem, quam ſi offerat abſtinē-

dum

dum à Bello etiam ſi inceptum eſset. Videant ergo Confeſsarij Principum quomodo agendum ſit cum ipſis. Benè multi homines probi recuſarunt illis à Confeſsionibus eſse. Nota etiam pro praxi, quod Principes Catholici debent etiam abſtinere a bello iuſto, ſi ex eo oriatur ſcandalum, & ruina ſpiritualis multorum, ſeù detrimentum Eccleſiæ. Vide ſupra citatos Auctores. Hoc valde nota. Undè benè præcamur, Diſsipa gentes, quæ bella volunt.

35. 3. Accedit Eques, & poſt conſuetas interrogationes. Interroga an ſolverit debita, Salarium iuſtum Servis, & operarijs, legata pia, quomodo ſe geſsit in gubernanda Domo. An habeat inimicitias, an damnum alicui intulerit; An fecerit eleemoſynas debitas, tam corporales, quam ſpirituales, nempè correctionem fraternam, de quibus vide quæ diximus in 4. Decalogi Præcepto. Si propria munera inculpatę exequutus ſit, pręcipuè quæ pertinent ad bonum publicum. Si inferiores, & ſervos charitate tractaverit. Si invidia aliquem depreſserit. Si appetivit inordinatè dignitates; Si alijs detraxerit, ut ſe exaltaret; Si diſsipavit ſubſtantias in Mundi vanitatibus. Si rectè, & catholicè prolem educaverit, ei etiam bonum exemplum præbendo. Si Uxorem benè tractaverit. Si introduxerit vanos uſus in veſtibus &c. Si tempus conſumpſerit in Convivijs, Choreis, Commeſsationibus.

36 4. Accedit Hęreticus. Hic quæro quomodo Confeſsarius ſe gerere debeat cum Hæreticis pænitentibus, negativis, & relapsis. Debet ergo, interrogare Hæreticum pænitentem, an Hæreſis illius fuerit purè mentalis, nam tunc illa Hęreſis non habet

an

annexam excommunicationem Bullæ Cænæ Domini:Unde a quocumque Confeſſario poteſt abſolvi. Vide hìc Carenam de Officio *S*.Inquiſitionis.

Si dicat quod eius Hæreſis fuerit externa pro praxi ſcias,quod ad hoc ut Hæreſis fuerit externa tria requirũtur.1.Requiritur quod Hæreticus dederit ſignum externum per quod, ſufficicenter hæreſis manifeſtetur, & non per actus indifferentes: unde qui diceret, non eſt, & internè crederet non eſſe purgatorium non eſſet Hæreticus externus.Bonacc.*in Bulla Cæuæ diſp.*1.*par*.1.*par*.2.*nu*.5.6.ſecundùm quod requiritur eſt, quod actus externus ſit ex ſe malus,undẽ ſi quis confiteretur ſuam hæreſim mentalem, non efficeretur hæreticus externus. Fill. Bonacc.*n*.7. Tertium quod requiritur eſt,quod talis actus externus ſit manifeſtativus internæ ſuæ hæreſis, & tunc hæreſis externa habet annexam excommunicationem Bullæ Cænę Summo Pontifici reſervatam: Hæreſis ergo, eſt error intellectus liber, & pertinax contra fidẽ,in eo qui fidẽ ſuſcepit,& oportet quod ſit pertinax ĩ hoc sẽſu,quod ſciat eſſe cõtra sensũ univerſalẽEccleſię.

Notet pariter Confeſſarius, quod non eſt Hæreticus qui exterius tantum fidem negavit, aut adoravit Idòlum; metu, aut vi,ſi internè verè fidem retinuit, nec in foro conſcientiæ incurrit cenſuras contra Hæreticos, licet in foro externo,ſecundum externa procedatur. Eſt etiam Hæreticus qui affirmativè de aliquo articulo ſidei dubitat; hoc eſt iudicat eſſe dubium. In Confeſſione hæreticus tenetur explicáre ſpeciem hæreſis. Quidquid alij ſentiant. Vide de Lugo *de pęnit.diſt*.16.*nu*.288.2.*q*.

Quare ſi Hæreſis fuit externa, debet conſiderare

Confeſſarius, an fuerit Hæreticus prævia abiuratione in foro exteriori ab Epiſcopo, ſeù Inquiſitore abſolutus, nam tunc remanet Hæreſis ſolùm delictum, à quo à quocumque approbato poteſt abſolvi; & abiuratio facta debet in cõfeſſione confirmari, & exigendum eſt Iuramentum de obediendo mandatis Superiorum; pariter debet interrogari de tempore perſeverantiæ in ea. De violatione pręceptorum Eccleſiæ, annuæ Confeſſionis, de obſervantia Feſtorum, Ieiuniorum, an aliquem perverterit, aut pervertere tentaverit, & de ijs, quæ pertinent ſicut conſequentia, ad ſuam hæreſim, deinde excitandus ad cõtritionem, ei gravitatem criminis oſtendendo tamquam hoſti Sponſæ Chriſti, poſtea ad veram ſpem miſericordiæ Dei, ſi verè pęnitebit excitandus eſt.

Deinde eum moneat de omnibus pænis incurſis ob hæreſim, nempè de excommunicatione reſervata in Bulla Cænæ (à qua tamen poſſunt in foro exteriori, non interiori, ſervata forma Iudicij ab Inquiſitoribus abſolvi in actu abiurationis] incurrit etiam irregularitatem hęreticus, etiam per hæreſim occultã, ſed de hac controvertitur; vide quæ diximus de irregularit. *quæſt*. 4. *art*. 4. & extenditur ad fautores, defenſores, & receptatores Hæreticorum à qua ſecundum tutiorem ſententiam diſpẽſatur tantùm à Summo Pontifice. Incurrit etiam infamiam, & Beneficiorum privationem. Excluduntur ab omnibus honoribns, dignitatibus, officijs publicis, & ſolus Pontifex, & Supremi Romani Inquiſitores poſſunt hæreticum ad famam reſtituere. De filijs hæreticorum, & de ijs qui abiurant de vehementi, an priventur Beneficijs, vide hìc Carenãm.

37. Quomodo autem agendum ſit cum Hæreticis negativis, qui ducuntur ad mortem, nec publicè volunt fateri hæreſim, an ſint in foro conſcientiæ abſolvendi, ſi ſint contriti, licet non iuridicè, aut publicè fateantur ſuum crimen. *Dico* quod ſunt abſolvēdi, ſi, ut ſuppono alias ſint verè diſpoſiti: nam omnes ſciunt reos ſolitos eſſe negare, & per conſequens non oritur ſcandalum rationabile de iuſtitia. Idem dic de Hæretico relapſo, qui ad mortem damnatus eſt, & hi cum verè ſint in articulo mortis, poſſunt à quocumque Sacerdote abſolvi. Vide Carenam *tit.* 2. de Hęreticis pęnitentibus, qui varios citat Auctores, & mihi videtur certiſſimum, nam in articulo mortis, quilibet Sacerdos poteſt abſolvere à caſibus reſervatis in Bulla Cænæ.

Advertat etiam hìc Confeſſarius, quod ſi præſunptus Hęręticus negativus eſſet verè Innocēs, fatendo hęreſim, quem non tenuit, nec de ea fuit iudicialiter convintus, peccaret mortaliter ob infamiæ grave damnum, quod illum, totamque ſuam deſcendentiā macularet, & deturparet. Demum ſciat Confeſſarius quod circa Hæreticos occultos, recurrendum eſt ad ſummum Pænitentiarium, ut committat abſolutionem Sacerdoti, benè viſo: nam numquam deeſt pietas S. Matris Eccleſiæ. Debet etiam interrogari, ſi Catholicis nocuit, vel habuit animum nocendi propter odium Fidei.

Pro maiori claritate eorum, quæ diximus.

Quæritur an v. g. Franciſcus Hæreticus mentalis, qui non credit in Sanctiſſimum Altaris Sacramentum & in adoratione Sanctorum, tamen iuxta Ritum S. Matris Eccleſiæ, Quando elevatur in Altari Corpus

Sacratiſsimum Chriſti, ſeu Calix, vel defertur viaticum infirmo, vel eſt expoſitum in Altari, non genuflectit, vel non veneratur aliquam Sacram Imaginē, fiat externus Hæreticus, & incurrat in pænas Hæreticorum externorum per has ommiſſiones?

Dicendum quod in ſola ommiſſione adorationis Hoſtiæ, ſeù Calicis fit Hęreticus externus, quia talis concipitur ab aſtantibus, & præſumitur: Niſi dico ego eſſet ita diſtractus, aut longe ab altari, vel ita occupatus, ut aſtantes nullam conciperent rationabilem admirationem. Bonac. *q.2.p.3.n.4.* Azorius, Sanch. Lairus, & alij quos citat, & ſequitur Bordon. *ſeſſ.6.de Hæreſi, & Hęreticis in manual.conſult.*

In cęteris autem ōmiſſionibus, non eſt ita ſtricta obligatio, quæ pariat iſtam Hæreſis ſuſpicionem, nam qui videt circumferri Sacrum Viaticum infirmo, poteſt ſine tali ſuſpicione declinare à via, non ingredi in Eccleſiā, non inclinare caput Sacrę imagini, ut malè multi faciunt, ſed non generare talem ſuſpicionem videntibus. Sed in Miſſa cum elevatur Corpus Chriſti Sacratiſſimum, nedum ut repręſentetur elevatio Corporis Chriſti in Cruce, ſed ut à Populo humiliter adoretur, talis ommiſſio iuxta dicta parit ſuſpicionem, & quidem vehementem de Hęreſi, ut communiter notatur in Hæreticis exiſtentibus in Eccleſia talem inclinationem omittentibus.

Nota hìc quod Clerus cum celebrante non tenetur genuflectere Hoſtię, quando faciunt abſolutionē pro Defunctis. Age quod agis. Gavant. *tit.13.de omittend.in Miſſ.Defunct.*

Hìc nota quod P. Bordon. *ſeſſ.45.de Blaſph.manuali conſult.quæſt.20.21.* vult quod omnis blaſphemia a-

trox

trox ſit hæreticalis,& quod non omnis hęreticalis ſit atrox, nam blaſphemia atrox illa eſt, quæ graviter ſolet offendere aures auditorum, ut v. g. Pereat Deus, maledictus ſit, *al Diſpetto di Dio. Puttana &c.* arguunt enim in Deo, & Sanctis imperfectiones, quę nullo modo ſunt, nec eſſe poſſunt.

Quod notavi ad notitiam mei Confeſſarij, ut benè cogitet circa abſolutionem, ſi facultatem non haberet abſolvendi a Blaſphemijs hæreticalibus, licet ut ſuo loco de Blaſphemia tractantes cum communiori ſecuti ſimus contrariam ſententiã, quam etiam ſequimur, ſed circa abſolutionem, ubi blasphemia ſimplex non eſt reſervata, credo mentem Epiſcoporum eſſe hanc enormem compræhendere ſub reſervatione, ut aliqui mihi benignè reſponderunt. Stante hac opinione blaſphemia ſimplex ſolum eſſet quodlibet verbum leviter contumelioſum in Deum, quod certè ſemper verum eſt. Si tamen imprecationes, & maledictiones Deo fiant per verba modi indicativi tunc opinio Bordoni vera eſt. Vide aliqua exempla apud Carenam *par.2. de Blaſph.tit.*7.§.2.

Hìc etiam nota hac occaſione, quod blaſphemi manifeſtè hęreticales non gaudent immunitate Eccleſiaſtica, nam pro foro externo blaſphęmia hęreticalis inſeparabiliter præſumptivè adiunctam habet hęreſim; & ſic etiam poſt Bullam Gregorianam, quę nominat ſolam hęreſim, quaſi communiter tenent D. Farinac. *q.*28.*nu.*67.*de Imm.n.*173. & multi alij apud Merlin.*ad dub.*24.*ſect.*9.& Bordon. *loc.cit. qu.* 26. & blaſphemus ſententiatus eſt infamis infamia iuris, repellitur a ferendo teſtimonio, eſt irregularis ratione infamiæ contractæ propter notorietatem delicti in

 Iudi-

Iudicio, quæ tamen tollitur per abiurationem. Suar. *diſp.43.ſect.2.num.8.& 9.*Bordon.& multi alij de hac materia. Vide etiam Lezanam noſtrum, & Colleg. Salmatic.

38 5.Accedit Mercator,& petit interrogari.Poſt ſolitas interrogationes, interrogetur an iuſto prætio Conemerit,vendideritque merces. Pro quo notet Confeſsarius, quod iuſtum prætium duplex eſt, ſcilicet taxatum a lege, & non taxatum. Dividitur in ſupremum, medium, & infimum, & iſti gradus conſiderantur iuxta quantitatem prętij, itaut ſi prætium ſit parvi momenti, etiam erit gradus ſupremus, & infimus parvi exceſsus, ſeu deceſsus, & ſic poteſt vendi tutò res non taxata: taxata verò alterari non poteſt. 2. Interrogetur an manifeſtaverit vitia rei venditæ, præſertim ſi ijs cognitis eas merces emptor non emiſset, ſi autem emiſset, ſed non tali prætio, tunc venditor tenetur vendere minori prętio, aut exceſſum reſtituere. 3. Si cum alijs venditoribus fecit cōventionem vendendi merces ſupra prętium rigorosū; vel emerit omnes merces alicuius generis, ut eas ſervet vendendas tempore neceſsitatis carius; & ſi impedivit ne venirent merces, ut ſuas carius vendat, quoque mortaliter peccavit, & ſi hoc fecit vi, tenetur ad reſtitutionem. 4. An defraudaverit Gabellas iuſtas, teneretur enim ad reſtitutionem. 5.An comiſerit uſuras. Uſura enim eſt duplex, manifeſta,& palliata. Manifeſta eſt cum quis mutuat centum, ut ei reddatur centum, & quinque,dummodo non adſit iuſtus titulus damni ſcilicet emergentis,ſeù lucri ceſſantis. Tunc eſt uſura palliata, quando ob rationem dilatę ſolutionis, aliquid ſupra ſortem principalem

acci-

accipitur. Poteſt etiam accipi aliquid ratione periculi difficilis ſolutionis, & in pœnam, ſi ſtatuto tempore non reddat, facta cõventione bona fide, & quod ſit in ſtatu quod tali tempore debitor poſſit ſolvere, de quibus vide Auctores. 6. Si in contractibus ex utraque parte ſervata ſit æqualitas. 7. Si in venditione uſus fuit fraude, periurijs, & mendacijs. 8. An vendiderit aliquid pretio rigoroſo, obligando emptorem, ut revenderet ſibi prætio infimo: eſſet enim Contractus prohibitus Mohatræ. 9. Si operarijs ſolverit iuſta ſtipendia. 10. Si emerit à ſimplicibus merces magni valoris vili pretio, eos decipiendo. 11. Si fictè propalaverit merces eſſe ſubmerſas, ut augeret earum prætium.

Item Mercator peccat ſi venenum, & alià prohibita vendat, cum ſuſpicione mali finis. Si vendat die feſto, ſi emat res furtivas. Bibliopola peccat ſi vendat libros prohibitos, mutilatos, laſcivos, &c. Argẽtarius ſi falſificet opera ex auro, argento, ſi vendat lapillum communem pro prætioſo, aut emat pretioſũ pro vili. Sartor, Sutor, ſi iurent ſe perfecturos opus tali die, quod ſciunt non poſſe perficere, ſi partes alicuius momenti retineãt contra voluntatem Dominorum. Si violant Feſta ſine iuſta cauſa, & ſi ad id famulos compellant, aut non prohibeant, cum poſſint.

39 6. Accedit Apoſtata. Sciat ergo Confeſſarius quod Apoſtaſia eſt receſsus totalis à fide, nec differt ſpecie ab Hæreſi: Unde notet, quę dicta ſunt de Hæreſi. Neceſsariò tamen circumſtantia Apoſtaſię exprimenda eſt in Confeſsione, cum ſit circumſtantia aggravans quaſi in infinitum, mutat enim notabili-

liter iudicium prudentis Confeſſarij. Eſt enim hæc ſententia conformis Concil.Trident.*ſeſſ.*14.*cap.* 5.ubi docet eam Confeſsionem peccatorum neceſſariam eſſe, quæ ſufficit, ut Sacerdos iudicare rectè poſsit de gravitate peccatorum, quare hæ circumſtantiæ cum mutent notabilitèr iudicium prudentis Confeſſarij (ut iam diximus] ſunt exprimendæ. Interroget igitur Apoſtatam ſi fuerit eius Apoſtaſia tantum exterior, & tamen in intellectu bene de fide ſenſerit, tunc à quocumque Confeſſario poterit abſolvi, nec incurrit Bullæ Cœnæ excommunicationem. Pueronus, ĩ ſuis Cõmentarijs ad Bullam *cap.*1.*n.*37.Obſervet quę de Hæreticis diximus, oſtendat illi gravitatem ſui peccati, & eum ad contritionem cordatè excitet.

40 7.Accedit Schiſmaticus. Statim interroget Confeſſarius, ſi Schiſma fuerit coniunctum cum hęreſi, an non;Si eſt ſchiſmaticus,& Hæreticus, obſervet ea, quæ diximus de Hæreticis. Si verò Schiſma non fuit coniunctum cum Hæreſi; Sciat Confeſſarius differentiam excommunicationis contractæ ob hæreſim, & ob Schiſma; nam prima requirit errorem in intellectu cum manifeſtatione externa.Secũda. Solũm opus externum, etiam ſine animo ſubrahendi ſe ab obedientia Pontificis, ut eſt Eccleſię caput. Vide Bonac. *de cenſ.in ſpecie tom* 3.*diſp.*1,.2.*punct.* 5.*nu.*10. Sciat pariter,ut rectè in praxi interroget:quod defenſores,fautores, & receptatores Schiſmaticorum incurrunt tantũm cenſuram Pauli IV. quę à quocumq; Confeſſario tolli poteſt. In praxi Schiſmatis, Confeſſarius conſulat pœnitentem,ut ſequatur illum Põtificem de cuius Canonica electione conſtat; & ſi electio

lectio

lectio eſt dubia diſponat pænitentem ad ſe Eccleſiæ iudicio conformandum, ſequendo illum Pontificem, quem Concilium generale declarabit. Et nota quod in tali dubietate ſine peccato à quocumque poteſt negari, unum ex illis quem libuerit, non eſſe verum Pōtificem. Addo ego cum rationabili fundamento, & dummodo ex tali negatione non oriantur rixæ, & ſcandala maiora; tunc quilibet ſe habere debet negativè, remittendo ſe humiliter diſpoſitioni Spiritus Sancti.

41 Notet pariter Confeſſarius, quod qui negaret Summum Pontificem, v.g. Clementem XI. communi conſenſu ab Eccleſia pro tali habitum, non eſſe verè Summum Pontificem, non eſſet Schiſmaticus, ſed verè Hæreticus. Eſt certum. Vide Bonacc. *de Cenſur. in ſpecie tom. 3. diſp. 1. q. 2. puncto 1. n. 9.*

Confeſſarius igitur ſe gerat cum Schiſmatico proportionaliter, & modo quo diximus de Hæretico: moneat de gravitate criminis, nam ſcidit tunicam inconſutilem Chriſti Ieſu: illum faciat certiorem de pænis meritò incurſis, nempè de privatione Eccleſiaſticæ poteſtatis, ſcilicet de poteſtate iuriſdictionis, dummodo ſit denunciatus, & reus perpetrati delicti. De excomm. reſervata in Bulla Cænæ, quæ pariter non comprehendit Schiſmaticos mentales tantùm, comprehendit tamen Schiſmaticos ſolùm exterioris operis, licet deeſſet intentio ſe ſubtrahendi ab obedientia Papæ, & eos qui habent ſchiſma ſine hæreſi: De inabilitate ad Beneficia in futurum conſequenda: De pæna mortis ſi eſſent impenitentes: de alijs pænis videndus. Farinac. *q. 84. a num. 37. uſque ad 59.* nam debet eas obſervare in foro conſcientiæ. Vide hìc Carenam.

42 8. Accedit Excommunicatus petit abſolutionem peccatorum, & quærit à Confeſſario conſilia. Igitur illum interroget an ſit ligatur maiori, ſeù minori excommunicatione, de quarum differentia iã diximus. Deinde ſi habet facultatem, prius ne ſacrilegium committatur, abſolvat eum ab excommunicatione, deinde à peccatis. Si verò Confeſſarius non ſit Superior, ſed habeat tantùm facultatem abſolvendi, faciat excommunicatum iurare de parendo mandatis Superiorum. Inſuper obſervet an pænitens excommunicationem incurrerit ſpe Iubilæi, ſeù alicuius Bullę; nam ſi cautum eſſet in Diplomate ne poſſet abſolvi, qui ſpe Bullæ, aut Iubilæi peccaverit, eum non poſſet abſolvere. Videat etiam diligenter ſi parti læſę nõ ſatisfecerit ob ĩpotentiã, faciat ſaltem illum iurare quam primum poterit, ſe ſatiſfacturum; ſed ſi poterit det fidei iuſſionem, seù pignus, id citò faciendi.

43 Hìc notet Confeſſarius pro praxi. Quod in reſtitutionibus omnibus modis quærendum eſt, ut reſtitutio præcedat abſolutionem: aliòquin verificabitur, quod legitur in Iob cap. 15. *Erit quaſi Oliva proijciens florem ſuum, antequam fructus producat.* In actu abſolutionis debet recitari Miſerere, ſeù alius Pœnitentialis Pſalmus: licet in foro ſpirituali, & ſecretò, non ſit in uſu. Demum præmiſſa debita correctione abſolvatur ſub particula ſaltem, abſolvo te a vinculo excommunicationis quam incurriſti. Melius adderetur, v.g. propter talem cauſam, v.g. quam incurriſti percutiendo Clericum, præcipuè ſi abſolutio daretur non in foro Pœnitentiali, ſeù conſcientiæ, ſed extra Sacramentum; nam tunc ſervanda eſt for-

ma

ma cuiuſcumque Epiſcopatus, licet non cum onere peccati mortalis. In verbis abſolutionis addatur reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, communioni Fidelium actibus legitimis, & Eccleſiæ ſuffragijs in nomine Patris, & Filij, &c.

44 Pro praxi etiam notet Confeſſarius, abſolutum ab excommunicatione in foro conſcientiæ, non indigere nova publica abſolutione, ut poſſit cum alijs communicare. & exercere actus vetitos per Cenſuram, ſed requiritur ſchædula ſcripta ab habente facultatem, ut conſtet eum fuiſſe abſolutum, & debitam ſatisfactionem exibuiſſe ad evitanda ſcandala. Suar. *tom* 5. *diſp*. 7. *ſect*. 5. *nu*. 29. Homobonus hic. Notet pariter, quod excommunicatus nominatim per ſententiam Iudicis legitimi, non poteſt abſolvi, niſi ab eodem, vel à quo ipſe contulerit facultatem, vel à Superiore. Notet tandem quod probabilior ſententia eſt, quod qui habet facultatem abſolvendi à cenſura in foro conſcientiæ, poſſit etiam abſolvere extra Confeſſionem. Sanch. *l*. 8. *de mat*: *diſt*. 16. Pro praxi. ſi abſolvatur ſuſpenſus, dicatur in abſolutione, reſtituo te executioni tuorum ordinum, vel officiorum, vel Beneficiorum. In nomine Patris, & Filij, &c.

45 9. Accedit Homicida. Interrogetur de perſona occiſi; an occiſus ſit Pater, Mater, Frater, Conſanguineus: nam habet ſpecialem deformitatem cōtra quartum Decalogi præceptum, & virtutem pietatis, Parentibus debitam; & violatur ius naturæ, Divinum, & humanum, preſertim in primo Conſanguinitatis gradu; idem eſt proportionaliter dicēdum de percutientibus Parentes, &c. Item ſi homicidium fuit proditorium; Si perſona occiſa fuit Mu-

lier

lier prægnans, fætu animato, propter duplicem malitiam. An occiderit pactione facta, ut mulier in ſuam reciperet; nam impedit, & dirimit Matrimonium; Interrogetur etiam de fine. Nam ſi occidit, ut furetur bona Defuncti, aut lucretur, duplicem malitiam commiſit, nempè homicidij, furti, aut avaritiæ. *S*i occiderit Clericum, ſeù Regularem, incurrit Excommunicationem Papæ reſervatam: & ſi occidiſſet Præsbiterum, occidens non poteſt ſine diſpenſatione contrahere Matrimonium. *S*i occiderit plures uno ictu, plura homicidia commiſit iuxta dicta, ſeù unum æquivalens multis. Si Cardinalem, Epiſcopum, aut alium Prælatum, eſt peccatum reſervatum in Bulla Cęnę. Si occiſor eſt Clericus remanet Beneficio privatus, aut ſaltem privandus. Si interemit Romipedam devotionis, aut negocij cauſa eo euntem, pariter in Bulla Cęnæ remanet comprehenſus. *I*tem interrogetur ſi in odium ſui Inimici interfecerit conſanguineum, aut amicum ſui Inimici, vel eorum bona diripuerit, ſeù hæc mandaverit, aut auxilium tulerit, nam eſſet excommunicatus excommunicatione Summo Pontifici reſervata ex Paulo *II.* & Clemente VII.

His intellectis moneat de reſtitutione pro damno illato, iuxta dicta a nobis, quod ſi actu reſtituere nō poteſt, promittat, quàm primum poterit, &c.

Prò iniuria illata debet ſatisfacere ſaltem ſignis doloris, & petitione veniæ. Et obſerva quod pro damno illato, homicida ſolùm tenetur facere reſtitutionem hæredibus neceſſarijs, nempè Parētibus, Filijs, Uxori, quæ cenſentur una perſona cum occiſo. Nec ſufficit impendere illam pecuniam pro

ſuf-

fragio animæ Defuncti. Hæc ſuffragia enim debent imperari à Confeſſario in Sacramentali Confeſſione: ſed debet reſtituere hęredibus neceſſarijs. Si bona tamen fide homicida hoc feciſſet; Molina *tom. 3. diſp.*742.& Bonacc.*de contract.diſp.*1.*qu.*4.*diſp.*8.*n.*7 eum a reſtitutione excuſant.

Quod ego libenter admitterem. Si Homicida nõ eſset dives,& hęredes ueceſſarij non eſſent pauperes. Pariter homicida non tenetur ſolvere debita occiſi, niſi occidiſſet tali intentione, ut non ſolveret ſua debita, nàm hæc obligatio tranſit ad hæredes, & etiam ad Fiſcum, ſi bona per homicidium acquiſiviſſet. Res enim tranſit cum ſuo onere. Molina.*tract.* 3.*de Iuſt.& iure diſt.*3.

Si verò homicidium fuit occultum, faciat reſtitutionem per virum fide dignum, & ſe certiorem faciat, an facta ſit reſtitutio, aliòquin in ſententia, quæ iudicatur communis, teneretur ad novam reſtitutionem faciendam; licet opinio quod iterum non teneatur ad reſtitutionem, non careat ſua probabilitate; & ego eam tutam iudico, ob ractiones alibi dictas. Suppoſito quod adhibuerit debitam diligentiam, tãquam in re propria;eſſet enim nimis durum hoc;nam poſſet ſuccedere ter, aut quater. Sed vide quę diximus de reſtitutione.

46 Homicida in multis caſibus eximitur ab onere reſtituendi.

1 Quando homicidium fuit perpetratum cum moderamine inculpatæ tutelæ ſui, vel ſuorum, Innocentis, Honoris, & rerum. Sed adſunt hæ propoſitiones damnatæ ſub Innoc.XI.in ordine ſunt.

30 *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem,qui ni*

ti-

ſitur calumniam inferre . ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; Idèm quoque dicendum ſi quis impingat alapam vel fuſte percutiat , & poſt impactam alapam , vel ictū fuſtis fugit .

31 *Regulariter poſſum occidere furem pro conſervatione unius aurei .*

32 *Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva , quæ actu poſſidemus , ſed etiam ad quæ ius inchoatum habemus , quæ nos poſſeſſuros ſperamus .*

33 *Licitum eſt tam hæredi , quàm legatario contra iniuſtè impedientem,ne vel hæreditas adeatur , vel legata ſolvantur ſe taliter defendere , ſicut , & ius habenti in Cathedram , vel præbendam,contra eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem .*

47 Occaſione damnatæ propoſitionis dicendū : quod in illis caſibus , in quibus honor factis ignominioſis impetitur , licitum eſſe ſine periculo huius cēſurę tueri honorem ſuum ferro,& armis ; Dico factis ignominioſis, nàm non licet tueri honorem ſuum ferro contra eum , qui ſolis verbis impetit; undè poſſum ferro arcere (dummodo alio modo non poſsim) illum qui vult vim inferre meę Uxori , & ſi non vult retrocedere , & manet oſtinatus in pugna,poſſum illum cum moderamine inculpatę tutelę occidere,non ſolum tamen propter tuendum honorem,ſed propter tuendum vitam , nàm tunc non eſſet ſolùm aggreſſor honoris, ſed vitę, licet provocatio inceperit à defenſione honoris. Quarè cum aggreſſor intentat percuſſionem ignominioſam fuſtis, ſeù baculi contra virum nobilem , poteſt ille vir honoratus ſe defendere ferro , quod ſi aggreſſor perſiſtat , & arma armis opponat , poteſt aggreſſus ſi non poteſt alia via , eum oc-

ci-

cidere cum moderamine inculpatę tutelę, nàm non eſt tunc ſolùm aggreſsor honoris, ſed etiam vitæ. Idē dic de Virgine, quæ aliter non poteſt defendere virginitatem ſuam, tunc enim quia tanta eſt, & tàm gravis violentia illa, ut Virgo poſsit eam omni violentia repellere.

Eſt etiam opinio. Leſſ. *dub.* 21. & aliorum, quod etiam non teneatur ad reſtitutionem ille, qui ab alio provocatus ad pugnam exceſsit modum iuſtę defenſionis, nàm occiſus voluntariè ſe periculo expoſuit, & ideò implicitè ceſsit iuri ſuo; homicidium tamen fuit mortaliter peccaminoſum. Non loquimur tamen de duello; nàm qui in Duello occidit tenetur ad reſtitutionem, nam non debebat illud acceptare. Item non tenetur ille, cui ab Hęredibus facta fuit condonatio. Mandatarius non tenetur reſtituere pecuniam, quàm accepit pro homicidio patrato. Et ille qui indeliberatè commiſit homicidium, nempè ex motù ſecundo primo: quia quod taliter fit, æquiparatur ebrietati, & dementię, quod tamen cautè intelligendū, & raro ad praxim reducendum monet, & benè hìc Homobonus de Caſibus reſervatis: nam vix homo ex ira ità perturbatur, ut perdat totaliter rationis uſū, & immunis à peccato reddatur.

Etiam occidentes Nobiles, regulariter excuſantur; nam hanc compeſationem non ſolent prętendere, dummodo Parentes occiſi non eſſent pauperes, & damnum valdè grave.

Excuſatur pariter qui occidit eum, qui paulò poſt naturali morte, ſeù ex iuſtitia occidendus erat, nàm tùnc nullum damnum cenſetur intuliſse. Non excuſatur tamen qui occidit eum, qui à latrone, ſeù alio iniu-

iniuſtè occidendus erat,nàm verè damnum dedit per ſuam iniuſtam actionem.

Poſtea iniungat iuxta dicta, congruam pœnitentiam,& obſervet quod ſi per homicidiū fuit cauſa, quod non celebrentur tot Sacrificia, quot occiſus precepiſſet, tenetur occiſor arbitrio boni viri ètiam hoc damnum ſupplere, illud nam verè intulit Animæ Defuncti.

48 10.Accedit aliquis qui ſtupravit Virginem. Sciat primò Confeſsarius, quod ſtuprum *eſt illìcita, & violenta Virginis ſub Parentum poteſtate exiſtentis defloratio.*

Licet autem virgo non eſset ſub poteſtate Parentum, imò liberè conſentiret adhuc adeſset ſpecialis malitia ſtupri, de qua interrogare, & ſcire tenetur Confeſſarius. Vide hìc Bonac. Quidquid aliqui dicant. Præſertim in mea ſententia de circumſtantijs notabiliter aggravantibus.

Interroget poſtea ſi ſtuprator est coniugatus, nàm duę adeſſent malitię, una adulterij, altera ſtupri. Si habebat votum caſtitatis, eſset enim etiam ſacrilegium. Si Conſanguineus, vel affinis, nam eſset inceſtus,& ſi rapuerit Virginem, nam eſset raptus. Poſtea interroget de tempore, nempè quandiù permanſerit in iſta voluntate committendi tàm grave ſcelus, quātę fuerunt interpolatæ ſtupri voluntates, ſi alijs uſus eſt ad demulcendam Virginem, ut conſentiat; nam tunc ſcandali peccati commiſiſset.

Interroget an in aliquam inciderit excommunicationem: Nam ſi ſtuprum cum raptu ſit coniunctum, & Matrimonium Contractum, Matrimonium nullū eſt, & raptor ipſo facto excommunicatus eſt, & per-

pe

petuò infamis. Sed excommunicatio nemini eſt reſervata. Videat an ſtuprum factum ſit cum Virgine Deo dicata intra ſepta Monaſterij. Nam hæc excommunicatio eſt Summo Pontifici reſervata. Conc. Trid *ſeſſ.25.cap.5.* Pius V. Greg. XIII. Conſideret an Virgo ſciens, & volens, leviter rogata conſenſit, vel præcibus importunis cum aliquo metu. Si primum ad nihil ſtuprator tenetur, licet mihi ſummopere placeat, quod pro iniuſtitia facta Parentibus, non conſentiẽtibus aliquid illis tribuendum ſit, ut cautum eſt Deuteronom.22. Licet enim ipſa conſenſerit fuit iniuſta læſio Parentum: Saltem erit ſententia tenenda in foro Iudiciali.

Si conſenſit precibus importunis cum aliquo metu, vel ſtuprator cognovit ex verecundia, aut timiditate tantùm conſentire, ſed non ſpontanee, tunc ex communi, tenetur damna reſarcire ipſi, & Parentibus; ſeù ſaltem ſi poteſt ſine ſcandalo, petere condonationem; quod mihi videtur moraliter impoſſibile.

Interroget ſi ex ſtupro nata ſit proles: nam ſtuprator ſi poteſt tenetur eam alere, ſi verò ſit pauper debet eam mittere ad loca pia ad hoc inſtituta, ſi ablatę ſint occaſiones præſertim proximè peccandi. interroga ſi ſtuprator habeat votum caſtitatis, aut Religionis; nam ſi Puella neſciebat, & conſenſit ſub promiſſione coniugij, tenetur eam ducere, dum ipſa non ſit contenta alia ſatisfactione, licet oppoſita ſẽtentia à Salmaticenſi noſtro iudicetur probabilior *tract.13.de reſt.cap.3.* Sed quomodo, ipſum vide.

Interroget ſi promiſerit matrimonium, & ea conditione puella conſenſerit, tunc enim tenetur eam

ducere, licèt ſictè promiſerit, etiam ſi eſſet filius ſamil. Bonac. Si autem eſſet valdè diſpar conditio; tunc adeſſet ſuſpicio, ut ſictè promiſiſſet; quod Mulier liberè conſenſiſſet, niſi adeſſent alię conditiones examinandæ arbitrio prudentis viri. Pariter non tenetur eā ducere, ſi timeātur gravia ſcādala, & rixæ. Itē non tenetur ſi parentes eam dare illi nolint, ceſſat enim tunc obligatio. Si adſit, aut ſequatur impedimentum affinitatis, ſeù cognationis, ſi aliam duxerit per verba de præſenti, & ſi Sacros Ordines iam ſuſceperit; nec tenetur eam ducere ſi cum alio fornicetur; ſi cum non eſſet, ſe Virginem finxerat. Hæc omnia deſervire poſſunt pro praxi. Obſerva etiam, quod ſi per ſtuprum, nullum damnum paſſa eſt, utpotè nupta, ac ſi Virgo fuiſſet, volunt aliqui quod ad nihil ſtuprator teneatur. Navarr. Molina *tom. 4. diſt.* 69. Bonac. *de Mat. qu.* 4. *par.* 17. *n.* 8. Licet multi huic opinioni non aſsentiantur. Prima igitur ſententia videtur tuta, quando Maritus nunquam depræhenſurus eſt hunc defectum, & quando dando pecuniam pro compenſatione damni, oriretur Marito ſuſpicio ſtupri facti. Me remitto ad ea; quæ ſupra dixi.

Notet etiam Confeſsarius pro praxi; quòd ſi quis cognovit vi, fraude, aut præcibus importunis puellā corruptam, quæ tamen communiter virgo reputabatur, ſi per illam copulam infamata eſſet, tenetur vir ad reſtitutionem: quia ex ipſa mala actione, hoc dānum paſſa eſt. Azor. *q.* 11. *& alij.* Poſtea facta debita correctione iniungat Pęnitentiam ſalutarem, quæ pręter dicta pendet à regula prudentiæ, & obſervet quod contraria contrarijs optimè curantur. v.g. luxuria, maceratione carnis.

49 11. Accedit Meretrix. Hic etiam valdè diligentes interrogationes requiruntur; & quia ſumus in peccatis luxurię, cautè eſt procedendum, ſed non per hoc debent neceſſaria omitti. Primò enim videndum eſt an Meretrix confiteatur, quia eſt in articulo mortis, an quia Deo inſpirante, vult ſe ad meliorem frugem reducere. Si primum, ne inconfeſſa moriatur, dato neceſſario doloris ſigno, recipiantur quæ poſſunt, præſertī ex prima interrogatione, quæ inferius notatur, & excitata ad fidendum in Dei miſericordia abſolvatur; & poſtea ſi tempus ſupereſt adiuvetur ad materialem integram confeſſionem, ad firmum propoſitum non peccandi eliciendū, & ad verùm dolorem, nec illa deſeratur uſque ad mortem (ſi omnimodè poteſt) eam ſalutaribus monitis proſequendo, ut tempus, & prudentia in Domino dictaverit: Si ſecundum, ante omnia Confeſſarius ne deludatur, ſe certiorem reddat de occaſione ablata peccandi, quare lupanar debet antea relinquere; niſi magna neceſſitas pro parvo tempore in contrarium ſuaderet, & tunc ſit ſub cura alicuius honeſtę Mulieris, quæ velut Mater ſpiritualis illi cordatè, & charitativè aſſiſtat.

Poſtea pręſertim iſtas faciat interrogationes, ut poſſit noſcere ſtatum peccatricis, cum nimis difficile ſit, quod omnium peccatorum numero, & ſpecie recordetur.

Primò de tempore, quo fuit expoſita. Secundò. Si peccavit cum habentibus votum caſtitatis, ſeù uxoratis; Tertiò. Si à Religioſis, & filijs familias aliquid accepit. Quartò. Si peccavit cum conſanguineis. Quītò. Si fuit cauſa inimicitiæ, homicidij, diſcordiarum.

Sextò. Si peccavit ex affectu ad pecuniam, quod de tali muliere poteſt ſupponi. Septimò. Si peccavit modo præpoſtero, & contrario naturę, & generationi. Octavo. Si occidit prolem, & abortus procuravit. Nonò. Si ad peccandum adhibuit veneficia, præſertim amatoria, ſuperſtitiones &c. Decimò. Interrogetur de impuris cogitationibus, locutionibus, canticis, &c. Undecimò. Si alios, ſeù alias induxit præcipuè ad peccandum. Duodecimò. De commeſſationibus, potationibus. Decimotertiò. De Sacramentis, Miſſis, Ieiunijs neglectis, de annua Confeſſione, Communione, de incurſis excomunicationibus. Decimoquartò. De vano, & ſuperfluo ornatu ad alliciendum ad peccandum. Decimoquintò. Si cum eſſet infecta morbo, alios infecit.

Hæ igitur erunt præcipuè interrogationes. Poſtea efficaciter det monita ſalutis, aperiendo ei oculos mentis, ad dignoſcendam gratiam Dei ſibi factam, excitet ad contritionem, exemplo pænitentis Seraphicæ Magdalenæ, illamque dimittat in pace, & moneat, ut melius etiam cogitet de peccatis omiſſis, ut poſſit poſtea frui tranquillitate conſcientiæ, Amotis prius periculis, & occaſionibus iterum relabendi.

50. 12. Accedit Polygamus. Sciat pro intelligentia Confeſſarius, quod Polygamia plurium virorum reſpectu unius Mulieris, ut contraria productioni prolis, quæ eſt primarius finis matrimonij, eſt prohibita iure naturali; Eſt ſentẽtia univerſalis S. Thom. *in 4. di. 33. q. 1. art. 1. ad* 7. Polygamia poſtea plurium Uxorum reſpectu unius viri, & ipſa certè eſt contra ius naturæ, quia per primum matrimonium vir tradidit uſum ſui corporis Uxori, Ergo quod ſecunda U-

xor

xor utatur tali corpore, eſt contra ius naturæ, quod prohibet uſum rei alienæ invito Domino, quomodo ſecunda Uxor poſſet uti invita prima uxore, ſtante Polygamia.

Sed difficultas eſt, quomodo ſit contra ius naturæ, nam in iure naturæ non poteſt Deus diſpenſare propter ſuam rectitudinem: & tamen diſpenſavit cũ Patriarchis veteris Teſtamenti.

Eſt igitur aliquid contra ius naturæ tripliciter. Primò. Quando aliquid intrinſecè includit malitiam obiectivam contra naturam, ſeù iuri naturæ repugnantem. Sicut.v.g.eſt odium Dei, & quodlibet peccatum contra naturam, & in hoc non poteſt Deus diſpenſare propter ſuam intrinſecam rectitudinem, Iuſtitiam, & bonitatem. Secundò. Quando non abſolutè repugnat iuri naturæ, ita ut in nullo caſu liceat, eſto quod in aliquo caſu repugnet ratione alicuius adiuncti repugnantis iuri naturæ. Sic copula Franciſci cum Catharina ante nuptias, eſt contra naturam, nam eſt acceſſus ad non ſuam, poſt matrimonium eſt licita, & in hoc poteſt diſpenſare Deus. Tertiò modo. Quando aliquid eſt contra naturam ratione alicuius periculi, ut converſatio continua cum pueris, & pariter in hoc diſpenſare poteſt Deus. Polygamia enim eſt contra ius naturę ſecundò, & tertiò modo, & ſic Deus diſpenſavit cum Patriarchis veteris Teſtamenti. Vide Coninc.*de Sacram. tom.2.diſp.26.* Becanum *In 2.part.ſuæ ſummæ cap.3.nu.9.* Deus enim, ut Supremus Dominus voluit uſum corporis, qui priori fæminę debebatur in totum, poſſe eſſe comunē duabus, reſcindendo in parte primum contractum, quo intellecto quantum ſufficit, ſciat Confeſſarius quo-

 mo-

modo Polygamia ſit contra ius naturæ, & per conſequens illicita, & peccaminoſa. Debet igitur interrogare Polygamum, an malè ſentiat de fide credendo licere? ac proinde ſemper interrogandus de hoc, nam eſt ſuſpectus de Hæreſi. Anabatiſtæ enim, Luterani, & Mauhumethus horum, ut plurimum ſunt Magiſtri. Vide hìc Carenam *De Offic.S.Inquiſ.* Et iudicare de Polygamis etiam in foro externo, pertinet ad fidei Cenſores. Quod præcipuè his temporibus certiſſimum eſt. Si talis pænitens habeat errorem in intellectu, cum ipſo agendum eſt proportionaliter, ut dictum eſt de hæreticis.

Interrogèt etiam quoties Polygamiam commiſerit, ut ſciat aptam prębere pænitentiam, propter multoties irrogatam iniuriam Sacramento. Si ut accederet ad alias Uxores debitum primæ denegavit Uxori, qnoties ad illas acceſſit, toties enim commiſit adulteria. Si alat filios ſpurios, ſi habuit, & ſi habet curam illorum in Spiritualibus. Si orta ſint ſcandala, & rixę ex hoc ſcelere, Si eſt paratus alias relinquere, & redire ad primam Uxorem, in quo caſu tenetur reddere dotem ſecundis uxoribus, & ſi Polygamus fuit in mala fide contrahendo, uxor ſecunda lucratur omnia ſibi donata, etiam pretioſa. Sciat etiam Cōfeſſarius, quod ſi Polygamia nō ſit reſervata ab Epiſcopo, & benè Polygamus ſenſerit de fide, tunc a quocumque Confeſſario approbato poterit abſolvi. Moneat poſtea de obligationibus, erga filios illegittimos, de reſtitutione Dotis, &c. Et facta debita correctione, & impoſita congrua pænitentia illum dimittat.

51. Hic inſuper obſervet, quod ſi Mulier dubitet

de

de vita primi viri [*text. in cap. Dominus de ſecundis Nuptijs*) poſſe talem mulierem reddere, ſed non petere debitum, & facta certior de vita primi viri, tenetur ad illum redire. Vide Comitolum *reſp. moral. lib. pr. q.* 129. Quod ſi Mulier ſic dubia, fecerit omnes poſſibiles diligentias pro indaganda veritate, & adhuc dubia remaneat probabile eſt ipſam, & reddere, & petere poſſe debitum. Vide Dianam *Moral. reſol. p.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 295. Doctorem meum Reſolut. loco aliàs citato.

52 13 Accedit aliquis, qui obligatus eſt ex vi Edicti ad denunciandum aliquem, in Sancto Officio, querit à Confeſsario quomodo ſe gerere debeat?

Videat ergo Confeſsarius an iſte ex omiſſione denunciationis inciderit in fautoriam Hæreticorum; ut eſsent Epiſcopi, inquiſitores, & Miniſtri, quando nõ puniunt, nec contra eos procedunt. *Text. Clem.* 1. *de de pænit. cap. excom. §. Volumus de Hæreticis*, vel ſi iſti permittant lectionem prohibitorum, & prædicationem falſorum dogmatum. Excipe niſi Epiſcopi, & Inquiſitores permitterent ad evitanda maiora ſcandala; Sed tunc dico conſulendum eſse Supremam Inquiſitionis Congregationem. Incidunt etiam in fautoriam hæreticorum Domini temporales, qui omittunt inveſtigare, & capere Hæreticos. Item Magiſtratus, & Iudices inferiores, & perſonæ privatæ, cum non denunciant Hæreticos formales, dogmatizantes in Reipublicę perniciem, licet timeãt grave damnum in vita, bonis, & honore. Facund. *in præcept. Decal. tract.* 2. *lib.* 4 Genuens. *in prax. cap.* 18. *num.* 8. Et omnes qui Iuramento tenentur denunciare. Vide hìc Carenam *de Offic. S. Inquiſit. par.* 2. *de obligat. denũci*

ciandi. Iſti enim cum incidant in Excom.in Bulla Cænæ, non poſſunt abſolvi niſi ab habentibus talem facultatem, ſi poſtea talis obligatus ad denunciandum incidat tantùm in cenſuras Inquiſitori reſervatas: An poſſit à Regularibus abſolvi, virtute ſuorum privilegiorum, per quę poſſunt abſolvere ab Excommunicationibus Papalibus non exceptis. Aliqui affirmant; nam regulariter cui licet plus, licet minus. Vide Portellū in addit. ad dub. Regul. Sed ego cum Diana nihil addo de meo, & humiliter me remitto. Interroget iterum ſi habeat efficax propoſitum denunciandi, quod ſi habeat poteſt quilibet Confeſſarius eum abſolvere, antequam actu denunciet. Quam ſententiam veriſſimam iudico, ſi loquamur de pænitente fide digno, non de quolibet de plebe, qui promittnnt, ut abſolvantur, & poſtea promiſſa non ſervant; iſti enim niſi urgeret neceſſitas communionis, non ſunt abſolvendi ante denunciationem. Avila de Cenſuris *par.2.cap.7.dub.7.*

53 14 Accedunt legentes, & retinentes libros Hæreticos, & alios prohibitos.

Obſervet diligenter Confeſſarius an inciderit in Bull. Cænæ; nã tunc incidunt, quãdo legũt libros cõtinentes errores, ſeù de Religione rractantes. Et incurrunt Excommunicationem, ſivè legant paucas, ſivè multas lineas, dummodo ſit materia ſufficiens ad mortale, & modo iam dicto de excomm. in Bulla Cænæ in principio huius operis, etiam ſi legant ſine confutandi errores, etiam ſi oculis tantùm percurrant, intelligendo tamen interius quæ vident: ſit tunc actus externus per viſionem, & oculorum demiſſionem, qui ſufficit ad excommunicationem. Interroget

get an libri ſint tantum prohibiti, ut videre eſt in indice, quorum lectores excommunicantur quidem, ſed non in Bulla Cænę, in qua etiam tales libros defendentes excommunicãtur; Et illi dicuntur defendentes tales libros, qui impediunt ne ad manus Inquiſitorum perveniant, ne comburantur. Interroget ſi ex lectione tali librorum, adfuerit periculum perverſionis. Sicut ex lectione prohibitorum periculum morale ſcandali, aut peccati. Inſuper interroget ſi tales libri Hęreticorum, vel de Religione tractantes fuerint delati ad Inquiſitores, aliòquin non abſolvat; Si tamen Pænitens illos combuſſiſſet, dummodo ex alio capite non oriretur neceſſitas negandi abſolutionem, poſſet illos abſolvere. Neque debent abſolvi, qui volunt retinere libros continentes res laſcivas, & bonis moribus contrarias, ratione periculi peccandi mortaliter. Vide Bullam Pij IV. Interroget inſuper Pænitentem, ſi ſciat alios retinere, legere, defendere libros Hæreticorum, hæreſes continẽtes, aut de Religione tractantes; nàm debet cogere pęnitentem, ut Inquiſitoribus eos denunciet ante abſolutionem; dummodo non adſit cauſa iuſta, & urgẽs abſolvendi, & tunc pænitens ſaltem iuret eos denunciare. Inſuper ad formandum verum iudicium interroget à quo libros habuerit, quanto tempore retinuerit, quoties legerit, an alijs accomodaverit, & quoties, quo fine retinuerit, an alios perverterit, & ſimilia. Poſtea demonſtrata gravitate delicti, aſſignata congrua pœnitentia, inſpecta ętate, conditione, & contritione, ſi habet facultatem abſolvat.

54. Ultimò accedit aliquis, qui cum non fuerit Sacerdos audivit in Sacramentali foro præſumpto pec-

peccata,& abſolutionem Sacrilegè dedit, & multoties celebravit. Poſtea factus verè Sacerdos, & Parochus baptizavit ſine intentione conferendi Baptiſmum.

Quomodo debet ſe gerere Confeſſarius in Interrogationibus, & alijs neceſſarijs?

Igitur interroget quoties hæc delicta ſacrilega perpetraverit, an habuerit errrorem in intellectu, an antè Sacerdotium geſſerit vicem Parochi, nam peccavit contra iuſtitiam, an ex odio *Dei*, aut proximi hoc fecerit, an habuerit pactum cum *Dæmone* ob aliqua maleficia facta, aut facienda.

Sed dubium pulcherimum eſt, an qui baptizavit ſine debita intentione, nec alio modo poteſt damna reſarcire, niſi ſe prodendo Magiſtratui, ultimo ſupplicio perimendum, teneatur ob ſalutem Animarum ſua culpa perditarum ſe preſentare, licet mori debeat?

Dicendum Deum ex communiori ſententia Theologorum, non ſupplere effectum Sacramentorum, hoc nulla lege, aut promiſſione fundatur: & intentionem neceſſariam requiri in conficiendis Sacramẽtis de fide eſt, quare videtur talem adminiſtrantem debere exponere ſe morti ob ſalutem ſpiritualẽ proximi ex lege charitatis. Hęc certè opinio videtur certa ex lege charitatis, & etiam ex iuſtitia.

Sed an tunc perſuadenda ſit Parocho, ſeù Obſtetrici, qui ſine intentione baptizaverunt, ſi potius cognoſcitur nocitura cum malè poſſint diſponi ad mortem ſubeundam. Dubium difficile eſt.

An hìc; ſententia aſſerens relinquendos eſſe in bona fide, ne in deſperationem inducantur, ſit verè pro-

probabilis, cum ſit in perniciem plurium, & adſit lex clara charitatis, & Iuſtitiæ, qua tenemur vitam dare pro ſalute ſpirituali proximi? alij videant. Ego ſolùm dico quod poſſunt aliæ viæ adinveniri, ut quis prodeat delictum ſine evidenti periculo vitæ, prçſertim cum fuga delinquentis. Sed Vide Dianam de Miniſtro Baptiſmi, Laym. &

Ego certè cæteris paribus, monerem illos de obligatione: pondera quæ antea diximus de probabilitate propoſitionum, & tu tutò ſequere quam verè probabilem agnoſcis.

Quoad pœnas in his delictis. Sæcularis non fit irregularis, ſed Clericus, Conſule Carenam Titulo 11 §.8. Fit tamen uterque infamis, & Curię Sæculari tradendus.

Ex his paucis interrogationibus facilè prudens Confeſſarius dignoſcet qua cautela procedendum ſit in faciendis interrogationibus additis alijs ſolitis, & univerſalibus.

55 SED PRO MAIORI NOTITIA NOTET CONFESSARIUS SEX, IN OMNIBUS CONFESSIONIBUS, PRO MAIORI SUA CLARITATE, ET PRAXI CONTINUA.

Primò. Circumſtantias peccatorum mutantes ſpeciem, & circumſtantias notabiliter aggravantes: ut v.g. Furari decem, aut centum, quæ etiam dicuntur aggravantes quaſi in infinitum.

2 An Pænitens habeat peccata, quibus ſit annexa Cenſura, & cui Cenſura ſit reſervata, ne fatigentur in vanum, & cum dedecore pœnitentis.

3 An de ijs peccatis adſint aliqua Decreta Pontificia, ſeù ſanctiones Epiſcopales, iubentes aliquid, ſeù prohibentes.

4 An

4 An ſit aliqua obligatio reſtitutionis,quæ a Pænitentibus difficiliter fit. Unde qui promiſit reſtituere, & non fecit cum potuit, niſi neceſſitas urgeat, non eſt abſolvendus.

5 An ex peccato oriatur aliqua alia obligatio.

6 Remedia adhibeat peccatis, inſpectis Perſonis, loco, tempore, & qualitate pænitentis.

56 ISTA REMEDIA CIRCA PECCATA PARTICULARIA ADHIBENDA ERUNT A PRUDENTIA CONFESSARII,OPE SPIRITUS SANCTI; ALIQVA DESVMAT, EX AUCTORIEATE SACRÆ SCRIPTURÆ, EXEMPLIS, AUT DICTIS SANCTORUM PATRUM.CIRCA VERO' PECCATA IN UNIVERSALI ERUNT HAEC PRAECIPUA.

57 Primum præſentia Dei ritè conſiderata: Dei viventis,& omnia videntis. *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper,quoniam à dextris eſt mihi, ne cōmovear*. Dicebat S.Rex David *pſal.*15 Undè S.Baſilius interrogatus quare multi, & cur mala multa faciant.Reſpondit,*quia non ſemper cogitant Deum cogitationum,& actionum ſuarum, inſpectorem eſſe.*

58 Quatuor modis quis benè ſiſtitur ante Dei prȩſentiam,ut benè docet ille devotæ vitæ, egregius Magiſter S.Franciſcus Saleſius prima parte introductionis eiuſd.*cap.*2.Primò modo per apprehentionem totalem, qua conſideratur quod ubique eſt Deus. *Si aſcendero in Cælum tu illic es: ſi deſcendero in infernum ades*. Et ſicut ubicumque per aerem reſpiramus, ſic ubique Dei prȩſentiam invenimus, licet eam tanquā cȩci non videamus, & tanquam cæci operemur ante tantam terribilem Maieſtatem. Secundo modo con-

ſi-

ſiderando, quod ne dum eſt Deus ubique, ſed modo ſpeciali in corde noſtro, in ſpiritu noſtro nobis intimius, quam nos ipſi nobis. Undè eſt anima animæ, & cor cordis. *Deus cordis mei*, aiebat David, & Paulus teſtatur *quod in ipſo movemur, & ſumus*. Tertiò modo, quod Deus è Cælo omnes noſtras actiones aſpicit ad illas puniendas, ſeù coronandas. Quarto modo, per ſimplicem immaginationem figurantem Deum in Maieſtate præſentem, tali, & tali modo, ſeù actu. Quilibet ergo dicit S. Doctor ſupracitatus uno ex his modis poteſt ſe ſiſtere ante Dei præſentiam, ut noſtræ ſingulæ operationes à nobis fiant, ut dignę appareant tanta Maieſtate, & pręſentia.

Secundum Remedium contra peccata in univerſali eſt. Vitare proximas occaſiones peccandi, imò, & pericula. *Qui enim tangit picem inquinabitur ab ea. Impoſſibile eſt* aiebat ille Ariſtippus Philoſophus, *impoſſibile eſt, virum probum inter improbos probitatem ſervare*. Undè vitetur otium omnium malorum origo: Nam *homines* dicebat Cato, *nihil agendo malè agere diſcunt.*

Tertium Remedium Obſtare principijs, *nam ſerò medicina paratur*, & hoc optimè fit mentali oratione conſiderando noviſſima noſtra: *Annos æternos*, canebat Regius Vates *Annos æternos in mente habui*. *Nemo enim repentè fit turpiſſimus.*

Quartum Remedium, Cuſtodia ſenſuum pręcipuè oculorum. Mellifluus S. Doctor Bernardus, neſciebat numerum feneſtrarum Chori, &c. Oculi enim ſunt in amore duces.

Quintum Remedium eſt oratio. Medium unicum ad perſevetantiam obtinendam. Loquatur ſemper homo

homo. *Exurge Deus, & adinva me. Cor mundum crea in me Deus*. Undè S. Iſidorus lib. 3. de ſummo bono ait. *Vt quoties homo quolibet tangitur vitio, toties ſe ad orationem ſubdat, quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit*.

Alia motiva communiter hæc aſſignatur. Examen conſcientiæ; facit enim cognoſcere deformitatem peccatorum, & nos excitat ad emendationem. Frequentatio Sacramentorum. Sacramenta enim nos fortificant contra Diabolum, & peccata. Auditio verbi Dei, & lectio Sacra, nos enim inflammant ad amorem Supernorum, & virtutum.

Circa vitia particularia, ut dixi, prudentia Confeſſarij, Dei ope, præbebit remedia, ſed breviter, & ſuaviter, pœnitenti demonſtrando culpæ gravitatem, excellentiamq; virtutis oppoſitæ. Cætera obmitto propoſitę ſtudens brevitati.

TRA-

TRACTATUS BREVIS, ET CLARUS

Pro ſuſcepturis Sacramentum Ordinis, ab eodem Auctore compoſitus ad utilitatem Ordinandorum.

Quem Tractatum ob maiòrem claritatem dividitnr in varios Articulos ſub unica Quęſtione

QVAE ERIT XVIII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

ARTIC. PRIMVS.

De Sacramento Ordinis in univerſali.

Quæres primò. Quid ſit Ordo? Reſpond. *Ordo eſt ſignaculum quoddam Eccleſiæ, quo Spiritualis poteſtas traditur Ordinato.* Magiſter *in 4. diſt. 24.* Dicitur. *Signaculum quoddam:* Iſta enim verba ſtant loco generis; Et iſta: *Quo ſpiritualis poteſtas traditur Ordinato* ſtant loco differentię. Quare bona eſt definitio ex regulis Logicæ; & iſta Spiritualis poteſtas;

quę

quæ traditur eſt in ordinē ad conficiendam Euchariſtiam; nam iſta verba in definitione implicitè continentur. Sotus *in 4. diſt. 24. q. 1. art.* 1. Et intellige quod datur iſta poteſtas in ordinē ad cōficiendum corpus, & ſanguinem Chriſti, vel immediatè, ut in Sacerdotio, vel mediatè, ut in cæteris ordinibus. Poteſt etiā dari alia definitio. *Ordo eſt Sacramentum novæ legis, quo homines aliqui, ſpirituali poteſtate tradi ta in Dei miniſterium indelebiliter deputantur;* Eſt neceſsarium hoc Sacramentum toti Eccleſię propter neceſsitatē Miniſtrorum, ſed non ſingulis ad ſalutem, imò peccaret, qui ſciens ſe non poſse continere, ſuſciperet hoc Sacramentum. De Fide eſt dari Sacramentum Ordinis, ſed de fide non eſt (dempto Sacerdotio) cæteros eſse Sacramenta, ſed Sacramentalia, ſeù Ritus ab Eccleſia introductos. Sic Durandus *in. 4. diſt.* 24. *quæſt.* 2. Martinus de Ayla *lib. de tract. Apoſt. cap. de Ordine loquendo de Subdiaconatu.* Caietan. *tom.* 1. *Opuſc. tract.* 11. Quam opinionem Sotus *in* 4. *diſt.* 4. *qu.* 1. *art.* 4 vocat probabilem Victoria in Summa de Sacram. Ordinis.

De Minoribus multi affirmant eſſe Sacramentalia, licet concedant de Maioribus eſſe Sacramenta. Navarr. *in manuali cap.* 22. *nu.* 18. & Sanch. *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 31. *nu.* 27. *& in conſil. cap.* 1 de Ordine, vocat hanc opinionem probabiliſſimam. Dicendum tamen omnes, & ſingulos Ordines vere eſſe Sacramenta. Eſt opinio communis. Quid ſit Sacramentum, quomodo quodlibet Sacramentum per accidens poſſit conferre primā gratiā, & quæ ſit gratia Sacramētalis, & quam gratiam Ordo conferat, vide in initio huius Operis *pro Fundamento totius Operis pag.* 1. & 3. Quod qui-

quilibet Ordo ſit Sacramentum probatur propter Auctoritatem Doctorum hoc aſſerentium, & ex Concil. Florent.*in litteris Eugenij*; Ubi poſtquam ſtatuit ordinem eſſe Sacramentum Eccleſię, & materiam illius Sacramenti eſſe rem traditam ab Epiſcopo ordinandis, formamque eſſe verba, quibus illi traditur poteſtas exercendi munus ſuum; enumerat poſtea ſeptem Ordines, & de illis omnibus affirmat id ipſum verificari; Ergo ſentit omnes habere veram ratione Sacramenti.

Confirmatur in Concil. Trident.*ſeſſ.23.cap.* 2. habetur quod Ordines ſunt ſeptem, & eos nominat; *&* *cap.*3.indefinitè ſtatuit Ordinem eſſe verum Sacramentum, ſed propoſitio indefinita (in materia neceſſaria) ſicut eſt ea quæ eſt credenda per fidem divinam, æquivalet univerſali; Ergo Decretum illud Concilij: *Ordo eſt verum Sacramentum*: poſtquam decrevit ſeptem eſſe Ordines æquivalet huic Propoſitioni: Omnis Ordo eſt verum Sacramentum. Quare præſertim his temporibus, qui ſequeretur allatas opiniones ſi non eſſet hęreticus, non poſſet ſaltem fugere notam temeritatis.

Sed dices. Omnia Sacramenta fuiſſe à Chriſto inſtituta, ſed ex Scriptura non conſtat Chriſtum ea inſtituiſſe; Imò in primitiva Eccleſia nec fuiſſe; Ergò non omnia ſunt Sacramenta. Confirmatur ex *Vrbano II.in cap.nullus in Epiſcopatum.diſt.6.*Ubi dicit *Sacros Ordines dicimus Præsbiteratum,& Diaconatum, hos ſiquidem ſolos primitiva legitur habuiſſe Eccleſia.* Undè

Quæres 2. Quando fuerint inſtituti Ordines à Chriſto Domino?

Dicendum eſſe ab eo inſtitutos per poteſtatem Ex

eſſentiæ, quam habebat ratione divini ſuppoſiti, in ultima cœna, quando inſtituit Sacerdotium illis verbis *Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem*, ſub principali nempe Sacerdotio, cæteri comprehendũtur; nam omnes Ordines etiam minores miniſtrando, & inſerviendo, habent aliquam imperfectam poteſtatem circa Euchariſtiam, licet de omnibus nõ habeamus inſtitutionem expreſſam in Scripturis, conſtat ex Apoſtolica traditione, ut patet ex Conc. Trident. *ſeſſ. 23. cap. 17. de reformat.* Vbi etiam docet, quod Ordinum diſtributio, nomina, & exercitia, tempore Apoſtolorum in uſu fuerunt: Audi verba S. Thomæ 3. *part. in Addit. quæſt. 37. art. 2. ad ſecundum. Propter paucitatem miniſtrorum, omnia inferiora miniſteria Diaconibus committebantur; nihilominus erant omnes prædictæ poteſtates, ſed implicitè, in una Diaconi poteſtate; ſed poſtea ampliatus eſt cultus Divinus, & Eccleſia quod implicitè habebat in uno Ordine explicitè tradidit in diverſis; & ſecundum hoc dicit Magiſter in littera quod Eccleſia alios Ordines ſibi inſtituit.* Ex quo patet quid reſpondendum ad auctoritates contrarias Sanctorum Patrum dicentium, aliquos Ordines eſſe ab Eccleſia inſtitutos; & ſic pariter reſpondetur ad auctoritatem Urbani II.

Colleg. Salmat. noſtrum *tract. 8. de Sacram. in genere hìc dub.* 1. tradit duas alias reſponſiones; prima eſt, quod Vrbanus loquitur in textu allato de Ordinibus qui tunc erant Sacri, inter quos ſolum erat Sacerdotium, & Diaconatus, quamvis tractu temporis illis adiunctus ſit Subdiaconatus. Secunda quod loquitur de Ordinibus, qui patent ex Scripturis, non de illis, qui implicitè ex Scriptura, & ex traditione Apoſto-

ſtolica habentur.Quanti ponderis ſit Apoſtolica traditio nemo ignorat; eſt enim hæc verbum dictum,& Sacra Scriptura verbum ſcriptum, quod pari acceptatur reverentia,& pietatis affectu.Concil.Trident. *ſeſſ.4.Decret.de Can.ſcriptur.* Sed dices quare in hoc Sacramento diſtinguntur plures Miniſtri,& poteſtates, quam in alijs?Reſpondet Doctor meus de Baccone cum S.Thoma, quod hoc Sacramentum non verſatur circa Creaturam, ut cætera, ſed circa verum Corpus Chriſti, cui ſumma officioſitas debetur *in 4.diſt.25.art.2.*

Quæres 3.quæ requirantur ab intrinſeco ad valorem cuiuſcumque Sacramenti? Vide quæ diximus initio Operis pro Fundamento totius Operis pag. 4.

Quæres 4.quæ requirantur ab extrinſeco ut dignè & licitè recipiatur Sacramentum Ordinis, & etiam prima Tonſura; nam quoad hoc venit nomine Ordinis.

Dicendum eſſe ſequentes: Prima ut Ordinandus deferat Dimiſſorias à proprio Epiſcopo, ſivè originis, ſivè beneficij, ſivè domicilij, vel Sede non vacante a Vic.Gen. & Sede vacante à Vicario Gener. Capitulari, ſed poſt Annum à die vacationis.Tridēt. *ſeſſ.7.cap.*10. Et ex Concil.Trident.adde quod ratione familiaritatis Epiſcopus Diæceſim habens, poteſt ſuum familiarem ordinare; *Si tamen fuerit ſecum commoratus per triennium, & Beneficium quacumque fraude ceſſante, ſtatim re ipſa illi conferat*, & Beneficium debet eſſe vacans, & poteſt ordinare famulos ſuorū familiarium, dummodo alantur expenſis Epiſcopi, omni fraude ceſſante;Sed de his omnibus parum ſpectat ad ordinandos; quarè videantur Authores, &

 hic

hìc Salmat. Colleg. Secnnda conditio examen, cui Tridentinum ſubijcit etiam Regulares; excipiuntur tamen ab examinatione notoriè digni. *Clement.* 1. *de Iureiur.* & debent tribus diebus ante Sabbatum de vita, moribus, natalibus, & Doctrina examinari, ſed hoc non video in uſu; ſufficit quod de his omnibus examinentur ante Ordinationē. Tertia conditio quod ad Sacros Ordines ordinentur ad Titulum alicuius Eccleſiæ, vel Beneficij. Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. Excipe Regulares, qui ordinantur ad titulum paupertatis poſt emiſſam ſolemnem Profeſſionem, dempta Societate Ieſu, quæ obtinuit Privilegium à Gregorio XIII. quod poſſunt eius Religioſi ordinari poſt vota ſimplicia &c. Et qui ordinatur ad Sacros Ordines ſine titulo, incurrunt ſuſpenſionem ab executione ordinum, & pariter illi, qui inito pacto cum Ordinante, vel præſentante, non petendi Patrimonium, ſeù ſubſtentationem, Idem dic de eo qui fictè, & doloſè probat habere Titulum, ſeù Patrimonium, licet nullum pactum faciat cum pręſentante, & Ordinante, patet ex Bulla Vrbani VIII. Vide hìc Bonac. Quarta Conditio ut ſervetur Ordo inter unum Ordinem, & alium; nec ordinetur per ſaltum. Quinta Conditio quod ſervētur interſtitia; minores tamen poſſunt conferri eodem die; maiores verò requirunt unum Annum pro interſtitijs; poteſt tamen Epiſcopus diſpenſare ob neceſſitatem, & utilitatem Eccleſiæ; & duo Ordines Sacri eodem die non poſſunt conferri niſi ex diſpēſatione Summi Pōtificis. Quando Epiſcopus diſpenſat ob neceſſitatem, & utilitatem Eccleſiæ, talis neceſſitas morali modo, & prudenter penſari debet, & ſufficit quod quo-

mo

modolibet conducat ad bonum Eccleſiæ, ita communiter. Diſpenſare Regulares interſtitijs an pertineat ad Epiſcopum, vel ad eorum Prælatos. Vide Dianam 3.*par.tract*.2.*reſol*.32.*& reſol*.112.Suar. *tom.* 4.*de Regular.tract*.8.*lib*.2.*cap*.12.*nu*.21.

Sexta Conditio quod recipiens Ordines ſit in gratia, aliòquin reciperet Characterem, ſed non gratiam, & committeret Sacrilegium; Character autẽ eſt ſignum indelebile in anima ĩpreſſum in tota ſubſtantia animæ, non in intellectu ſolùm, aut voluntate, ſed in tota Anima ſimul; quare autem ſit indelebilis vide in quæſt.Miſcell.*q*.22.

Septima Conditio quod non ſit irregularis, nec excommunicatus; de irregularitate vide quæ diximus *art*.8.in hoc Opere cum egimus de Irregularitate,& pariter vide de excommunicatione *q*.4.

Octava Conditio quod ſit confirmatus, non tamẽ ex neceſſitate Sacramenti, ſed ex neceſſitate præcepti; & cum verba Concil.Trident.hoc præcipientis, non importent verùm præceptum, & propriè, ſed decentiam: qui non confirmatus ordinaretur peccaret venialiter tantùm. Sotus *in* 4.*diſp*.4.*art*.8.*concl*.3. Suar.*de Sacr.diſp*.38*ſect*.1. & alij.

Tandem qui eſt initiandus novo Ordine, debet exercuiſſe munus Ordinis iam recepti, ſed ſub culpa veniali obligatur. Trident.*ſeſſ*.23.*cap*.11.*&* 13.Et ordines debent conferri in Eccleſia in propria Diœceſi, & ſolum de licentia Diæceſani in aliena; ne Epiſcopus ordinans incurrat ſuſpenſionem Pontificalium, & Ordinatus ab executione Ordinis, quem ſuſcepit. Trident.*ſeſſ*.6.*de Refor.cap*.5. Si tamen in aliena Diæceſi ſecretò Epiſcopus conferret proprio ſubdito

primam Tonſuram non peccaret mortaliter, nec incurreret ſuſpēſionē, ſicuti īcurreret ſi alios ordines cōferret. Miniſter Ordinarius, & legitimus Ordinis, eſt Epiſcopus. Trident. *ſeſſ.23.can 4. & 7.* Sunt autem Abbates, Cardinales Presbiteri miniſtri Delegati, ſed quales, & quomodo? Vide hìc Colleg. Salm. *ſed ex delegatione Summi Pontificis &c.* ſed quoad Ordines minores, & fortaſſis quoad Subdiaconatum. Sed Materia Sacramētorū eſt invariabilis eſsentialiter; Quare? Vide in Miſcellanea *q.23.* in fine.

ARTIC. II.

Quinam ſint inhabiles ad ſuſcipiendos Ordines iure Divino?

QVæres primò quinam excludantur iure Divino à ſuſceptione Ordinum?

Dicendum tria genera Perſonarum excludi à ſuſceptione Ordinum iure Divino: Primum genus ſunt fæminæ, quibus *ex 2. ad Timot.* nec permittitur loqui in Eccleſia. Contrà. Nam olim in Eccleſia erant Diaconiſſæ, & Subdiaconiſſæ, & Epiſcopæ. Ergo Mulieres iure Divino non ſunt inhabiles ad ſuſcipiēdos Ordines; ſed

Reſp. primò quod iſtæ erant Miniſtræ in Eccleſia in Miniſterijs Eccleſiaſticis, & non erant ordinatę, ſed benedictæ, ut innuit S. Clemens *lib.8. Conſtitut. cap. 19*

ſeu

ſeù dic quod erant Vxores Epiſcoporum, Diaconorum, & Subdiaconorum, ſeparatæ tamen ab illis quoad thorum; & etiam Præsbiteræ dicebantur mulieres ſeniores, & Viduæ, nocte, dieque ſervientes Deo in Templo quoad miniſteria rerum Eccleſiaſticorum, & Suppellectilium, Præsbiter enim idem eſt ac ſenior.

De Fabula poſtea Ioannis VIII. qui dicitur fuiſſe Anglicana fæmina, à prudentibus iuſtè impugnatur, & reijcitur; ſed dato hoc nec fuiſſet verè Pontifex, nec verè Sacerdos. Vide Bellarm.*lib.3.de Pont.Rom cap.*24.Sed

Quæres 2. An ſaltem feminæ poſſint ordinari ad quatuor Ordines minores, aut initiari Prima Tonſura, ſaltem ex diſpenſatione Summi Pontificis.

Dicendum non poſſe, eſto quod Ordines minores eſſent Sacramentalia, & non Sacramenta: nam non poteſt negari quod ſaltem iſti Ordines ſunt diſpoſitiones præviæ ad Ordines Sacros, ſicut novitiatus ad Profeſſionem; undè ſicut non poteſt dari verè Novitius ſi careret capacitate profeſſandi, ita à pari, non ſunt capaces fæminę Diſpoſitionum ad Ordines, ad quos capacitatem non habent iure Divino, propter Sexus imperfectionem. Sic Sanch.*lib.7.cap.* 8.*num.*3. Vaſq.*tom.3.in* 3.*par.diſp.*245.*cap.*3.& alij apud Salm. hìc, & vocatur ab aliquibus, & meritò oppoſita sẽtentia proxima errori, quam tuetur Dicaſtillus *tractat.6.diſp.*1.*dub.* 19.*num.*286.Paludanus *in* 4.*diſp.*25 *qu.*3.*art.*1.Hurtado *Diffic.*20.

Quęres 3. An Hermaphroditus poſſit ordinari?

Dicendum Hermaproditum in quo ſexus virilis pręvalet, nec poteſt eſſe Vxor, validè poſſe ordina-

ri, ſunt tamen irregulares, nam hermaphroditus eſt monſtrum. D.Anton. *3.par.tit:28.cap.6.* §. 5. Silveſter, Navarr. Ledeſma apud Sanch. *tom.2. Conſult lib. 7.cap.3.dub.31.num.3.* Vnde requiritur diſpenſatio, & ſi poſt tractum temporis prævaleret ſexus fœmineus, ſi caſu eſſet ordinatus non poſſet amplius conſecrare, licet remaneat character, quia eſt indelebilis; Si autem mulier evaderet vir poſſet ordinari validè, ſed propter admirationem fieri non deberet inconſulto Summo Pontifice; ſed ſi hoc factum fuiſſet ſine notitia, poſſet licitè, & validè ordinari. Enriq. *lib.14.n.6.*

Secundum genus incapax iure Divino ad Ordines recipiendos eſt non baptizatorum, iſti enim ſunt inhabiles; nam Baptiſmus eſt Ianua Sacramentorum; & character Ordinis ſupponit characterem Baptiſmi D.Thom. *3.par.qu.35.in addit.art.3.*

Tertium genus eſt eorum, qui contra voluntatem Ordines reciperent, nam in adultis requiritur intentio; Vnde ſi abſolutè invitus ordines reciperet.

Dicendum nullo modo eſſe ordinatum; Intentio enim dantis, & recipientis eſt ab intrinſeco neceſſaria in quolibet Sacramento; Quæ intentio triplex eſt Vide quæ diximus *n.*10. Pro fundamento totius operis *pag.*4. Si autem voluntas ſit extorta per metum (dummodo metus non ſit cadens in virum conſtantē) ſufficit ad recipiendum Sacramentum, & ſic ordinatus tenetur ad obſervantiam eorum, quæ ſunt annexa Sacramento. Secus dicendum de metu cadente in virū cōſtantē, nā tūc cū ſit abſolutè invitus poſſet cōtrahere Matrimoniū. *Navar.c.22.n.*51. Metus cadēs ī virum conſtantem, eſt metus mortis, mutilationis, perpetui exilij, Excommunicationis iniuſtæ, Indignationis patris valde auſteri &c. nam tunc eligitur

minus malum ad fugiendum maius.

An Puer ante uſum rationis poſſit ordinari in Sacris?

S.Thomas dicit poſſe talem ordinari Prima Tonſura, & quatuor Minoribus, iuxta interveniente cauſa neceſſitatis, & ſpe profectus futuri, *3.par.qu. 39.art.2.* Sed obſtat iure novo Concil.Trid.*ſeſſ.23.cap.4.* Vnde Ordinans peccaret mortaliter; imò *in cap.nullus epiſcopus* imponitur pæna ſuſpenſionis ordinātibus pueros ante ſeptennium. Sed ſi ordinarentur etiam in Sacris.

Quæres an Ordo teneret, aut iterum eſſent Ordinandi?

Dicendum eſſe validè Ordinatos.

Probatur à D.Thoma, nam Sacramenta, quę imprimunt characterem, ex neceſſitate non requirunt ipſius recipientis intentionem, ut patet in Baptiſmo, & Confirmatione; Character enim confert potentiam, quæ ſemper debet actum præcedere, ipſum Vide D Bonavent.*in 4.diſt.punct.25.art.2.qu.2.*Sanch.*conſ. tom.2.lib.7.cap.3.dub.32.*qui multos refert Auctores. Colleg.Salm.hìc, ubi reſpondet ad contraria argumenta. Si autem Amentes ſic nati, & pueri ordinentur niſi poſt amentiam, & Annos diſcretionis ratificaverint votum Caſtitatis, non tenentur ad illud. Qui autem poſt uſum rationis inciderunt in amentiã, & nunquam Ordines petierunt cenſentur inviti, nec ſunt benè ordinati, quare tunc ſi redeunt ad mentem deberent iterum ordinari ſub conditione.

An Puer poſſit conſecrari Epiſcopus lis eſt ſub Iudice, ego teneo partem negativam; Epiſcopus enim recipit Iuriſdictionem in Corpus myſticum Chriſti, & debet illud regere, Vnde requiritur ſtatus diſcre-

tionis S.Thomas hìc, & alij multi. Inſuper Epiſcopatus ſupponit characterem Sacerdotalem.

Hac occaſione, poſt Tridentinum ætas requiſita ad primam Tonſuram eſt ſeptem annorum, quę communiter creditur ſufficiens ad uſum rationis; ad alios minores, ætas relinquitur arbitrio Epiſcopi; Ad Subdiaconatum Anni 22. Ad Diaconatum 23. Ad Sacerdotium 25. & ſufficit quod ſint incepti etiam per unã horam; ad Epiſcopatum 30 completi, & ſecundum aliquos ſufficit dies inceptus, ſi Ordinato deeſſet ad finiendum tempus, nam in favorabilibus dies inceptus habetur pro completo; nec dies bisſextus eſt neceſſariò computandus neque ad Ordinationem, neq; ad Profeſſionem religioſam. Alij tutius negant. Vide Bonacc. *tom.* 1. *diſp.* 8. *q. unic. n.* 12. Sanch. *lib.* 2. *de Matrim. diſp.* 24. *nu.* 22. & vocatur probabilior à noſtro Gabriel *n.* 22. Hic nota quod ad obtinendum Beneficium ex Tridentino requiritur annus 14. inceptus *ſeſſ.* 23 *cap.* 6. De ſcientia requiſita ad ſingulos Ordines. Vide Trident. Concil. ead. *ſeſſ. cap.* 11. Sed

Quæres quodnam peccatum committeret Epiſcopus ordinando illiteratum?

Dicendum peccare mortaliter Epiſcopum ordinantem eum qui non habet ſcientiam requiſitam à Sacro Concil. Trident.

Probatur, quia in re graviſſima faceret cõtra præceptum Concilij, & irrogaret iniuriam ſtatui Eccleſiaſtico, non aſſignando Eccleſiæ idoneos Miniſtros.

Pro regularibus qui in Cõmunitate degunt, à qua in miniſterijs Altaris adiuvari debent, ſufficit minor ſcientia. Soto *in* 4. *diſt.* 25. *art.* 4. Barboſ. *De Offic. & Poteſt. Epiſc. alleg.* 4*a. n.* 14. Nota quod illiteratus, qui

non

non poteſt muneri ſuo ſatisfacere, quicumque ſit, eſt irregularis, unde exercendo Ordines mortaliter peccaret, à qua Irregularitate non poteſt Summus Pontifex diſpenſare. Ledeſm. *in Summa cap.* 7. *de ordin. concluſ.* 4. Diana *par.* 2. *tract.* 16. *reſol.* 31. Bonac. *diſp.* 7. *de cenſur. punct.* 1. *num.* 2. Sanch. *n.* 3. Quod totum admitto ſi ſit omninò illiteratus, ſed ſi habeat aliqu m peritiam, licèt non tantam, quantum requiritur à Tridentino, credo peccare mortaliter recipiendo Ordines, non tamen eſſe Irregularem; & dato quod talis eſſet irregularis, poſſet à Summo Pontifice diſpenſari; nam hoc impedimentum prçcisæ determinatę ſcientiæ, poſitum fuit à Concilio; ergo poteſt à Pontifice diſpenſari.

ARTIC. III.

De Prima Tonſura. De Minoribus Ordinibus. & de eorũ numero, materia, forma, &c.

ANtequam aliquid de iſtis minoribus Ordínibus dicam: Quæres an ſit peccatum mortale accipere minores ordines, aut Tonſuram animo non perſeverandi, & Deo ſerviendi, ſed ad tempus, interim fruendi Beneficijs, & Privilegijs Clericalibus, & poſtea uxorem ducendi?

Diſſidium magnum de hoc eſt inter Doctores. Vide hìc Colleg. Salm. Quod ſit mortale eſt ſententia tu-

tutior; Certum tamen meo videri eſt, quod ille, qui recipit Primam Tonſuram animo evadendi ſæcularem poteſtatem, & ad ſæculum redeundi peccat mortaliter. Vide verba Trident. Concil. *ſeſſ.* 23. *cap.* 4. Rodriq. *in ſumm. cap.* 17. *num.* 2 & alij multi.

Similiter peccat mortaliter, qui ordinatur animo obtinendi Beneficium dummodo hic ſit unicus, & principalis finis ordinationis, & etiam peccat mortaliter, qui ordinatur præcisè ut diteſcat fructibus Beneficij; An iſti teneantur ad reſtitutionem fructuũ Beneficiorum controvertitur, ſed ſi Beneficium eſſet curatum tenetur reſtituere, ita definitur in *cap. commiſſa de Electione* §. *Cæterum in* 6. Quare qui ordinatur etiam prima Tonſura, debet rectam habere voluntatem ſerviendi Deo, & relinquendi Mundum. Sed

Quæres primò quot ſint Ordines minores?

Vide Doctorem meum Reſolutum in 4. *diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 2.

Dicendum quod ſunt quatuor, Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, & Accolytatus, omnes autem, ut diximus, ſunt Sacramenta, & ut diximus imprimunt characterem, & dant gratiam ſanctificantem, quæ eſt qualitas ſupernaturalis ſanctificans Animam, & regulariter dant ſecundam gratiam, nempè augumẽtum gratiæ illis, qui ſunt in gratia, & etiam gratiam Sacramentalem, ut iam locis citatis, poteſt videri in hoc opere. Character tamen ſemper imprimitur, licet ſuſcipiẽs nõ eſſet in gratia, ſed cõmittit ſacrilegium, recipiendo Sacramentum cum obice peccatĩ peccati mortalis.

Sed contra Prima Tonſura, & Cantoratus ſunt Ordi-

Ordines, Ergo Ordines Minores ſunt ſex.

Reſpondetur quod prima Tonſura non eſt Ordo, ſed Diſpoſitio ad Ordines, in illa enim non traditur particularis poteſtas ad conficiendum Corpus, & Sāguinem Chriſti; ſed nota quod ad hanc recipiendam non requiritur alia diſpoſitio, niſi recta intentio recipiendi Ordines, cauſa ſerviendi Deo, & nuntium mittendi Mundo; nam prima Tonſura eſt prima diſpoſitio ad ſuſcipiendos Ordines, ut Ordines ſunt; & primæ diſpoſitioni non datur diſpoſitio. Cantoratus autem reducitur ad Lectoratum, & hoc officium dabatur etiam non Ordinatis. Pſalmiſtę *d.23. Gloſſ. cap. ClericusV. Pſalmiſta diſt.*1. ſeu dic quod erat munus tonſurati Prima Tonſura, & iſti dicebantur *Pſalmiſtæ. Colleg. Salm. hic cap.3. n.3.*

Hic nota quod licet Ordines cum Sacris ſint ſeptē eſt tamen unum Sacramentum, ratione unitatis finis proximi, qui eſt conficiendi Corpus Chriſti, & miniſtrandi in Altari; Et etiam eſt unum Sacramentum unitate attributionis; Et licet quilibet Ordo imprimat characterem, non ſunt ſeptem characteres, ſed unus ſemper magis dignificatus, & extenſus per ſuſceptionem aliorum Ordinum.

Sed aliquid reſtat pro pinguiori Doctrina de Prima Tonſura dicendum. Uſus iſtius Tonſuræ traxit originem ab Apoſtolo Petro. Vide Bellarm *lib.2. cap. 40. tom.*1. Et D. Iſidorus *lib.2. de offic. Eccleſiaſt. cap.*4. dicit: *Tonſurę Eccleſiaſticę uſus, ni fallor, exortus eſt.* Et intra: *Devotione completa caput radebant.* Qui tonſuratur debet eſſe vir, Baptizatus, Confirmatus, ætate ſeptem annorum, nulla cenſura ligatus, nec debet eſſe irregularis, committeret enim peccatum mortale

tale. Durand. *in Bulla Cænæ can.1.qu.3.num.7.lib.2.* Et ſic initiatus gaudet quatuor Privilegijs; primò Privilegio Canonis: Si quis ſuadente Diabolo (de quo vide in hoc Opere] *qu.4.art.4.num.6.* Secundò Privilegio fori ut à Iudice Sęculari non poſſit conveniri. Tertiò habet exemptionem à collectis ſecularium. Quartò habet capacitatem ad obtinenda Beneficia Eccleſiaſtica. Ita Ledeſma *q* 8. Clericus dicitur à Cleros, quod latinè ſignificat ſortem; electus enim eſt in ſortem Domini.

Notandũ tamen quod Tonſurati ut gaudeant iſtis Privilegijs debent habere conditiones à Tridentino requiſitas *ſeſſ.23.cap.6.de reformat*, nempè vel habeant Beneficium Eccleſiaſticum, aut habitum,& Tõſuram deferant, alicui Eccleſię de mandato Epiſcopi inſerviant,ſeù in Seminario, vel Vniverſitate,aut Schola de licentia &c.commorentur quaſi in via ad ſuſcipiendos Ordines.

Sed dices, quare Clerici deferunt Tonſuram?

Ad ſignificandam vitam puram, & apertam, quã debent habere viri Eccleſiaſtici, & etiam ad repręſentandam Spineam Coronam Chriſti. Quomodo debeat eſſe formata, ad formam Mendicantium Regularium: Vide in litteris Eccleſiaſticis Abbatis Sarnelli. Sic enim eam deferebant antiquitus Summi Pontifices,nempè ad modùm Coronæ.Regale Sacerdotium &c.

Hic nota quod illi qui habent Beneficium pingue, vel Eccleſiaſticam dignitatem, vel ſunt in Sacris conſtituti, ſi per multum tempus non portent Tonſuram,aut habitum Clericalem peccant mortaliter; Pręcipitur enim hoc graviſſimis verbis à Trident.*ſeſ.* 14.

14.*cap*.6.*& ſeſſ*.23*cap*.6.*&* 17.Vide Bonac. *diſp*.8. *qu. unic.punct.ult.n*.3.Limita niſi depoſitio eſset per breue tempus . Limita ſecundò niſi ſit ex iuſta cauſa , ut ad evadendum periculum mortis; ſemper tamen erit mortale ſi dimittatur per breve tempus ad illicita perpetranda ; Limita tertiò niſi Beneficium ſit adeo tenue , ut à recitatione Divini Officij excuſetur. His præmiſſis Quæres quid ſit oſtiariatus?

Dicendum eſſe *Signaculum quoddam , per quod ſpiritualis poteſtas traditur Ordinato ad exercendum munus ſuum* .Et Officium Oſtiarij eſt[licet non ſit ita rigorosè in uſu) aperire Portas Eccleſiæ, arcere indignos ab ea , ut ſunt Ethnici,Energumeni,Excommunicati,Interdicti,publicè pœnitentes,&c. & Cathecumeni , qui olim uſque ad Offertorium ad Miſſam admittebantur ; inſuper cuſtodiebant Sacras veſtes, depoſita fidelium,& Sacram Suppellectilem .

Et quia diximus [quod nunc replico ob maiorem claritatem ad iuniores edocendos] quod in quolibet Sacramento neceſſariò quatuor requiruntur , nempè debita materia , debita forma , debita intẽtio , & debitus Miniſter .

Sciatis quod materia eſt duplex,proxima ſcilicet, & remota, remota ſemper eſt ĩſtrumẽtum,quod porrigitur tangendum;& proxima eſt tactus illius ĩſtrumenti factus ab Ordinando,qui tactus debet eſſe phyſicus materialis , & non moralis ſecundum damnatã propoſitionem ; ne exponamus nos periculo non cõficiendi Sacramentum;Forma ſunt verba Epiſcopi in Oſtiariatu , ita eſt : *Sic age quaſi rationem Deo redditurus pro his rebus , quæ his clavibus includuntur.* Cãpanulã , quæ Oſtiario traditur eſt mera Eccleſiaſti-

ca Cęremonia, nec ſpectat ad materiam huius Ordinis. Hìc pro praxi Vide pag. 11 quomodo materia, & forma Sacramentorum debeant ſimul tempore exiſtere, ut validè conficiantur Sacramenta.

Quæres quid ſit Lectoratus?

Dicendum eſſe *Signaculum quoddã, per quod ſpiritualis poteſtas traditur Ordinato ad exercendum munus ſuum*; quod eſt legere alta voce libros veteris, & novi Teſtamenti; & antiquitus tradebat Cathecumenis rudimenta Chriſtianæ Fidei, legebat extra Miſſam aliquandò Evangelium, benedicebat panes, & novos fructus oblatos à fidelibus; ſed quidquid dicat Vaſq *diſp.* 238. *cap.* 2. non poterat prędicare, ſed alta voce quaſi prædicãdo, recitare quæ legebat; Hoc munus eſt Diaconi, imò Epiſcopi.

Materia remota huius Ordinis, eſt liber continens Prophetias veteris, & novi Teſtamenti; Materia proxima eſt traditio ipſius libri cum tactu phyſico ordinandi; Forma eſt hæc ab Epiſcopo pronunciata: *Accipe, & eſto Verbi Dei relator, habiturus ſi ſideliter, & utiliter Officium tuum impleveris, partem cum ijs, qui Verbum Dei ab initio benè miniſtrarunt.*

Quæres quid ſit Exorciſtatus?

Dicendum eſſe *Signaculum quoddam* (quæ verba ſtant loco generis, & differentiæ (*per quod ſpiritualis poteſtas traditur ordinato, ad munus ſuum exercendum* nempe ad fugandos Dæmones à corporibus obſeſſis exorciſmis ab Eccleſia approbatis. Et olim ante Baptiſmum baptizandos ezorcizabant, quia ſaltem baptizandi, ſpiritualiter à Dæmonibus poſſidentur.

Materia remota huius Ordinis eſt liber Exorciſmorum; proxima eſt traditio, & tactus phyſicus eius;

For-

Forma ſunt verba ab Epiſcopo prolata, nempè: *Accipe, & commenda memoriæ, & habe poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſive baptizatos, ſive Cathecumenos.*

Quæres an quilibet fidelis ſine tali ordine poſſit Dæmones arcere à corporibus obſeſſis? Philibertus *tract.2.par.4.cap.* 4. Negat Suar. *tom.2.de relig.lib.*4. *De Abiurat.cap.2.num.*11. Sanch. *in Opere mor.lib.2. cap.*42.*num.*18.affirmant, dummodo exorcizatio ſit ab Eccleſia probata; *Et qui credit in nomine meo*, dicit Chriſtus, *Dæmonia eiiciet*; eſt enim ſignum veræ Fidei.

Quæres tandem quid ſit Accolitatus?

Dicendum eſſe *Signaculum quoddam per quod Spiritualis poteſtas traditur Ordinato ad munus ſuum exercendum*; & munus ſuum eſt Vrceolos præparare cum vino, & aqua, ut porrigat miniſtris, & lumina præparare, deferre, & accendere.

Materia remota huius Ordinis duplex eſt nempe urceoli vacui cum cereo, unde etiam Ceroferarij dicuntur; proxima eſt porrectio, & tactus iſtius materiæ. Forma eſt hæc: *Accipe urceolos ad ſuggerendũ vinum, & aquam in Euchariſtiam Sanguinis Chriſti in nomine Domini.* Alia eſt in traditione candelabri: nẽpe: *Accipe Ceroferarium cum Cereo, ut ſcias te ad accẽdenda Eccleſiæ lumina mancipari in nomine Domini.*

Sed dices quando imprimitur character ſi duplex eſt materia, & duplex forma? (quod poteſt quæri de alijs Ordinibus duplicem habentibus materiã, & formam] S.Thom. *in 4.diſt.*24.*q.2.art.2.* dicit quod character imprimitur in traditione illius materiæ, quæ eſt principalior, & ſervit immediatius Euchariſtiæ;

& ſic in hoc Ordine imprimitur in traditione urceolorum; Sed tu potes reſpondere, quod ſi in prima porrectione imprimitur Character, in ſecunda dignificatur, & extenditur. Et nota quod in illis ordinibus, in quibus eſt duplex materia remota, utraque eſt eſſentialis. D. Thom. *in 4. diſt. 24. qu. 2. artic. 2.* Vide Salmat. hìc *de Sacram. in genere tract. 8. cap. 3.*

ART. IV.

De Sacro Subdiaconatus Ordine.

QVæres quid ſit Subdiaconatus?

Dicendum eſſe *Signaculum quoddam per quod ſpiritualis poteſtas traditur Ordinato ad exercendum munus ſuum*, quod eſt deſervire Sacrificio Miſſæ Calicem, & Patenam Diacono miniſtrando, canendo ſolemniter Epiſtolam &c. Eius materia remota eſt calix conſecratus, & patena conſecrata (ad hoc ut ſint vaſa Eccleſiaſtica apta tali Miniſterio) ſine pane, & vino; Proxima eſt traditio Epiſcopi, & tactus Ordinandi. An traditio libri Epiſtolarum ſit pars materiæ remotæ controvertitur; Nam olim Epiſtola a ſolo Diacono canebatur, Unde hoc ius introductum fuit ab Eccleſia. D. Thom. *in 4. diſp. 25. q. 1. art. 1* Bonac *diſp. 8. de Sacram. quæſt. unic. p. 3* Palao *tract. 27. diſp. unic. p. 4. n. 13.* Quare charecter ſtante hac opi-

pinione imprimeretur in traditione Calicis,cum Patena. Forma eſt iſta: *Videte cuius Miniſterium vobis traditur;ita vos admoneo, ut ita vos exhibeatis quod Deo placere poſſitis.*

Eſt primus inter tres Sacros Ordines, & hi tres Ordines dicuntur Sacri, non quod minores non ſint ſacri, nam & illi ſunt Sacramenta, ſed quia iſti tres tangunt res Sacras, & nos conſecrant Deo voto ſolemni Caſtitatis.

An iſta obligatio continentiæ ſit immediatè ex prçcepto Eccleſiæ, vel mediante Voto Ordinandorum.

Dicendum in ſuſcipientibus Sacros Ordines obligationem continentiæ oriri non immediatè ex lege Eccleſiaſtica, ſed ex Voto in ipſa Ordinatione emiſſo.Sic S.Thom. 2.2.*qu.*88.*art.*11.*& in* 4.*diſp.*37.*qu.*1. *art.*1.Noſter Gabriel.*diſp.*2.*nu.*55. Franciſcus Bonæ Spei *diſp.unic.n.*94.Caietan.*tom.*1.*opuſc.tract.*27. Sãch. *de Matr.tom.*2.*lib.*7.*diſp.*27.*n.*10. ubi multos enumerat Authores. Quare qui eſt in Sacris, & violat caſtitatem,pariter violat votum, & Sacrilegium cõmittit; Sed hic

Nota quod ſtante Opinione contraria, nẽpè quod qui ſunt in Sacris teneantur ad continentiam non ex Voto,ſed ex præcepto Eccleſię, adhuc eorum peccatum duplicem malitiam habet; nam quando prçcepta multiplicantur ex diverſo motivo,inferunt pariter diſtinctionem peccatorum ſpecificam; ĩ tali caſu enim, præceptum continentię imponeretur ob reverentiam divini miniſterij, & Ordinis Sacri,nempè ob motivum Religionis erga Deum,unde novam adderet malitiam ſpecificandam in Confeſſione. Avert

*qu.*4.*ſect.*7. §.*Præferendus*. Sanch.*tom.* 3. *de Matr.lib.* 7.*diſp.*27.*num.*9.vocat hanc opinionem probabilem, licet ipſe ſequatur noſtram opinionem; idem facit Salm.noſtrum.Sed his temporibus video communiter teneri,quod ſic initiati teneantur ad continentiã, ratione voti. Et efficaciſſimè probatur; nam ſi Ordinati tenerentur ratione præcepti Eccleſiaſtici, & non ex voto, & certè ſolemni, poſſet Pontifex ſine cauſa abſolvere ab ipſa obligatione omnes in Sacris ordinatos, quod falſum eſt; qui enim legem poſuit, poteſt etiam ad libitum eam abrogare ſine cauſa, & abrogata lege poſſent, qui ſunt in Sacris, ducere uxorem, petere,& reddere debitum; Si autem ad hoc tenẽtur ratione voti,ſine urgentiſſima cauſa hoc non licet.

Subdiaconi olim vocabantur Hyppodiaconi,ideſt Subminiſtri,& ſunt mediatè miniſtri Sacerdotis, & immediatè miniſtri Diaconi; Olim non erat Ordo Sacer,quia non habebat annèxum votum caſtitatis; ſed Tempore Urbani II.& fortaſſis antea, factus eſt ſacer,ut ex Innocentio III.colligitur *in cap. a multis de ætate,& qualitate &c.*

Nõ peccãt mortaliter,ſed venial.Diac.vel Subdiaconus miniſtrando, & propriũ munus ſolemniter exercendo in peccato mortali, nam non conficiunt Sacramentum, ut Sacerdos, nec faciunt operationes, quæ ex opere operato conferant gratiam, quibus ponant obicem peccati mortalis. Vilalob.*tom.*1.*tract.* 4.*diffic.*10.*nu.*7.& alij quamplurimi. Antiquitus tamẽ oppoſitum quaſi communiter tenebatur.

Veſtis propria Subdiaconi eſt manipulum; quid autem manipulum ſignificet,vide infra de Sacerdote.

Sed

Sed quia ad hunc Ordinē Sacrum maior Scientia requiritur, ut patet ex Trident *ſeſſ*.25.*cap*.12.de multis interrogatur Subdiaconus, ut de eius ſufficientia ad ulteriores Ordines ſuſcipiendos conſtet, & benè, nam remaneret ligatus,& inſufficiens eſſet ad Sacerdotium recipiendum.

Solent interrogari de differentia,quæ reperitur īter Sacramenta novæ,& veteris legis, pro qua vide quæ diximus *Pro Fundamento totius Operis*,præſertim *n*.6.ſed melius à *n*.6. uſque ad 11.

De Cenſuris;pro quibus vide in hoc Opere *q*.4.*per tot.& art*.8.Vide de Irregularitate,Suſpenſione, &c.

De Peccatis;& Differentia inter mortale, & veniale *q*.6.Tenetur etiam Subdiaconus ad ſerviendum Eccleſijs ad quas deputatur, & ad recitationem Divini Officij ſub pæna peccati mortalis; ex generali, & receptiſſima conſuetudine Eccleſiæ.Suar.*tom*.2.*de Relig*.*lib*.4.*de Orat*.*cap*.18.*n*.2.

Nec ab hoc onere liberantur Suſpenſi, Interdicti, Excommunicati,Degradati, reportarent enim commodum ex proprio delicto. Damnati tamen ad triremes,probabiliſſima eſt ſententia,quod ab hoc onere liberentur,propter decentiam Eccleſiaſtici ſtatus, ne agnoſcantur ab omnibus religioſi, & ne afflictio addatur afflicto. Sanch.*de Matrim*.*lib*.8.*diſp*.8.*n*.11. Salmatic.noſtrum *re recit*.*Offic*.*cap*.9.*par*. 1. & alij multi,quidquid aliqui dicant.

Divinum Officium: *Eſt laus Dei voce expreſſa per Eccleſiæ inſtitutionem determinata*; dicitur etiam Officium Canonicum, nam eſt Officium particulare Clericorum præſertim in Sacris, Deum laudare, & dicitur Canonicum, nam Canones determinant certa

 tem-

tempora ad horas recitandas. Vide Toletum *lib. 2. Inſtit. Sac de Offic. Divino.*

Septem ſunt Horæ Canonicæ, nempè: Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſpere, & Cõpletorium; Septies in die David laudabat Deũ, ſic à nobis vult laudari; Nam ſepties in die cadet iuſtus, & reſurget per regreſſum ad Deum; Septẽ ſunt dona S. Spiritus; Septem ſunt Hominum ætates; Septima die requievit Deus à Creatione, & iſtæ Horæ ſignificant Chriſti Paſſionem; Matutinum ſcilicet quando fuit captus, & ligatus in Orto; Prima cum in Domo Caiphæ fuit alapis percuſſus, & ſædatus ſputis; Tertia quando fuit ad mortem damnatus; Sexta cum fuit Cruci affixus; Nona cum fuit mortuus, & lancea perforatus; Veſpere cum de Cruce fuit depoſitus; Completorium cum fuit tumulatus; totum his verſibus exprimitur:

Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat;
Prima replet ſputis; dat cauſam Tertia mortis:
Sexta Cruci nectit; latus eius nona bipertit;
Veſpera deponit; Tumulo Completa reponit.

Tenentur enim ad recitationem Divini Officij, qui habent Beneficium Eccleſiaſticum, licet non ſint in Sacris, ſed adeſt pulcherrimum dubium; An v.g. Paulus in minoribus habens Beneficium Eccleſiaſticum peccet mortaliter omittẽdo divinũ Officiũ cũ animo non retinendi ſibi fructus Beneficij illius diei, ſed illos omninò inter pauperes diſpenſandi? Ratio dubitandi eſt, quia obligatio Beneficiati fundatur in eo, quod recipit ſtipendium, & mercedem pro labore, & onere recitandi Divinum Officium; undè peccat contra Iuſtitiam, retinendo fructùs, quare omnis culpa

pa ceſsabit, & obligatio, ſi velit fructus diſpenſare i-ter pauperes, nihil ſibi retinendo.

Dicendum tamen cum Card. de Lugo *in reſponſ. moral. lib. 5. dub. 6. nu. 2.* Et cum Colleg. Salm. *cap. 2. de recit. Divin. Offic. p. 4.* Paulum peccare mortaliter, nam ageret contra finem primarium ab Eccleſia intentũ in Inſtitutione Beneficiorum, qui eſt eius ſervitium exgibitum in recitatione Divini Officij. Inſuper adeſt hic duplex præceptum, unum antiquum, obligans omnes Beneficiatos ad talem recitationem; aliud novum Concilij Lateranenſis, & Pij V. de reſtituendis fructibus, & unum præceptum poteſt ab alio ſeparari; quare peccaret graviter contra antiquum præceptum. De Intentione, & attentione, quæ requiruntur ad ritè perſolvendum Divinum Officium, Vide in *Quæſt. Miſcell. q. 11. & q. 15. art. 1. De Oratione, de primo Decalogi Præcepto.*

ARTIC. V.

De Sacro Diaconatus Ordine.

QVæres primò quid ſit Ordo Diaconatus?

Dicendum *eſſe Signaculum quoddam per quod ſpiritualis poteſtas traditur Ordinato ad exercendum ſuũ Officium*, nempè miniſtrando Sacerdoti offerenti, canendo Evangelium in Miſſa ſolemni; in abſentia Epiſcopi, ſeu Sacerdotis, & de eorum licentia ſolemni-

ter baptizare,pariter de licentia Epiſcopi prædicare, & in abſentia præsbiteri Euchariſtiã diſpenſare; quæ omnia faciendo in mortali non committit Sacrilegium,ſecundum rationem iam dictam à Salmat. noſtro hìc,ſed ego dubito de diſpenſatìonc Euchariſtiæ in peccato an mortaliter peccet,licèt his tempo ribus nõ ſit in uſu ſaltem in noſtris Regionibus, quod Diaconi illam diſpenſent propter multitudinem Sacerdotum. Aliqui tamen volunt,quod ĩ magna ſolẽnitate quando Parochus eſt occupatus Confeſſionibus, & prædicationibus poſſit diſpenſare Euchariſtiam Diaconus, ſicut in Articulo mortis ſi alius Sacerdos non adeſſet; imò ſecluſo ſcandalo in articulo mortis etiam laicus, qui quoque poteſt ſeipſum communicare Diana *par.8.tit.1.reſol.*48.& alij.Amicus tamen reſtringit ad caſum quando eſſet moriturus in peccato mortali, & non poſſet ſuſcipere aliud Sacramentum. Sed tunc videndum eſſet, an poſſet (meo videri) ſe per contritionem iuſtificare.

Materia remota huis Sacri Ordinis,duplex eſt,nẽpe.Liber Evangeliorum ,& impoſitio manuum Epiſcopi, [quidquid aliqui minus probabiliter ſentiant] Sic Caietan. *tom*.1.*Opuſc.tract.*26.Lugo *De Sacram. diſp.*2.*ſect.*4.*n.*10.Dicaſtill. *tract.*6.*diſp.*1.*dub.*12. & aliqui ex noſtris à Collegio Salmat. cirati cum alijs Authoribus.

Forma in manuum impoſitione hęc eſt: *Accipe Spiritũ S. ad robur,& ad reſiſtendũ Diabolo,& tẽtationibus eius.* In traditione libri Evangeliorum eſt iſta: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Ecleſia Dei tam pro viuis,quã pro Defunctis, in nomine Domini.*

Principalis autem materia huius Sacramenti præ-

ſertim

ſertim in Eccleſia Latina eſt liber Evangeliorũ;Unde Conc.Florent.in Decreto Eugen.IV.dicitur quod per libri traditionem confertur Diaconatus, & in iſta traditione Character imprimitur pariter, ſeu augetur; & gratia confertur.D.Thom.*in* 4.*diſt*.24.*q*.2. *art*.3.*ad Sanctiſſimum & 3.par.q*.37.*art*.5.*ad* 5.Tactus erit materia proxima.

Sed dubium eſt, an in ſola traditione libri cõſiſtat Sacramentum, vel eſſentialiter requiratur manuum impoſitio Epiſcopi. Et certè tutior ſententia tenenda eſt,quod etiam iſta manuum impoſitio ſit pars eſſentialis huius Ordinis; Per iſtam enim impoſitionẽ tam in Diaconatu,quam in Præsbiteratu gratia confertur; & colligitur evidenter ex D.Paulo 2.*ad Timot.& 4 Thimot.Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum præſbiteri.* Unde Concil. Trident.*ſeſſ*.23.*can*.4.ſic ſtatuit: *Si quis dixerit per ſacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctũ*, *ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere*: *Accipite Spiritum Sanctũ: Anathema ſit*. Sed id per quod in Ordine gratia cõfertur, eſt pars eſſentialis Ordinis;Ergo &c. Sed

Dices quando ergo imprimitur character? Poteſt reſponderi in traditione libri Evangeliorum,quia eſt pars prĩcipalis,& ĩ Ordinibus duas materias habẽtibus, in principali imprimitur, ut dictum eſt; Sed tu dic ad evadendas difficultates, quod ſi character imprimitur in porrectione primæ materiæ, in ſecunda porrectione idem character dignificatur,& extenditur.

Veſtis propria Diaconi eſt ſtola ſuper humerum ſiniſtrum ad differentiam Sacerdotis, qui tenet illã ſuper utrumque humerum; Stola enim ſignificat Iu-

gum

gum Chriſti,quod perfectius debet ferri à Sacerdote, quam à Diacono, ſeù dic; *Vnum orarium oportet Levitam geſtare in ſiniſtro humero propter quod orat, ideſt predicat: dexteram autem partem oportet habere liberam, ut expeditius ad Miniſterium Sacerdotale diſcurrat. cap.* 103.*Diſt.*25. Dalmatica, quæ dicitur a regione Dalmatię, ubi primò fuit in uſu, non eſt veſtis propria Diaconi, ea enim utitur etiam Subdiaconus, licet propriè tunc dicatur Tunicella, nam habet manicas ſtrictiores. Ad Evangelium deferuntur luminaria, ad ſignificandam lucem ad ſalutem, quam nobis attulit Evangelium, & hoc ſignificat bonum Nuncium, certè bonum Nuncium, nam vitam annunciavit æternam. Diaconus idem eſt ac Miniſter, & eſt Miniſter immediatus Sacerdotis.

Sed contra ad ea quæ diximus: initio Eccleſiæ non erat Evangelium; Ergo liber Evangelij non eſt pars eſsentialis huius Ordinis?

Reſp. Vel tunc diſpenſationem Chriſti adfuiſſe ad tempus, quia non erat editum Evangelium; vel

Reſp. Quod dabatur aliqua Carta in qua Scripta erat aliqua materia Fidei. Vide Enriq. *cap.*8.

Hic obiter quære an Pontifex poſsit, ſolo verbo, creare Diaconum, Sacerdotem, aut Epiſcopum.

Vide in hoc Opere in quæſt. Miſcell. Quæres 23. quæ omninò debet videri, nam ad multa deſervit. Nota quod Ordinati Diaconi aut Subdiaconi à Papa non poſsunt ab alio promoveri (intellige ſine diſpenſatione) ad ordines ſuperiores. *Cap. cum in diſtribuendis de temp. ordin. &c.*

AR-

ARTIC. VI.

De Sacro Præsbiteratus Ordine.

PRimò quæro quomodo definiatur Sacerdos.

Dicendum quod eſt vir cultui veri Dei auctoritate Divina, determinatis perſonis firmiter conceſſa, deputatus. Pręsbiter enim idem eſt ac Senior, nam talis eſſe debet quoad mores.

De Fide eſt in Concil. Florent. ex Decreto Eugenij, materiam remotam Ordinis Sacerdotalis, eſſe Patenam cum Hoſtia. Quarè munus huius Ordinis eſt poſſe conficere Sacramentum Euchariſtię; Materia autem proxima, erit tactus materiæ remotæ; & quidem phyſicus ad ſecuritatem Sacramenti; & forma illa verba: *Accipe poteſtatem ad offerendum Sacrificium Deo, Miſſaſque celebrandas pro vivis, & mortuis in nomine Domini*. Et in traditione talis materiæ caracter imprimitur. Unde talis Ordo definitur: *Eſt ſignaculum quoddam* (adde ſemper, *Eccleſiæ*) *per quod traditur Ordinato ſpiritualis poteſtas ad exequendum munus ſuum*; ſed quia varia ſunt munera Sacerdotis, nempè ad ligandum, & ſolvendum, & ad cōferenda alia Sacramenta, præter Confirmationem, & Ordinem; Ideo quæritur an impoſitio manuum

Epi-

ſcopi cum verbis: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis &c.* ſit pars eſſentialis huius Sacramenti ?

Dicendum eſſe partem eſſentialem. Conſtat enim per talia verba novam Sacerdotē accipere poteſtatē, ad ligandum, & ſolvendum, & gratiā Spiritus S. Sed illa pars, quæ in ordine confert poteſtatem, & Spiritum S., eſt pars eſſentialis illius Ordinis; Ergo &c.

Undè ſi moreretur Epiſcopus ante impoſitionem manuum ille Sacerdos non poſſet ligare, & ſolvere, & deberet ſuppleri per aliam Ordinationē. Colleg. Salmat. noſter Vualdenſis *tom.* 1. *de Sacram. cap.* 123. Noſter Lezana, & noſter Franciſcus Bonæ Spei, & multi alij, & tunc caracter augetur, & dignificatur per novam poteſtatem. Sed

Queres ſi Epiſcopus porrigeret ſolam Patenam cum Hoſtia, aut ſolum Calicem cū vino, eſſet ne bene Ordinatus talis Ordinandus Sacerdos ?

Lis eſt ſub Iudice, ſed probabilius.

Dicendum utramque ſpeciem tradendam eſſe de neceſſitate Ordinationis Sacerdotalis. Probatur ex Conc. Florent. in Decreto Eugenij, ubi dicitur *Materiam eſſe illud per cuius traditionem traditur Ordo, ſicuti Presbiteratus traditur per Calicis cum vino, & patenæ cum Hoſtia porrectionem* Sacramentum enim Euchariſtiæ non ſalvatur in una tantū ſpecie, & licèt in qualibet ſpecie ſalvetur partialiter vera ratio Sacramenti non tamen quælibet ſpecies eſt totum, & integrum Sacramentum : Vide hic Colleg. Salm. Dianam ſeipſum retractantem *p.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 119. Sed

Dices ergo ille qui ſumit ſolam ſpeciem panis, ut laici, non ſumere verū Sacramentum contra Triden. *ſeſſ.* 21. *cap.* 3. Re-

Reſpondit D. Bonaventura *in* 4.*diſt.*11.*art.*2.*quæ.*2. Quod laicus recipit totum, & verum Sacramentum quoad efficaciam, & rem contentam, ſed non totũ quoad ſignificationem,quæ eſt ex vi Sacramenti explicita, & per ſe, ratione integri convivij, & Sacrificij, quod requiritur ad integram eſſentiam huius Sacramenti, ut fuit à Chriſto inſtitutum; nam Euchariſtia ut Sacrificium repræſentat Sacrificiũ cruẽtum Chriſti in Cruce, quod morte, & effuſione ſui ſanguinis conſumavit;quod non ſignificatur per unã, vel alteram ſpeciem tantũ, ſed per utramque ſimul, quæ dum conſecrantur ſeparatim, repręſentant ſanguinis effuſionem,& mortem Chriſti, & integram, & completam rationem Euchariſtiæ ut Sacrificium, & etiam ut Convivium eſt, nec obſtat ſi dicas:

Corpus, & Sanguis Chriſti eſt in utraque ſpecie; ergo &c.

Reſp. quod hoc non eſt ex vi verborum, ſed per concomitantiam; Concomitantia enim ſe habet per accidens ad conſecrationem ſpecierum, nam ſi in triduo mortis conſecratæ fuiſſent ſpecies panis, non continerent Sanguinem,& è contra.

Unde nota pro examine,quod ex vi verborum in conſecratione Corporis venit tantùm Corpus Chriſti, per concomitantiam verò Sanguis,& Divinitas; non enim poteſt eſſe Corpus vivum, niſi adſit Sanguis, neque Corpus Chriſti,niſi adſit Divinitas;ſicuti in Conſecratione Sanguinis ex vi verborum venit Sanguis tantùm, ſed quia non poteſt eſſe Sanguis vivus niſi ſit Corpus, per concomitantiam adeſt corpus,& Divinitas. Sacrificium ſic definitur. *Eſt oblatio facta Deo per immutationem alicuius rei in ſignum ſn-*

Supremi Dominij ſuper omnes res, ex legittima inſtitutione. Vide in hoc Opere Artic. primum de primo præcepto Decalogi.

Tres ſunt partes eſſentiales Sacrificij Miſſæ, ſcilicet Conſecratio, Oblatio, & ſumptio; Oblatio Corporis Chriſti fit poſt conſecrationem illis verbis: *Supplices te rogamus &c.* Nam prima Oblatio ante Conſecrationem, eſt Oblatio materiæ Panis, & vini, non Corporis, & Sanguinis Chriſti; & quia ex vi verborum ſeparatur Sanguis à Corpore, & victima mactatur, ideò Miſſa habet veram rationem Sacrificij.

Verba conſecrationis Corporis ſunt: *Hoc eſt enim Corpus meum.* ly *enim* non eſt de neceſſitate Sacramẽti, ſed Præcepti; Unde peccaret mortaliter qui advertenter, & per contẽptum illud omitteret; faceret enim contra præceptum in re gravi. Verba Conſecrationis Sanguinis ſunt: *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei novi, & æterni &c.* Verbum *enim* pariter eſt de neceſſitate præcepti, undè &c. Et licet videatur exprimi bene Traſubſtantiatio per iſta verba: *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei:* attamen ſubſequentia verba debent proferri ſine reſtrictione intentionis ad cõſecrandum per ſola verba iam dicta, quia omnia ſubſequẽtia Chriſtus protulit, & etiam ad maiorem ſecuritatem. Doctor meus de Baccon. S. Antoninus. Vide validas rationes in Colleg. Salm. *tract.* 4. *cap.* 5. *de Sacram. in genere* Contraria ſententia à multis malè creditur carere omni difficultate, & certè eſt valdè dubia, nec in praxi tenenda. Vide apud Salmat. *de Sacram. in genere tract.* 4. *cap.* 5. *p.* 3. Bacconem meum *in* 4. *ſent.*

Quę-

Quæres an Pōtifex poſſit diſpenſare, quod Sacerdos conſecret Panem ſolum, aut ſolum vinum?

Affirmant *Azor.tom.*1.*Inſtit.moral.lib.* 10.*cap.* 19. *q.*2. Facund.*de Præcept.Eccl.præcept.pr.lib.*3. *cap.*5.*n.*5 Sanch.*tom.*3.*de Matrim.lib.*8.*diſp.*1.*num.*6. Diana *par.* 8.*de Poteſt.Pontif.reſolut.*23.*& alij.*

Dicendum tamen non poſſe, &

Nota duplex eſſe Ius divinum. Unum ex ſolo Dei arbitrio derivatum, ut de non mentiendo, de non fornicando &c. & in hoc nullo modo nec mediatè, nec immediatè diſpenſare poteſt Pontifex. Aliud eſt ius Divinum ortum, & fundatum in actu, vel contractu humano, ut eſt v.g. Votum, Matrimonium ratum, & ſimilia, & in iſtis Papa poteſt diſpenſare, non quidem auferendo obligationem ortam iure humano, aut divino, ſed tollendo mediatè fundamentum talis obligationis, nempè promiſſionem, aut ipſum contractum humanum, quod certè poteſt facere Pontifex, quia contractus humani in qnantum tales ſunt, illi ſunt ſubiecti, ut affirmat D. Thom. 2.2.*q.*88. *art.*10.*ad.*2. Quod propriè non dicitur diſpenſare in iure Divino, ſed fundamentum obligationis auferre, quam Obligationem ſubierat per actum propriè voluntatis, & tunc ceſsat obligatio iuris divini, & naturalis, ex tali actu humano orta; Divinum, & naturale ius (hoc valdè nota) obligat, ut qui habet votum illud impleat, & ſuper hoc non poteſt Pontifex diſpenſare remanente voto. Quod verò v.g. Franciſcus habeat votum non eſt iuris Divini, ſed eſt ſuæ voluntatis effectus, quam voluntatem poteſt Pontifex impedire, & auferre votum. His notatis cum integritas conſecrationis ſub utraque ſpecie ſit iuris

di-

divini,non fundata in actu,ſeu contractu hominis ſuper quos Pontifex habet Poteſtatem, ſed pendeat ex ſola Chriſti volũtate,ſequitur quod mediatè,nec immediatè poſſit ſuper hoc Pontifex diſpenſare; & nota quod non eſt dubium quod utraque ſpecies pertineat ad integritatem Euchariſtiæ, unde Pontifex nõ poteſt declarare ſeu iterpretari ſuper hoc. Vide Trident. *ſeſſ.*22.*cap.*1.*& Can.*2.Salmat. *de Sacr. in genere punct.*3.*de Euch.*

Materia, quæ poteſt,& debet conſecrari debet eſſe præſens conſecranti. Sed

Quæres qua diſtantia?

Reſp. Tanta, quanta poſſit demonſtrari per pronomina: *Hoc*,vel *Hic*, Undè Sacerdos poteſt ſolùm validè conſecrare tantam quantitatem, quantam poteſt habere præſentem moraliter, & ad ſenſum; Undè ſi magnitudo panis,& vini tanta eſſet, ut non poſſet ſecundum ſuam longitudinem moraliter, & ad ſensũ eſſet præſens conſecranti,non poſſet totam cõſecrare,ſed ſolum illam partem,quæ moraliter, & ad ſenſum eſſet præſens; Sed Vaſq. *diſp.*171.*cap.*4.*n.*25. Palaus *diſp.unic.pun.*6.tenent quod ſufficiat partem illius magnitudinis præſentem eſſe, ut tota ſimul remaneat conſecrata, dummodo continua ſit Card. de Lugo *diſp.*4.*ſect.*7.Laym.*tract.*4.*cap.*2. Noſter Corneio, & noſter Gabriel docent diſtantiam quinquaginta paſſuum,eſſe dubiam ad validam Conſecrationem, quadraginta paſſuum pgobabilem, viginti autem certam, & ego reputo eam incertiſſimam, nam in diſtantia viginti paſſuum non poteſt dici *Hoc* vel *Hic*. Debet inſuper ita materia eſſe præſens, ut ſenſu percipi poſſit, unde clauſa in ciborio non poteſt

ſal-

ſaltem certò conſecrari;quare Sacerdos ſe exponeret periculo non conficiendi Sacramentum;Noſter Frãciſc.*n*.94. Clauſa tamen in vaſe, dummodo præſens ſit, certò conſecratur,nam poteſt demonſtrari ad sẽſum per pronomen *Hoc*,vel H*ic*.

Quæres an Sacerdos cæcus, qui nullo ſenſu materiam percipit poſſit validè conſecrare?

Dicendum poſse,dummodo ex relatione alterius, de illa præſentia certificaretur, & eam facilè poſset tangere.Sotus *in* 4.*diſt*.9.*q*.1.*art*.2. teſtatur ſe vidiſse Tridenti Epiſcopum cæcum,ex diſpenſatione Summi Pontificis celebrantem.Henriq. *lib*.8.*cap*.15.*numer*.2. & multi alij etiam ex noſtris,ut Anton.Franciſcus,& Gabriel.

Inſuper materia debet eſse determinata intentione conſecrantis; & ſufficit intentio virtualis, ad cõſecrationem validam; Unde ſi ex centum hoſtijs prę-ſentibus, velit ſolum conſecrare decem, eas non deſignando, nullam conſecraret, & eſt communis.

Guttæ vini adhærentes in ſuperficie Calicis ſi ſint extra Calicem non remanent conſecratæ,niſi Sacerdos eas conſecrare intendat, ſed tunc committeret Sacrilegium.Laym.*n*.15.Palaus *n*.4.Bonac.*n*.7. quæ autem ſunt intra Calicem ſeparatæ à reliquo vino, pariter non conſecrantur, niſi hoc particulariter intendatur à celebrante, conſecratur tamen totũ quod eſt per modum unius continui. Suar.Laym. Hurtado *diſp*.2.*diffic*.16.contra Bonaccin. oppoſitum ſentientem *diſp*.5.*q*.2.*punct*.6.7.

Quæres an Sacerdos, qui conſecrat duas Hoſtias credens unam eſse an verè utramque conſecret, vel illam tantum quam habebat ante oculos, licet vide-

at ſolum ſuperpoſitam?

Aliqui volunt conſecrare ſolùm illam, quam habet ante oculos, nam videtur habuiſſe intentionem ſolum illam conſecrandi; ſed

Dicendum utramque verè conſecrare, nam habet intentionem ſaltem virtualem [quæ ſufficit] conſecrandi totum quod habet in manibus Navar. *cap.* 36. *n.*91. Suar. *diſp.*43.*ſeſſ.*6.Card.Lugo *diſp.*4.*ſeſſ.*7.Col. Salmat.& alij multi. Dummodo Sacerdos non reſtrĩgeret suam voluntatem ad conſecrandum solũ quod videt, ſed hoc non fit, nec debet fieri, ut benè notat idem Suar.

Quæres an ſi in Pixide plena particulis conſecratis miſceatur confusè particula non conſecrata, poſſit illa particularis particula conſecrari, licet ignoretur quæ ſit?

Dicendum nullo modo poſſe, nam non poteſt deſignari, & materia debet eſſe determinata, ſed

Quæres quid agendum?

Dicendum debere totum ſub conditione conſecrare quod conſecratum non eſt. Diana *tom.* 9. *tract.* 8. *miſcell.reſol.*64. Noſter Franciſc. Bonæ Spei *n.*121. & alij multi.

Nota quod verba conſecrationis proferuntur à Sacerdote recitativè, & ſignificativè ſimul; recitativè eſt referre Chriſtum Dominum ita dixiſſe quando conſecravit, ſignificativè eſt ſignificare præſentem materiam per ly *Hoc*, vel *Hic*, unde applicantur illa verba ad eamdem materiam ſic pręſentem D.Thom. 3.*par.qu.*78.*art.*5. Noſter Franciſcus *diſp.*3. *dub.*3.& multi alij cum noſtro Colleg. Salm.

Di-

Quæres quid ſignicfietur per illa Pronomina *Hoc*, & *Hic*?

Dicendum per Pronomen *Hoc* ſignificari ſubſtã-tia ſub ſpeciebus Panis contenta vagè ſumpta, ut non ſit determinatè panis, neque Corpus Chriſti, ſed ſolum ſubſtantia contenta ſub illis ſenſibilibus accidentibus. Idem dic proportionaliter de Pronomine *Hic*. Unde per verba Conſecrationis ſignificatur converſio ſubſtantiæ panis in Corpus Chriſti, & præſentia ipſius ſub his ſpeciebus; & ſenſus eſt, quod contentum ſub his numero ſpeciebus quod artè conſecrationem non eſt Corpus Chriſti determinatè, in fine prolationis verborũ eſt Corpus Chriſti. Coll. Salmat.hic,ubi citat Sanctum Thom.*3.par.q.78.art.5* & multos alios, & ex noſtris Corneium,Philippum, & Gabrielem &c.

Quæritur à quo dicatur Miſſa,nempe Miſah.

Dicendum Vocabulum hebraicum eſſe, & ſignicat Oblationem. Ite Miſſa eſt: ideſt Miſſa eſt oblatio ad Deum. Unde ſic poteſt definiri: Eſt Oblatio Corporis,& Sanguinis Domini ſub alienis ſpeciebus facta,Sacrificij ab ipſo ſemel exhibiti expreſſiva.

An Miſſæ Sacrificium oblatum v.g.pro decem,tãtum ſingulis proſit quantum prodeſset uni,ſi pro illo ſolo applicaretur Vide in miſcell. *quæſt. Quæres 26.*

An Sacerdos Regularis validè applicet Sacrificium, licèt non licitè contra præceptum ſui Prelati. Vide pariter *in Miſcell.q.27.*De Miſſa vide multa in hoc opere Verbo *Miſſa*,& pariter de diſpoſitione ad recipiendam Euchariſtiam.

Quid ſignificent partes Miſsæ, quæ tres ſunt,quarum prima eſt quæ antecedit ipſam Oblationem, uſ-

que ad Offertorium excluſivè, quæ dicitur etiam Miſſa Cathecumenorum, nam in primitiva Eccleſia ad eam permittebantur eſſe præſentes, ſtatimque Diaconus dicebat canendo:Ite Miſſa eſt; ideſt exite foras, incipit enim Oblatio, & Sacrificium.Secunda eſt ab Offertorio uſque ad poſt communionem. Tertia eſt à poſtcommunione uſque ad finem. Vide quid ſignificent, & Myſteria, quæ latent in qualibet funtione Miſſæ apud Toletum in additionibus Fornarij Inſtruct.Sacerdot.*lib.2.cap.5.*

Quæres an Miſsa boni Sacerdotis ratione Sacrificij ex opere operato, & tanquam publici Miniſtri Eccleſiæ, tantum valeat, quantum valet Miſſa Sacerdotis exiſtentis in mortali. Dicendum quod ſi conſideretur Miſſa ratione precum Sacerdotis, ut quędam perſona particularis eſt,plus valet Miſſa boni,quam mali Sacerdotis; imo Miſſa mali Sacerdotis ipſi valdè nocet, manducat enim, & conſecrat indignè, ſed ratione Sacrificij ex opere operato, eis eſt eiuſdem valoris. An Defunctis magis proſit Miſſa de Requiem, quam de Sanctis.

Dicendum æquè prodeſſe, nam ſi de Requiẽ magis prodeſt ratione precum; de Sanctis magis prodeſt ratione interceſſionis Sanctorum, in quorum honorem offertur; & ideo Romæ iure ſancitum eſt, ut certis diebus non celebrentur Miſſę de Requiem, ſed de Sanctis occurrentibus, pro Defunctis tutè,& ſine ſcrupulo.

Quoad Panem,& vinum, quæ ſunt materia huius Sacrificij, Nota quod Panis debet eſſe triticeus uſualis, licet adeſſent aliqua grana ordei, dummodo remaneat panis uſualis, & triticeus, & vinum pari-

ter

ter debet eſſe vinum uſuale, ſed hoc clarum eſt apud omnes.

De defectibus occurrentibus in celebratione Miſſæ. Vide in initio Miſſalis regulas.

Si Sacerdos poſt conſecrationem ſumeret Corpus, & in ſumptione calicis deprehenderet per errorem non fuiſſe poſitum vinum, ſed aquam, denuò ponat vinum, conſecret, & facta oblatione materiæ, ſaltem mentaliter, ſumat non ieiunus, nam pręceptum integritatis Sacramenti prævalet præcepto Eccleſiaſtico de ieiunio naturali, in ſumptione Euchariſtiæ, quod fregerat bibendo aquam; Si poſt utramque ſũptionem, & purificationem inveniret aliquod fragmentum Hoſtię, poſſet illud ſumere non ieiunus, quia tunc cenſetur una menſa, imò, & in Sacriſtia nondũ totaliter ſpoliatus veſtibus Sacerdotalibus, dum nõ adſit alius Sacerdos celebraturus, qui poſſit illud in calice ad Altare deferre, & tempore debito ſumere. Euchariſtia cauſat gratiam in ipſa manducatione; niſi mãducaveritis &c. unde ſi Sacerdos moreretur cum Hoſtia adhuc in ore non recepiſſet illam gratiam, quæ ab hoc Sacramento confertur.

Sacerdotes novi conſecrantes cum Epiſcopo omnes ſimul conſecrant ſi verba conſecrationis terminent cum Epiſcopo, ſed hi debent habere intentionem conſecrandi cum Epiſcopo abſolutè conſecrãte, et ſi panem non conſecraſſet non finiendo cum Epiſcopo, pariter debent habere voluntatem ſaltem implicitam, nec conſecrandi Calicem; nam non poteſt conſecrari licitè Calix, Hoſtia non conſecrata; Vide Coll. Salmat. noſtrum *de Sacram. in gener. tract. 4. cap. 9. De Miniſtro Euchariſtiæ*, & quia materia de-

bet eſſe præſens conſecranti, ut diximus, Epiſcopus tunc pro omnibus præſens eſt, & alij ſaltem præſentia morali pręſentes ſunt. Si Corpus Chriſti poſt cōſecrationem appareret in carne viſibili in Hoſtia, nō deberet ſumi, ſed deponi in Sacrario, nec tenetur iterum conſecrare aliam Hoſtiam, licet poſſit, nam Miraculum diſpenſat ab obligatione perficiendi Sacramentum. Si Sacerdos dum eſt in Altari videat cadere Eccleſiam, aut inimicum eum occidere volentem, ſi eſt ante conſecrationem poteſt fugere, ſi poſt conſecrationem ſtatim ſumat, ſi poteſt, aut ſecum deferat in Corporali; Sed ſi hoſtis vellet eum occidere in odium Fidei, ſi non deſiſteret, tenetur tunc non deſiſtere, ſed mortem pati. Vide in hoc opere de Confeſſione Fidei quæ diximus *q.13.de Fide* Nota quod nullo caſu[excepto die Nativitatis]poteſt plures miſſas celebrare idem Sacerdos: conſuetudine enim abrogatum eſt quod fiebat antiquitus. Victoria *in Summa* Sacrum.*q.*96.& Suar. *diſt.*8.*ſect.* 1. dicit tres Miſſas Nativitatis, poſſe in nocte omnes celebrari, ideſt ante auroram.

Applicare Miſſas, & fructus illius conferre, poſſunt etiam facere ſecundum aliquos, Sacerdotes novi cum Epiſcopo conſecrantes independenter ab alijs, & fructus Miſſæ dividitur in tres partes; Primus applicatur ab Eccleſia toti Populo Chriſtiano præcipuè Pontifici, & Principibus, & dicitur univerſalis; Secundus dicitur medius, & applicatur à Sacerdote cui voluerit; Tertius competit ipſi Sacerdoti, & dicitur particularis; prius pro ſe, deinde pro populo, & iſtum non poteſt alteri applicare, nec pro ipſo accipere ſtipendium, eſſet enim contra Decre-

ta Pontificia. Quid ſignificet Introitus, Epiſtola, Evangelium, & cætera quæ in Miſſa dicuntur Vide Toletum *Inſtruct. Sacerd. lib. 2. de Miſſa.*

Sacerdos non poteſt celebrare, ſine peccato mortali, niſi in loco apto. Debet etiam celebrare cum veſtibus Sacerdotalibus, mundis, benedictis, & non laceratis; celebrare cum veſtibus notabiliter immundis eſt mortale, nam ſit magna iniuria mundiſſimo Sacramento. Toletus loco citato. Vide de loco apto & de pænis. ibidem. Veſtes Saaerdotales ſunt ſex. (numerus ſenarius non vacat miſterijs. Sex diebus õnia creavit omnipotens; ſexta ętate redemit mundũ) nempe: Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Caſula. Amictus ſignificat velamen, quod Iudæi poſuerunt ante oculos Salvatoris, quando eum alapis percutiebant; moraliter ſignificat Fidem, quæ non in Evidentia rerum credendarum conſiſtit, ſed in voluntaria captivitate Intellectus in obſequiũ Fidei, & eſt prima veſtis inter ſex, quia Fides eſt Fundamentum Chriſtianæ Religionis, & ideo dicitur *Galea ſalutis*. Amictus iſtę deſcẽdit à capite in humeros, & ſignificãtur in hoc, opera noſtra bona, quæ debent eſſe omninò coniuncta cum Fide, in humeris enim, & dorſo fortitudo conſiſtit laboris, & cordulę, quæ deſcendunt in pectus ligantes amictum ad modum Crucis, demonſtrãt noſtram bonorum Operum intentionem in Deo eſſe ponendam; Et quia amictus habet quoddam ornamentum, per hoc ſignificatur ſpes æternorum bonorum. Alba eſt illa veſtis Talaris longa, & ampla, vulgo *Camice*, & ſignificat veſtem illam, qua Chriſtus indutus fuit ab Herode, in ſignum contemptus, & amentiæ: & eſt longa ut impediat

greſſus, & faciat cadere, ut omnes ad riſum moveret; moraliter ſignificat innocentiæ ſplendorem, qui debet fulgère in omni opere Sacerdotis; Largitas eius demonſtrat amplitudinem bonorum operũ, quæ à Sacerdote fieri debent, & longitudo perſeverantiam uſque in finem. Cingulum ſignificat funem, qua in Horto Chriſtus à Iudæis primò ligatus fuit; ligat lumbos, ut moraliter ſignificet Caſtitatem Sacerdotis; Et ſcias quod Cingulum Pontificis à læva parte ſit, & habet duplex cinctorium dependens, ex quo intelligitur quod Caſtitas acquiritur ſpecialiter per Orationem, & ieiunium.

Quarta veſtis manipulum, & ſignificat ſecundum ligamen, quo in columna ligatus fuit Ieſus, & ponitur in lęvo brachio ex parte cordis, ad demonſtrandum amorem illius; & circa mores ſignificat pænitentiam, quæ ex vero corde debet fieri in hac vita; & Pontifex poſt Caſulam recipit manipulum, & innuit quod Chriſti opera non fuerunt ãte Charitatem, & gratiam, & per pænitentiam nos ad Charitatem venimus. Quinta veſtis eſt Stola, quæ ſignificat ultimum Chriſti ligamen cum ductus fuit ad crucifigẽdum, & moraliter ſignificat Chriſti iugum, & ideo eſt ſupra collum, & ſuper utrumque humerum, nam Iugum Chriſti maiori perfectione debet portari à Sacerdote, quam à Diacono, & longa eſt ad ſignificãdam perſeverantiam.

Ultima veſtis eſt Caſula, ſeu Planeta, quæ ſignificat tunicam Chriſti inconſutilem, & veſtem purpuream, quà indutus fuit a Pilato; moraliter ſignificat charitatem, iungitur cum Amictu ad demonſtrandũ quod charitati, quę eſt præcipua virtus, iungi debet

Fi-

Fides; Pars anterior Planetæ eſt anguſta, & poſterior eſt latior, ſignificat enim quòd Charitas eſt erga Deum, & erga Proximum; Pars anterior anguſtior demonſtrat quod tantum eſt circa Deum unum iſta Charitas; & ideò anguſtior eſt. Poſterior latior demonſtrat latitudinem charitatis, quæ extenditur ad amicos, inimicos, & eſt longior, nam extenditur etiam ad Defunctos; ſignificant enim iſtæ duæ partes duos ſtatus, ante gratiam, & poſt gratiam; Prior eſt anguſtior, quia ante gratiam non erant tot remedia ad ſalutem, ſicuti poſt gratiam. Dicuntur etiam dum Sacerdos induitur his veſtibus aliquæ Orationes, denotantes Myſteria talium veſtimentorum; quas ſi Sacerdos ex negligentia, aut oblivione ſemel, vel iterum ommitteret, peccaret venialiter; ſed ſi in conſuetudinem duceret præcipuè cum aliquo contemptu, non abſolverem à mortali; demonſtraret enĩ magnam irreverentiam erga tantum Sacrificium; & faceret contra conſuetudinem Eccleſiæ in re gravi, cum ſcandalo circumſtantium, requiritur etiã, quod Sacerdos ſit calceatus propter decentiam &c.

De Sacrificio vide etiam quæ diximus *quæſt.*15.*de primo Pręcept.Decal.art.*1.

An liceat Miſſas Defunctorum applicare adhuc viventibus?

Vide in quæſt.miſcell.Quæres 27.in fine.

De Pænis malè ordinatorum, & malè Ordinantium, vide apud omnes Authores de hac materia tractantes, præcipuè Dianam *hìc*.

Quando Sacerdos non celebrat, & ſumit Euchariſtiam debet habere ſtolam ſuper humeros: Sic habetur in Canone, C *Eccleſiaſtica*.

Quan-

Quando Sacerdos, licet non ſit approbatus ab Epiſcopo in articulo, & periculo mortis poſſit abſolvere pænitentes: Vide multa in hoc Opere *q.1.ar.2.* Sacerdos obligatus celebrare ob obligationem Cappellaniæ in certa Eccleſia, ſeu Altari, niſi aliud exprimatur, tenetur applicare pro Teſtatore Sacrificium. Vide Dianam *verb. Sacerdos in Summa.*

De modo quo Chriſtus exiſtit in Euchariſtia, nempè ſecundum extentionem partium in ordinem ad ſe, non in ordinem ad locum. & de accidentibus ſine ſubiecto, cum ſola inherentia aptitudinali, non loquor, cum ſit res merè Theologica, & ſpeculativa; Sacerdos enim videre poteſt, ſi habet capacitatem apud Scolaſticos, & ſi eapax non eſt, captivet ſuum intellectum in obſequium Fidei; quod omnibus faciendum eſt.

De Privilegio Fori, Immunitate Eccleſię, & Eccleſiaſticorum, Vide Doctorem meum Reſolutum *in 4. diſt.12.& diſt.13.* Del Bene, & Salmat. noſtrum *De Sacram. in genere tract.8.cap.7.* & ibi pariter *punct.1. De Subiectione Eccleſiaſticorum Legibus Civilibus* & qualis iſta ſit. Vide quæ diximus de primo Præcepto Decalogi.

AR-

ARTIC. VLTIMVS

Vtrum Epiſcopatus ſit Ordo.

LIcet videamur ſuppoſuiſſe cũ communiori Theologorum ſententia, Epiſcopatum non eſſe Ordinem diſtinctum à Sacerdotio, tamen hoc operoſius inquirendum eſt.

Ioannes de Baccone Doctor noſter hoc quęrit *in 4 ſent.q.2.art.*1. ubi docet Epiſcopatum eſſe Ordinem imprimentem Characterem. Pro quo ſciatis quod Riccardus in 4.*diſt.*24.*art.*5.*q.*1.Scotus *q.*1.§. *de tertio Artic.*Sotus *q.*1.*art.*2.*&* 3.Bonacc. & alij à Vaſq. relati *diſp.*24.*cap.* 2. negant ordinationem Epiſcopi eſſe Sacramentum, Unde aſſerunt in tali Ordinatione characterem non imprimi, nec Spiritum Sanctum dari &c. quod falſiſſimum eſt, ut dicemus. E contra Baccon.meus; Medina *lib.*1.*de Sacram.cap.* 5. *&* 16. Bellarmin.*lib.de Ordine cap.*5.Valentia *diſp.*9.*qu.*1.*p.* 4. Coninch. *diſp.*20.*dub.*6. *Concl.*1.*n.*43.Laym. *lib.* 5. *ſumm.tract.*9.*cap.*4.*concluſ.*2.Caſtropal.*De Sacramen. Ord.punct.*2.3.4.Vualdenſ. noſter *tom.* 2. *de Sacram.* dicunt Epiſcopatum eſsè verè, & propriè Ordinem, & Sacramentum incompletè tantum à Sacerdotio diſtinctum. Et patet ex Trident.*ſeſſ.*23.*cap.* 3. Nam

Conci-

Concilium probat Sacram Ordinationem, Sacramẽtum eſſe *ex 1. & 2. ad Thimotheum*, ubi *Paulus* loquitur de Ordinatione Timothei in Epiſcopum. Legatur pariter *cap. 4. ſeſſ. 23.* Conc. Tridentini, & præciſè cõſiderẽtur: illa verba: *Docet inſuper Sacroſanta Synodus in Ordinatione Epiſcoporum, & cæterum Ordinum &c.* Vide quod Ordinationem Epiſcoporum diſtinctã numerat ab ordinatione Sacerdotum, & eam inter cæteros Ordines ponit. Inſuper Trident. deducit ſacram Ordinationem Sacramentum eſſe quia in ipſa datur Spiritus Sanctus illis verbis: *Accipite Spiritum Sanctum.* Sed iſta verba dicũtur in Ordinatione Epiſcoporum; Ergo Conſecratio Epiſcopi Sacramentum eſt, ergò in illa datur gratia Spiritus Sancti; & confirmatur, nam Epiſcopus in ſua Ordinatione recipit poteſtatem Ordinandi Sacerdotes, quæ poteſtas eſt divina à Chriſto illi communicata, Ergo Epiſcopus indiget gratia ad illam exercendam ergo Chriſtus illi conferre debet, ut aptè ſuum munus exercere poſſit ex regula communi Theologorũ, Quod Epiſcopatus imprimat Characterẽ patet, quia licet eſſet ſuſpenſus, excommunicatus validè Ordines confert, & dat Sacerdoti poteſtatem abſolvendi ſi habeat ſubditos, quod facere non poſſet in tali caſu ſine charactere.

Item *diſt. 77. cap. illud & diſt. 97. cap. A Subdiacono* numerantur ſeptem Ordines imprimentes Characterem, inter quos Epiſcopatus numeratur, Ergo imprimit characterem, ſed quod confert gratiam, & imprimit characterem eſt verus Ordo, Ergo &c. Uide Bacconem meum loco citato. Eſt Ordo Oſtiariatus, quia aperit portas Eccleſiæ in Ordinem ad Sacri-

cri-

crificium Miſſæ. Bonæ Deus! nec erit verus Ordo Epiſcopatus,qui à iure ſecum trahit(ſine Privilegio) conſecrationem Altaris, & Templi, in Ordinem ad Sacrificium,imò conſecrationem Sacerdotum in ordinem ad Poteſtatem conficiendi Corpus,& Sanguinem Chriſti.

Placet illa Particula quod Epiſcopatus eſt Ordo, & Sacramentum incompletè à Sacerdotio diſtinctū, & per hoc multa ſolvuntur argumenta contraria; Unde licet ſit Ordo, & Sacramentum propriè, cum non ſit abſolutè à Sacerdotio diſtinctum, nam eſſentialiter Sacerdotium ſupponit; ideò rectè dicitur, quod ſunt ſeptem Ordines à Concilio enumeratos. Quod verò dicitur, quod ſi eſſet Ordo, verè daretur, ſicuti alij Ordines, in quatuor temporibus, nihil urget; nam eſt ex uſu, & neceſſitate Eccleſiarum,quę multò tempore non debent eſſe viduatæ Paſtore;Imò quia eſt excellentiſſimus Ordo debet particulariter privilegiari.

Quæ ſit materia neceſſaria huius Ordinis, & an poſſit conſecrari Epiſcopus à ſimplici Sacerdote,vel ſint neceſſarij tres Epiſcopi; an unus ſufficiat ex diſpenſatione Summi Pontificis.Vide Salmat. noſtrum *De Sacram.in genere tract.*8.*dub.unic.*Bellarm.*De Ordine* Caſtropalaum &c.

PRO

PRO CHORONIDE TOTIUS OPERIS

QVÆST. VNICA MISCELLANEA

Variarum difficultatum breviter ſolutarum.

QVæres 1. An ſit eadem paupertas in omnibus Religionibus?

1 Dicendum eſſe eamdem paupertatem, quoad eſſentialia; nam nullus Religioſus poteſt rerum habere dominium, cum hoc repugnet voto paupertatis, ſed ſi conſiderentur Religiones in particulari, non eſſe eamdem paupertatem apud omnes, quoad uſum rerum; nam aliæ ſtrictiorem, aliæ minus ſtrictam profitentur, quę menſuranda eſt. Loquor cum Salmaticen. meo *Tract.* 12. *de Iuſtitia,& iure punct.* 2. §. 3. ex uſu cōmuni. Sciētibus,& nō contradicentibus illius Religionis Prẹlatis, eoquod cenſetur in eis cōceſſa facultas generalis ad illos actus, qui ex tali cōſuetudine exercentur. Licet aliàs eſſent contra votum, & ſic non peccant dando, accipiendo, vel utē-

do

do iuxta morem illius Religionis. Sanch. *lib.7.Sum. cap.19.num.7.* Leſſius *lib.2.cap.41.n.19.* Noſter P.Antonius à Spiritu Sancto *tract.13.diſp.4.ſect.2.num.19* & infert quod paupertas noſtrorum Diſcalceatorum eſt ſtrictiſſima. Vide etiam P. Magiſtrum Albertum Schachinum Parmenſem noſtrum *Dubitat. q.34.*

2 Quæres 2. An Religioſus de licentia ſui Prælati poſſit de bonis, quæ habet ad uſum, diſponere per donationem cauſa mortis?

*D*icendum poſſe, dummodo talis donatio ſit moderata, & proportionata ſuo ſtatui. Non apparet enim quare Religioſus in vita poſſit donare v. g. librum,& non in morte. Sanch.*n.11.* Pellizar. *nu.* 11. Lugo *n.122.* Noſter P.Antonius à Spiritu Sancto *in Direct.Regul.tract.3.diſp.4.nu.216.*

Sed contra, qui non poteſt teſtari, non poteſt donare cauſa mortis, ſed Religioſus non poteſt teſtari, ergo nec poteſt cauſa mortis donare.

Reſpondetur, quod illa Regula valet de eo, qui non poteſt teſtari ex defectu ętatis,non de eo, qui nō poteſt teſtari ex prohibitione legis, ut ſunt Religioſi, qui debita licentia, & moderatè poſſunt donare, revocabiliter tamen, ad nutum Superioris. Excipe Religiones, in quibus non adeſt uſus communis donandi, &c. Vide Colleg.Salmat.loco citato.

3 Quæres 3.Fęmina Nobilis vim paſſa à Dæmone incubo concepit ex ſemine humano immiſſo. Fætus non eſt animatus. Quæritur utrum tunc ad vitãdam infamiam, aut mortem,poſſit procurare abortum, cùm illa ſit verè innocens, & paſſa ſit violentiam?

*D*icendum negativè.*S*uppoſito hoc caſu. Adeſt e-

nim hæc propoſitio damnata,quę in ordine eſt 34.ſub Innoc.XI. *Licet procurare abortum ante animationem fætus, ne puella deprehenſa gravida occidatur,aut infametur*.Propoſitio enim eſt univerſalis, & per cõſequens compræhendit hunc caſum.Sed

Contra.Tunc enim ſemen immiſſum in uterum Fæminæ eſt violentus aggreſsor caſtitatis, ergo Fæmina tamquam iniuſtum aggreſſorem poteſt illud repellere, nàm nihil aliud eſt niſi ſe defendere ab ſeminis immiſſione, tamquam à violento aggreſſore caſtitatis.

Sed reſpondetur, quod ſemen non eſt aggreſſor violentus caſtitatis, niſi quando caſtitas violatur,ſed eſt violata caſtitas, ergo tunc non licet illud expellere.Fæmina enim cuius caſtitas impetitur ſi non poteſt alia via iniuriam impedire, poteſt occidere invaſorem.Sed poſtquam facta eſt iniuria caſtitatis illum non poteſt occidere, quia non eſſet impedire iniuriã,ſed vĩdicare,ſic in caſu noſtro nõ eſſet ĩpedire ĩniuriam, procurando abortum,nec violationem caſtitatis, nàm caſtitas iam violata eſſet.

Sed dices tunc fætus inanimis eſt aggreſſor,ſi non caſtitatis,ſaltem famæ,aut vitæ propter periculum, &c.infamiæ.

Reſpondetur,quod hoc eſt quod damnatur in propoſitione univerſali, iam allata, nec eſt aggreſſor honoris, nec vitæ,niſi per accidens,ſeù dic,quod eſt aggreſſor impropriè,ſed neceſſarius.

Nec hęc opinio poteſt dici ſpeculativè probabilis:Nam (hoc valdè nota) opinio quæ eſt verè probabilis ſpeculativè, ſi inveniantur in ea eædem omninò circumſtantiæ,ac in praxi, eſt etiam verè probabilis in praxi.Sed

3 Dices, dato hoc caſu Filius, qui ex iſto Dæmonis congreſſu naſceretur, cuius Filius erit?

4 Dicendum, quod materialiter dicetur filius Diaboli, formaliter filius hominis illius, cuius ſemine uſus eſt. Quod tamen Deus raro permittit. & ſi Fæminę habeant cum Dæmone commercium, & pariant, ſolent parturire prolem irrationalem, & monſtruoſam, ut Brunę in Moravia contigiſſe. Anno 1588. teſtatur P. Martinus Delrio *lib.6. Diſquiſit. Magic. cap.2. ſect.3.* Vide *Diſſert.22. cap.6. propoſ.* 34. *cap.6.* P. Ioannes de Cardenas.

5 Quæres 4. An qui verſatur in proxima occaſione peccandi mortaliter poſsit abſolvi, antequam illam deſerat, cum poſſit illam deſerere? ſeu an poſſit abſolvi Concubinarius, qui retinet Domi ſuæ Cócubinam, cum poſſit illam expellere, cum non adſit nulla impoſſibilitas phyſica, ſeu moralis?

Antequam quid ſentiam dicam, ſciatis quod ſunt damnatę iſtæ tres propoſitiones, prima in ordine eſt

61 Sub Innocentio XI. *Poteſt aliquando abſolvi qui in proxima occaſione verſatur quam poteſt, & non vult omittere, quinimò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit. ſecunda.*

62 *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit. tertia.*

63 *Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali noſtro, vel proximi.*

Aliqui Auctores etiam poſt damnatam propoſitionem 61. docent quod Concubinarius poteſt abſolvi bis, ter, aut quater, licet habeat occaſionem proximam voluntariam, ſi habeat propoſitum ex-

pellendi. Undè Martinus de Torrecilla Capuccinus *Conſult.15.Concl.7.num.*80. dicit non ſubiacere dãnationi propoſitionis 61. qui dicunt poſſe abſolvi Concubinarium uſque ad quatuor vices, ſive uſque ad ſecundam vicem ſecundum aliquos, ante expulſionem Concubinæ, quam voluntariè retinet.

6 Dicendum tamen contrariam opinionem ſequendam eſſe, & nunquam talem Concubinarium abſolvendum eſſe, ante expulſionem, &c.

Probatur. Nam Concubinarius peccat mortaliter exponendo ſe voluntariè periculo proximo peccandi mortaliter. Sed dum abſolvitur exponit ſe voluntariè tali periculo, ergo dum abſolvitur peccat mortaliter, ergo invalidè abſolvitur. Minor probatur, nàm voluntariè perſiſtit in tali periculo dum abſolvitur, ergo dum abſolvitur exponit ſe periculo proximo peccandi mortaliter, ergo, &c. Vide Thomam Sanch. *lib.2.Summ.cap.32.num.* 45. Navar. *in Manual.cap.16.nu.*20. Ioannem de Cardenas hic; & aliqui hoc extendunt etiam ad eum, qui verè Concubinarius non eſt, ſed communiter reputatur propter fæminam, quàm Domi retinet propter ſcãdalum vicinorum.

7 Sed dices. Poſſunt abſolvi conſuetudinarij, Blaſphemi, molles, &c. ſine dilatione, ſi habeant verum propoſitum abſtinendi. Ergo poteſt abſolvi ſaltem, qui habet domi Concubinam, ſi habeat verum propoſitum non peccandi.

Reſpondetur. Quod qui ex mera fragilitate habent conſuetudinem peccandi retinent ſolùm obligationem, illam ſuperandi per dolorem, & propoſitum; ſed illi qui habent extrinſecam proximam

oc-

occaſionem, nedum debent dolere, & proponere, ſed arcere occaſionem,& qui poteſt arcere, & non arcet mor-taliter peccat.

Quæres 5. An ſuppoſita antecedenti doctrina poſſit abſolvi ſemel,aut bis, ille qui retinet rem alienam, cum propoſito reſtituendi?

8 Diceudum,Quòd ille qui retinet rem alienã, & non reſtituit,& potuit, ex quadam negligentia poteſt ſemel, aut bis abſolvi; Si tamen non reſtituit ex avaritia, aut vehementi ſiti pecuniæ, currit eadem paritas, nec poteſt abſolvi ante reſtitutionẽ actualem, nam in tali caſu illa retentio, cum illo inordinato appetitu pecuniarum, ſtat loco occaſionis proximæ, & licet demonſtret propoſitum,eſt in periculo formali infringendi illud propoſitum,quare non eſt abſolvendus.

9 Dices quomodo ergo iſti ſe gerere debent cũ ſtatim reſtituere,& expellere coneubinam non poſſint? Eligant actum verè contritionis cũ firmo propoſito auferendi proximam occaſionem quàm primum poterunt, extenuent periculum peccandi formale;ingentem, & intenſiſſimam procurando contritionem, hoc à Deo poſtulando ardentiſſimè, ſic enim iuſtificabuntur. Et idem poterit fieri in confeſſione, ſi verè ſtatim non poſſint proximam expellere occaſionem peccandi, tunc enim occaſio erit involuntaria.

10 Nota, quod Suarez benè dicit *tom 5. in 3.p. diſp.*18.*ſect.*3.*n.*16. Quod in moralibus eiuſdem malitiæ eſt ſe conſtituere voluntariè in morali periculo, & proximo committendi aliquod crimen,& cõmittere illud. Quare qui non expellit ſtatim cum

poſſit occaſionem proximam, vult permanere in periculo formali infringendi propoſitum de omiſsione expulſionis; igitur non vult efficaciter omittere occaſionem proximam. Quod remanet damnatū in propoſitione 61.

11 Quæres 6. Pro 62. ex damnatis propoſitionibus; quæ eſt.

Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.

Quæritur ergo an detur, & qualis ſit illa cauſa, propter quàm licitū ſit non fugere occaſionem proximam peccandi?

Quam libentiſſimè immoror in tali indaganda, & intelligenda materia, cum in Confeſſionibus ſæpiſſimè occurrat, & nimia indulgentia ab aliquibus procedatur. Dicendum ergo. Ut aliquis non teneatur deſerere occaſionem proximam mortaliter peccandi, nullam aliam cauſam ſufficere, niſi impoſſibilitatem phyſicam, ſeu moralem. Ratio eſt nàm ut diximus, qui poteſt deſerere occaſionem proximam peccandi, illam deſerere tenetur; ergo ſolùm ab obligatione excuſatur, quando illam non poteſt deſerere.

Dicendum 2. Nullam cauſam eſſe ſufficientem, ut quis eximatur a non deſerendo periculum proximū peccandi mortaliter. Quia ſemper eſt in poteſtate hominis extenuandi illud proximum periculum peccandi mortaliter, per ſummam deteſtationem peccati, per Divini auxilij gratiam, & vehementem contritionem, particularem orationem, &c. & tunc non eſt amplius periculum proximum.

Dices tunc ſaltem remanebit periculum probabi-
le

le peccandi, ſed non licet ſe exponere periculo probabili peccandi. *Ergo* nulla probatio Concluſionis.

Reſpondetur verùm quidem eſſe, quod non licet ſe exponere periculo probabili peccandi, ſed tunc non adeſt periculum probabile, imò adeſt certitudo probabilis non labendi. Nam facienti, quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiæ auxilium; exponere autem ſe periculo probabili peccandi nunquā licet. *S*icut non licet prudenter exponere vitam, honorem, res ſuas, periculo probabili iacturæ, ſine neceſsitate.

Dices ergo cum neceſsitate licebit ſe exponere periculo probabili peccandi.

Reſpondetur ex dictis, quod ſemper eſt in poteſtate hominis extenuandi illud periculum, &c.

Urgebis. Licet ſequi opinionem verè probabilē. Ergo licet ſe exponere periculo probabili fallendi; Ergo peccandi.

Ex dictis antea habes reſponſionem. Qui enim ſequitur opinionem verè probabilem propter dictamen reflexum certum, cum licitum ſit ſequi opininionem verè probabilem, non exponit ſe periculo peccandi, imò habet certitudinem moralem ſuæ operationis.

12 Quæres 7. Pro maiori claritate. An fæmina quæ omni ſpe deſtituta, ne fame periret, manſit per aliquod tempus cum *D*omino Concubinario, accedit ad Confeſsarium, & hoc exprimit in Confeſsione, demonſtrando impoſsibilitatem moralem deſerendi Dominum, & verè ſic eſt. Confeſſarius igitur cognoſcit neceſsitatem permanendi in illa Do-

mo,ne fame pereat;Sed illi præcipit, ut reſiſtat luxuriæ Heri,& media neceſſaria propoſiti, orationis, etiam adhibeat;reſpondet ingenuè hoc ſibi eſſe impoſſibile, nàm eiiceretur è Domo, & fame periret. Quæritur quid faciendum? Habet enim impoſſibilitatem moralem relinquendi occaſionē proximam; & impoſſibilitatem moralem extenuandi periculum proximum, per efficax propoſitum non peccandi.

Dicendum eam non eſſe abſolvendam, teneriq; ad egrediendum è domo, etiamſi fame peritura eſſet,cum evidenti periculo vitæ. Nam homo tenetur vitare peccatum mortale, etiam cum periculo vitæ. Dato quod non poſſit modo dicto extenuare periculum peccandi: Sed dato quod illa promittat, ſed prævideat certiſſimè expellendam, ſi reſiſtat, quid faciendum?

Dicendum non eſſe abſolvendam. Nam cum prævideat expulſionem, & ſpontè nolit egredi, eſt ſignum evidens,quod vult in peccato perſeverare.

13 Quæres 8. pro ſexageſima tertia damnata propoſitione. An liceat directè quærere occaſionē proximam peccandi læthaliter pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro,vel proximi?

Dicendum negativè.Quidquid dicant aliqui cum Soto *de Iuſt.lib.*5.*q.*1.Nam quærere directè occaſionem proximam peccandi, eſt velle directè periculū proximum peccandi,ſed hoc nō licet.Ergo nec quęrere occaſionem proximam peccandi, *qui enim amat periculum peribit in illo.* & Matthæi 5.*Quid prodeſt homini ſi univerſum Mundum lucretur Animæ verò ſuæ detrimentum patiatur.* Ergo, &c. intellige dummodo

adſit

adſit periculum formale peccandi, & etiam probabile, ſed ſi interveniret cauſa, quæ redderet involũtariam moraliter occaſionem illam, tunc debet, ut diximus extenuari illud periculum modo iam dicto. Quare quando inter Principes diverſæ Religionis ob aliquam ingentem neceſsitatem contrahitur Matrimonium, ponuntur conditiones, quibus cavetur periculum perverſionis, aliòquin committerent peccatum mortale. Vide latè de Cardenas, qui benè tractat materiam de propoſitionibus damnatis, & etiã applica, quæ dicit Bacconus meus *in* 4.*diſt*.14.*qu*.1. *art*.1.2.*&* 3.

14 Quæres 9. Quæ ſolemnitates requirantur ad teſtamentum ad pias cauſas?

Illa dicitur pia cauſa, quæ eſt in honorem Dei, & ſalutem Animæ; Et nota quod non eſt teſtamentum ad pias cauſas, quando aliquod legatum pium in eo relinquitur, ſed illud, in quo inſtituitur hæres pia cauſa, ſeù ſoſtituitur hęres pia cauſa.

Dicendum ad teſtamentum ad pias cauſas non requiri ſolemnitates ex iure communi, ſeu particulari locorum requiſitas, ſed ſufficere illas, quæ ex iure gentium, & naturali requiruntur; Nempè expreſſus conſenſus Teſtatoris, qui conſtet duobus teſtibus, etiam fæminis. Ita Alexander 3. *in cap. relatũ. cap. cum eſſes de teſtam.* revocans omnes Principum leges, nam non habent iſti poteſtatem circa finem ſpiritualem animæ.

Frater Martinus à S. Ioſeph *lib.* 2. de teſtament. *tract*.4.*n*.2. Bonac. *diſp*.3.*q.ult.par*.5.*n*. 3. Tiraquel *de privil. cauſæ piæ* 4. Molin. *diſp*.134.*& alij* Coll. Samat. *tract*.14.*de contract*. qui aſſerunt Teſtamentu

valere, aliàs nullum, ratione ſolemnitatis, quoad legata pia in eo contenta. Etiam valet ſi Teſtator nō poſſit loqui, dummodo ſignis exprimat ſuam volūtatem, & ſufficit quod quomodolibet cōſtet de mēte Teſtatoris, eſto quod non poſſit probari in foro exteriori. Undè hæres in hoc caſu tenetur in conſcientia adimplere eius voluntatem.

15 Et nota quod legata profana, relicta in Teſtamento ad pias cauſas, quando valet Teſtamentū, & ipſa valent, cum legatum in Teſtamento ſit acceſſorium, & acceſſorium ſequatur principalis naturam. Vide Coll. noſtrum Salm. loco citato, qui doctè, & clarè ſuo modo de hoc tractat, & citat auctores, quos brevitatis cauſa non ſemper in hoc opere citavi, præſertim quando ſententia tutiſſima eſt & quaſi communis.

16 Quæres 10. An Religioſus in particulari teneatur adire Chorum ſub pœna peccati mortalis?

Suppoſito quod attento iuris rigore in omnibus Eccleſijs Cathedralibus, Collegiatis, & Regularibus dicendum ſit publicè Officium Divinum, dummodo in aliquibus non ſit legitimè ob rationabilem cauſam introducta contraria conſuetudo, ut benè docet Sylveſter *V. horæ Canon.* Lezan. *tom.* 1. *cap.* 12. *n.* 9. Bonac. *de hor. Can. diſp.* 2. Filiucc. *tom.* 2. *tract.* 23. *cap.* 4. *q.* 4. & alii multi.

Dicendum ex iure communi (quidquid ſit de legibus particularibus, vel conſuetudinibus) Nullum Religioſum in particulari teneri ſub culpa gravi, horas in Choro dicere, neque obſtat Clement. I. *de celebratione Miſſarum*, nàm loquitur de obligatione in commun, & alij Textus qui afferuntur, non loquntur de

de Religioſis,ſed de Clericis per Beneficium obligatis. Coll.Salm dicit quod Religioſus, nec obligatur ex conſuetudine. *Nulla enim in Religionibus ita graviter obligans reperitur, nec ex eo quod aluntur ex fidelium eleemoſynis, aut Eccleſiaſticis bonis; quia non dantur ſub hac conditione,ſeù ad hunc finem, ſicut præbendatis,qui ob id magis adſtringuntur Choro intereſſe quàm Religioſi,ut loco citato dicemus, ſed ut Deo inſerviant iuxta ſuum inſtitutum. Vndè ſolùm aſtringuntur ex vi ſuę Regulæ,ſeù conſtitutionum,quæ regulariter ad nullam,vel ad ſolam culpam venialem obligant.Et idem eſt dicendum de Monialibus.*Tambur.*de Iure Abb. tom.* 2.*diſp.*10.*q.*3.*n.*3.Barth.à S. Fauſto *in ſpec. Relig.qu.* 152.Pellizar *tract.*5.*cap.*8.*n.*7.Diana 2. *par. tract.*8. *reſol.*38.Palaus*tract.*7.*diſp.*3.*punct.*1.*nu.*12. Suarez. *lib.*4.*cap.*10. *num.*16.& 18. Bonac. *diſp.*2.*q.*1.*num.*10 & 11. Nec Prælatus adſtringitur maiori obligatione, niſi ob congruentiam, & bonum exemplum, quin potius ob occupationes, & negocia graviora ſui muneris, facilius quam alij poſset excuſari. Vide Coll.Salm.*tract.*16.*de horis Canon.* & ſoli Novitij poſſunt ſatisfacere obligationi Communitatis, dummodo in Choro ad minus ſint quatuor Religioſi, niſi excuſaret paucitas Religioſorum degentium in Conventu; quæ etiã excuſat ab obligatione Chori; quia impoſſibilium non eſt obligatio, ibi vide Collegium ſupradictum, cum citatione Doctorum.

Veruntamen pœnis poſſunt coerceri Religioſi ad frequentiam Chori, dummodo non ſint legitimè impediti; nec decet Religioſos à Choro ſeparari, ſi illos non excuſent labores,aliæ neceſſariæ,& virtuoſæ applicationes, ætas, indiſpoſitiones, & Monaſte-

ſterij ſervitia. Et illi qui ſine rationabili cauſa ducerent hoc in conſuetudinem, eſſent (ne plus addam] rigoroſè puniendi; pręſertim ſi tempore, quo alii Religioſi in Choro Deo laudes perſolvunt, ipſi recreationibus, ludiſque vacarent. Ut obſervatur ut plurimum in Religionibus, à cordatis Prælatis.

17 Quæres 11. Quæ nam intentio requiratur ad ſatisfaciendum obligationi recitationis Divini Officii? Suppono 1. intentionem, quæ eſt actus voluntatis muneri ſuo ſatisfaciendi. Deum colendi, & orādi; eſſe neceſſariam, non tamen explicitam, & formalem, ſed virtualem, & implicitam, quæ habetur ſufficienter per aſſumptionem Breviarij ad recitandum. Nec requiritur intentio adimplendi pręceptum, ſed ſufficit facere rem præceptam intentione faciendi illam, licet non ſub formalitate, quia eſt res præcepta, dummodo intra terminum præcepti mutetur voluntas [ſi fuiſſet in contrarium,) quæ velit illa recitatione officij, illa auditione Sacri ſatisfacere pręcepto. Pellizzar. *tract.* 5. *c.* 8. Tambur. *tom.* 2. *diſp.* 10. *q9.* Sanch. *in ſumma tom.* 1. *cap.* 13. *num.* 16. Coll. Salm. & alij multi. Sed quidquid ſit de hoc.

Quæritur, quæ eſt maior difficultas, & utilior, quænam attentio requiratur, quæ eſt actus intellectus; ad ſatisfaciendum huic præcepto neceſſaria. Lector valdè notet pro quiete ſuæ conſcientiæ, quę dicemus.

18 Igitur duplex eſt attentio, ſcilicet exterior, & interior, & poteſt tribus modis conſiderari, vel eſt attentio ad Deum, quæ alijs perfectior eſt, vel ad ſenſum verborum, quæ melior eſt tertia, quæ eſt attentio ad verba. Nota quod tertia ſufficiens eſt ad

re-

recitandum Officium ſine peccato mortali, dummodo habeas ſaltem intentionem generalem colendi Deum, & te non implices rebus multum diſtrahentibus, ut lectioni aliarum rerum; Scriptioni, confabulationi, quę ſunt res incompoſſibiles. Potes tamẽ recitare Officium attendendo ad verba, & flores colligere, parare menſam, &c. nàm hę res non ſunt incompoſſibiles, & adhuc te nõ multum diſtrahunt, ne poſſis ad verba attendere. Palaus *tract. 7. diſp. 2. par. 3. n. 4.* Pelliz. *tract. 5. cap. 8. num. 85.* Trullench. *lib. 1. cap. 7. dub. 18. num. 7.* Bonac. *diſp. 1. q. 3. punct. 1. §. 2. nu. 12.* Soto *lib. 10. qu. 5. art. 5.* Suar. *tom. 2. 2. lib. 4. cap. 26. num. 21.* Vaſq. *de Beneſ. cap. 451. art. 2. dub. 5.* Martinus à S. Ioſeph. *lib. 2. tract. 10. num. 7.* Anton. à Spiritu Sancto *tract. 3. cap. 6. n. 1631.* Coll. Salm.

Sed eſt adhuc controverſia apud Theologos ã ad ſatisfaciendum huic præcepto requiratur interior attentio: itaut ſi quis omninò voluntariè recitet diſtractus Divinum Officium ſatisfaciat præcepto, ſeù mortaliter peccet?

Diximus omninò voluntariè diſtractus, nàm qui involuntariè diſtractus diceret Divinum Officium, certè ſatisfaceret, & dicimus omninò diſtractus, nã quis negligenter nimis non repellit diſtractiones, nõ eſt omninò diſtractus, & adhuc ſatisfacit, ſi aliquem ſaltem levem conatum ad eas repellendas faciat, & hæc vocatur à Salmat. noſtro ferè omnium ſententia.

Status igitur difficultatis, & quæſiti eſt. Si quis omninò voluntariè diſtractus cogitationibus, recitet Officium, & adhuc advertens proſequatur omninò diſtractus ſatisfaciat præcepto recitationis Divini

Of-

Officij,& non peccet mortaliter? Quod etiam intelligendum eſt de auditione Sacri diebus Feſtis.

Prima ſententia ſupponens, quod Eccleſia non iudicat de occultis, nec quod poſſit præcipere actus internos, dicit quod ille qui exterius devotè recitat, ideſt ſine actibus externis incompoſſibilibus cum illa vocali oratione Divinum Officiũ, ſatisfacit præcepto, licèt interius omninò ſit voluntariè diſtractus, & ſic interpretatur *cap.dolentes de celebratione Miſſarum*, in quo iubetur ut Officium Divinum, *ſtudioſe pariter, & devotè recitetur*. Ita Coninch. *De Sacram.in 3.p.q.83.art.6.nu.*291. Durand.*in 4. diſt.*15. *q.*12. Henriq. *lib.9.cap.25 num.5.in gloſſ.litt.P.* Diana 2.*par.tract.*12.*reſol.*2. D.Ant.3.*parte tit.*13.*cap.*4. §.7.& 8. Angelus *verbo bor.nu.*27. Sylveſter *quæ.* 11. Antonius noſter à Sp.Sancto *in Direct.Regul.tract.*3 *Diſp.6.num.*149. Machado *tract.2.Docum.* 5. *num.* 2. *pag.*294. Martinus à S.Ioſeph.*lib.2.de Orat.tract.*10. *num.6.*& Pelliz.Laym.& Leſſius, & alij vocant eam ſententiam probabilem. Iudicium quæſo ſuſpendat Lector.

19 Secunda Sententia eſt huic oppoſita ducta auctoritate Canonis cap. dolentes de celebratione Miſſarum, & Gloſſę ibi dicentis *devotè ſecundum affectum mentis* fuit noſtri Coll.Salm.addito quod Eccleſia licet non poſſit præcipere actus merè internos poteſt tamen præcipere quaudo habent neceſſariam connexionem cum externis tanqnam formam illorum (quæ ratio ſemper me multum movit] ut videre eſt apud idem Coll.*tom.3.tract.*11.*de leg.cap.*1.*nu.* 68.*de Sacr.in genere tract.5.cap.6.* Undè qui omninò voluntariè diſtractus recitat horas, debet illas repete-

tere aliòquin mortaliter peccabit. Sanch. *conſil.tom.* 2.*lib.*2.*cap.*2.*dub.* 38. *n.* 9. Malderus 2.2. *tract.*10. *dub.*2. Moneta *de diſtrib.p.*2.*q.*2 *dub.*2. Trullenc. Filiuc. Rodriq. Bonac. Leander à Murcia, & alij quã plurimi, & fuit à viris timoratis iudicata communis, & vera, oppoſitaque vix extrinſecè probabilis, ſed falluntur, & trepidant timore, ubi non eſt, & multis ſcrupulis conſcientias angunt. Undè Collegium noſtrum re melius inſpecta ſententiam mutavit, quod multum obſervandum eſt, ſicut, & ego muto, & in turbatione meæ mentis, facta eſt tranquillitas magna.

Nollem tamen, ut hæc ſententia deſerviret ad habenas laxandas pigritiæ, & indevotioni, ſed ad ſecuritatem, & tranquillitatem conſcientiæ in actibus tàm inconſtantibus noſtri intellectus.

Quare audi verba præciſa Salmaticen. Colleg. *Sed re melius inſpecta Authores utriuſque ſententiæ videntur confundi, & verbis ſolis diſcordare, cum tamen, in re non diſcriminentur. Nec enim primi omnem attentionem excludunt, nec ſecundi omnem attentionem petũt.* Poſtea demonſtrat, quod intentio virtualis conſiſtit in eo, quod qui volens audire Sacrum, ſeù recitare Divinum Officium, vult ab initio actualiter orare, Deo ſervire, attendere, ut decet, cum aliqua promptitudine voluntatis, & hæc etiam eſt devotio, nàm eſt actus voluntatis, quo quis Deo ſe devovet illi obſecuturum, & talis intentio, licet actualiter non perſeveret, quamdiù non revocatur dicitur virtualis, nec per quemlibet actum retractatur, ſed vel per expreſſè oppoſitum, vel per incompoſſibilitatẽ actus, quamdiù ergo durat, datur attentio ſuffici-

ens

ens ad ſatisfaciendum præcepto.

Inſuper demonſtrat Colleg noſtrum ex D.Thom. 2.2.*q*.83.art.13. quod hæc attentio ſive actualis ſit, ſive virtualis poteſt eſſe, vel ad verba, vel ad ſensũ verborum, vel ad ipſum Deum, qui modus eſt perfectior, & demonſtrat quemlibet ex aliis duobus modis ſufficere ad ſatisfaciendum præcepto, & etiã ad fructum ſatisfactorium, & impetratorium conſequendum, qui proficiſcitur ex oratione. Et obſervat quod attentio ad ſenſum verborũ nullus Doctor dicit eſſe neceſſariam, alioquī Moniales,& rudes,nunquam ſatisfacerent præcepto. quare attentionem ad verba ſufficere docet D.Thom. & omnes Authores utriuſque ſententiæ.

Sed dices in quo conſiſtit attentio ad verba? Audi ibi D.Thomam. *Triplex eſt attentio, quæ oractioni vocali poteſt adhiberi, una quidem, quæ attendit ad verba,ne aliquis in eis erret.* Ergo ſi quis attendit ad verba, ne circa ipſa erret, ut debito ordine recitẽtur, cum debita pronunciatione,&c.Satisfacit præcepto. Sufficit enim, dicit Collegium hanc intentionem habere,ſeù intentionem ſic attendendi,& in ea toto tempore recitationis virtualiter perſeverare. Et hoc facit qui vel non habet voluntatem expreſsè illi contrariam, vel non ponit actum incompoſſibilem ex natura rei cum ea.

Poſtea docet attentionem ad verba non eſſe incompoſſibilem cum diſtractione voluntaria mentali. Nam non retractatur per quamlibet voluntariam diſtractionem, nam quælibet diſtractio,etiam volũtaria non eſt actus incompoſſibilis ex natura rei cũ illa [quidquid ſit de ea,] quæ accidentaliter aliquã-

do

do contingit) poteſt enim ſtare, quod aliquandò aliquis ſit in negociis cogitans voluntariæ diſtractus, & ad verba attendat, ne erret circa illa. Mens enim hominis non eſt adeo limitata, ut ſimul non poſſit circa verba attendere, & ſimul in mente alia revolvere. Nonne dico ego, poſsum pingere, & alia cogitare? Igitur per hanc diſtractionem mentis non interrumpitur illa virtualis attentio ad verba, ſufficiēs ad ſatisfactionem præcepti; ſed ſolùm per expreſsā voluntatem contrariam, vel per actum incompoſſibilem cum ea, ut confabulando, ſcribendo, alia legendo. Et ſi mentis diſtractio eſſet ita gravis, ut prorſus hominem abſorberet, & ab illa attentione verborum averteret, quod rarò contingit, de ea nō eſſet curandum dicit Collegium, tanquam de rarò contingenti. Et ego dico tunc repetat, quæ in iſta diſtractione vehementi recitavit, ſi fuit omninò voluntaria, ſaltem ad ſcrupulum tollendum. Poſtea Collegium conciliat ſententias, ut videre eſt apud ipſum.

Sed remanet ut reſpondeamus ad validum argumentum, quod quando actus internus eſt coniunctus cum externo illum Eccleſia poteſt præcipere. Ergo præcipiendo recitationem Divini Officij præcipit internam attentionem.

20 Reſpondeo, Quod attentio ad verba modo explicato, habet neceſſariam connexionem cum actu exteriori, qui eſt recitare Divinum Officium.

Sed contra Oratio eſt elevatio mentis in Deum, Ergo actus internus correſpondens Officio Divino, eſt intentio interna ad Deum. Sed reſpondet Coll. ex mente D. Thom. 2. 2. Quod in Spiritu, & veritate

orat

orat, qui ex inſtinctu ſpiritus ad orandum accedit. Sufficit enim quod quis animo orandi accedat ad recitationem, volens dicto modo ad verba attendere, ut mentem in Deum elevare dicatur: tollitur ſolú hæc elevatio, quando attentio nullo modo iungitur Orationi, ut dicit S. Doctor *in 4. diſt. qu. 4. art. 2 ad cap. Dolentes de celebr.* iam reſponſum eſt.

Sic concludit Sal. Coll. *Igitur tenendum eſt, quod ſi quis recitare incipiat animo adimplendi præceptum, & cum attentione ad verba, ut non erret circa illa, ſed debito ordine, & pronunciatione proferat, etiam ſi voluntariè mente vagetur, ſed non tantum, ut illam attentionem ad verba excludat, vel non advertat ſe ita rapi, ut impediatur à debita recitatione exteriori, ſatisfaciet obligationi recitationis Officij Divini, nec tenetur repetere, quæ ſic diſtractus perſolvit.* Sed quia ſunt multi ſtolidi, & inſenſati, qui hoc facere non poſſunt, ipſi maiori attentione recitent. Et quia aliqui ſcrupulis innumerabilibus circa hoc anguntur, pro illis tollendis addo, quod etiam ſtante opinione, quod requiratur attentio interna ad Deum, vel ad ſenſum verborum.

Si quis incipit audire Sacrum, ſeù recitare horas Canonicas illa interna attentione, poſtea dum audit, vel recitat, ultrò, & advertenter evagetur mẽte circa alia, ſi non advertat per hoc diſtrahi à Miſſa, ſeù ab Officio Divino, ſatisfacit præcepto; ratio eſt evidens, quia hic non diſtrahitur voluntariè ab horis, ſeù à Miſſa, & remanet prima intentio virtualis, præſertim cum ſufficiat intentio ad verba. Candidus *diſp. 25. art. 25. dub. 1.* Gaietanus, Sotus, Nieva, Armilla, Suarez, Navarrus, & multi valdè do-

ĉti Magiſtri, quos refert, & cũ quibus ſentit Thom. Sanch. *n.* 11. Coll. Sanch. de *Sacram. in genere tract.* 5 *cap.* 6. Qui Sanch. notat cum Navarro, & Gaietano, & alijs, quod ſi aliquis advertat ſe mente divagari, & adhibeat mediocrem diligentiã, ut attendat, nullo modo pcccare: at ſi non adhibeat talem mediocrem diligentiam peccare venialiter: nàm ſtante humana fragilitate impoſſibile eſt retinere ſemper talem attentionem internam. Nota tamen, quod ad ſentiendam recreationem ſpiritualem orationis, quæ eſt tertius effectus ipſius, requiritur attualis attentio. Duo primi effectus ſunt mereri, & impetrare. *S* Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 3. Sotus, Navarrus. Quæ omnia debent piè, & prudenter intelligi; & omnia ad ſcrupulos removendos, non ad pigritiam fovendam.

21 Quæres. 12. Suppoſito quod in illis Religionibus, in quibus ex conſuetudine Religioſi habẽt peculium, quod licitè poteſt, dummodo ad nutum Superioris ſit revocabile, & ad uſus honeſtos, & pios; etiam poſt Tridentinum, ut videre eſt apud Auctores à Salmaticenſi noſtro citatos *tract.* 12. *de Iuſt. & Iure cap.* 2. *de conſuet. punct.* 12 Quæres inquam, an Religioſi teneantur relinquere peculium Superiori, iubenti, & ſub pæna peccati mortalis?

Dicendum omninò peccare mortaliter ſubditos, reſiſtentes voluntati Superiori in tali caſu; vovet ũt enim paupertatem, & eſſentia paupertatis conſiſtit in non habere dominium, quare dominium eſt in Superiore.

Requiritur tamen ad hoc ut peccent, & teneantur relinquere peculium, quod Religioſis conſtet

ſufficienti ratione,ex communi pecunia ſibi proſpectum fore iuxta conſuetudinem ordinis,& perſonæ. Undè ſi à Superiore legitimo certa ratio inſtitueretur, per quam ſecundum vitam communem unicuique tribueretur neceſſarium, iuxta præſcriptum co nſtitutionum, quæ ut in noſtra Congregatione, ita in alijs ſimilibus ſolent dicere *inſpectis ætatibus,& qualitatibus ſingulorum*,non poſſent Religioſi huic reformationi reſiſtere, & ſi diverſam vivendi formam in ingreſſu Religionis inveniſſent.

22 Religioſus enim vovet (hoc nota valde)paupertatem non ſimpliciter, ſed ſecundum præſcriptum ſnæ Conſtitutionis. Sanch *lib.7.ſumm.cap.22.n.15.* Leſſius *lib.2.cap.12.de Iuſt.& Iure cap.2.de conſuet.punct.12.* Quod ego veriſſimum puto dummodo Religioſis proviſum ſit de neceſſarijs iuxta præſcriptum conſtitutionum, inſpectibus ætatibus, & qualitatibus ſingulorũ,& hoc eſt de iuræ naturæ. Quod impoſſibile iudico ſaltem in quampluribus Monaſterijs, quæ vix poſſunt parciſſimè alere Religioſos modo conſueto, niſi ex lapidibus panes fiant. Et utinam poſſet fieri, nàm ſub his rationabilibus conditionibus, Religioſi vitam communem more aliquarum Religionum, tam diſcretè,& charitativè exercitam, quam libentiſſimè amplecterentur. Dices. Quarè non more Capuccinorum? quia alia eſt paupertas Capuccinorum,alia Carmelitarum, Auguſtinianorum,& cæterarum Religionum nõ Reformatarum,quàm in profeſſione amplexi non ſumus, ſed illam quæ eſt iuxta præſcriptum Conſtitutionum, ut dictumeſt.QuareSãctiſſimè Sũmi Põtifices in ſuis Patenris litteris, quod nihilneceſſarium deſit Religio-

ſis, qui communiter vivunt ſemper inculcant. Et tã certum eſt, quod cuique neceſſaria debent provideri inſpectis ætatibus, & conditionibus ſingulorum: Quod dicant Auctores, quod ſi Prelatus, vel quia nõ poteſt, vel quia malitiosè non vult ſubditis neceſſaria ad victum, veſtitum, curationem, iter, &c. præbere, ſecundum conſuetudinem in illa Religione receptam iuxta conditionem cuiuslibet, poſſit abſque peccato ſubditus ſibi providere, ſeù clã à Monaſterio ſurripiendo; ſeù a ſæcularibus accipiendo, ut ſuæ neceſſitati ſuccurrat. Tunc enim Prælatus eſſet irrationabiliter invitus, & ſubditus uteretur iure ſuo, vovit enim paupertatem iuxta conſuetudinem, & uſum ſuæ Religionis ad præſcriptum tamen Conſtitutionum; & tunc tacitè à Religione licentia illi cõceditur, dum præcipit; quod Religioſis neceſſaria provideantur iuxta ſtatum, & conditionem cuiuslibet. Ibi Colleg. Salm., noſter Frater Antonius à Spiritu Sancto *in ſuo Direct. tract.3. diſp.6. ſect.2. n.131.* Bonac. *de rest. diſp.2. q.19.* Trullench. *lib.7. in Decal. cap.5.* Pellizzar. *tract.4. cap.2. ſect.4.* Sanch. *in Decal. lib.3. cap.19.* Palaus *tract.16. de ſtatu Religioſo diſp.3.* Hyeron. Gargia *in polit. Regul. tract. pu. 3.* Et hoc admittit, ut verum, Colleg. etiam pro ſua Religione, quando defectus eſſet valde notabilis, quia cõntrarium cautum eſt in eorum conſtitutionibus; Prælatus verò qui non tribuit neceſſaria, &c. in illis Religionibus, in quibus omnia neceſſaria ſubditis dantur peccat mortaliter, & multorum malorum cauſa eſt [dummodo tamen poſsit] Vide Coll. Salmat. loco citato, quod enumerat vàrios Doctores doctiſsimos hoc docentes, & mihi videtur certiſsimum

ſolo lumine naturæ, quod extendendum eſt ad omnes Religiones ſecundum illud, quod Religioſis à Superiore ſubminiſtrantur multa; ut victus, medicinalia, &c. Si enim iſta charitativè, & aliquo modo liberaliter Subditis non præbeantur, ſed ferè omnia parcæ, nec bonæ qualitatis, ſecundū tamen ſtatum Religioſorum; certè peccant mortaliter Superiores, & Officiales; ſunt enim cauſa inoſſervantiæ, iuſtæ quærimoniæ, quæ pacem univerſalem, & particularem perturbant, præcipuè, quādo ſibi ſunt Superiores indulgentes, cæteris parci, ne dicam avari. Benè ergo monet Prelatos omnes. Cardinal. de Lugo *tom.* 1. *diſp.* 3. *ſect.* 8. *n.* 188 quod magis inclinet ad liberalitatem, quam ad parſimoniam, cum veriſsimum ſit illud dictum mellifiui Doctoris. Ubi nō eſt abundanlia, ibi non eſt obſervantia.

21 Queres 13. An qui habet copulam cum coniugata, Marito conſentiente, committat adulterium?

Quinquageſima propoſitio damnata ſub Innoc. XI. eſt huiuſmodi.

Copula cum Coniugata conſentiente Marito, non eſt adulterium; ideoque ſufficit in confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum.

Quare cum ſit hæc propoſitio antecedens, ex quo ſequitur iſta. Copula Mulieris, cum Marito conſentiente Uxore, non eſt adulterium, ideoque ſufficit in confeſsione dicere ſe eſſe fornicatam, remanet, & ipſa damnata, ne dum virtualiter, ſed formaliter, & expreſsè propter omnimodam paritatem rationis.

Hoc clariſsimum eſt. Undè

Di

Dicendum in tali concubitu adeſse formalitet adulterium,& eſt de fide ex Apoſtol. 7. *ad Roman.*ut videre eſt.

Sed ideo poſui hunc caſum, ut aliqua ſcitu digna adnotarem.

24 1. Quod vir cōnſentiat in adulterium Uxoris, vel non conſentiat, cum irrogetur iniuria Sacramento, peccatur contra fidem Matrimonij, quare etiam irrogatur iniuria Marito, quia in hoc non poteſt cedere iuri ſuo; ſcienti, & conſentienti nulli ſit iniuria in rebus, quæ cadunt ſub dominio proprio, non in fide Matrimonij, quod petit inſeparabiliter obligationem non violandi fidem, & indiſpenſabiliter, undè iuri ſuo Maritus cedere non poteſt; poteſt tamen condonare iniuriam non accuſando adulterum, nec ferro arcendo iniuſtum ſui honoris aggreſsorem, ſed non poteſt in nullo caſu conſentire validè in violationem fidei Matrimonialis, & in noſtra Diæceſi eſt caſus reſervatus,ſcilicet permiſsio, quod Uxor ſe proſtituat, & copiam ſui faciat. Noſter P.Lūbier in hac propoſ.

2 In Adulterio præter malitiam luxurię, & iniuſtitiæ, adeſt alia malitia, ſcilicet irreligioſitatis, quia Matrimonium eſt Sacramentum. Card.de Lugo *tom.*1.*de Iuſt.diſp.*8.ait enim, (loquitur de adulterio) Habet tamen malitiam ſpecialem contra bonum Sacrament.Trullench.*in Decal.præcep.6.cap.*1.*n.*2. de Cardenas hìc. Nā fides Matrimonij obligat non ſolum ratione contractus, ſed etiam Sacramenti, ergo duplex malitia, ſicut qui violaret ieiunium, ad quod tenetur ratione voti, & ratione præcepti.

Dixi in adulterio adeſſe malitiam Irreligioſitatis, non tamen ſacrilegij. Omne enim Sacrilegium eſt etiam Irreligioſitas, ſed nota quod omnis *I*rreligioſitas non eſt ſacrilegium; Irreligioſitas enim continetur in omnibus vitijs, quæ opponuntur Religioni, eſt enim ſpecies ſubalterna continens multas ſpecies infimas oppoſitas Religioni, ut periurium, blaſphæmia, tentatio Dei, Sed ſtrictè, & propriè loquendo adulterium non continet malitiam Sacrilegij. Nam Sacrilegium eſt violatio rei ſacræ, ſed non quælibet violatio, ſed violatio formaliter, & immediatè. In adulterio igitūr non violatur immediatè ipſum Sacramentum, ſed mediatè quia violatur lex, quæ immediatè oritur ex Sacramento; & iſta malitia exprimitur commnni vocabulo, nempè Irreligioſitatis. Ex hoc apparet etiam quare omnia peccata contra Religionem non ſint ſacrilegia, & quam grave delictum ſit adulterium.

25 Quæres 14. Petrus collatori, ſeù præſentatori *B*eneficij dicit [ero tibi gratus] committit ne peccatũ Simoniæ, aut dicit, cõfide in me, ero tibi gratus.

Adſunt hę duæ propoſitiones damnatæ ſub Innocentio XI. iǹ ordine 45.

Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia, quãdo temporale non datnr tanquam prætium, ſed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpiritnale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita cõpenſatio pro ſpirituali, aut è contrà

46 *Et id, quoque locum habet, etiam ſi temporale ſit finis ipſius rei ſpititualis, ſicut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritnalis.*

Di-

Dicendum ſi hæc verba *ero tibi gratus*, dicantur ſincerè, & ſine intentione dandi temporale pro ſpirituali, exprimendo tantùm ſuam obligationem antidoralem, cum per hæc verba non remaneat obligatus ad dandum aliquid temporale, & poſſit promiſſis ſatisfacere, orando Deum pro ſuo benefactore; nullam labem Simoniæ ſecum ferret. Sed ſi attentis circumſtantijs ex communi modo loquendi inter Clericos, depræhēdatur voluntas dādi aliquod temporale pro ſpirituali, eſt verè Simonia, ne dum mentalis, ſed conventionalis, expreſſa per verba allata, & pænis Canonicis ſubiecta.

Sed nota quod in prima propoſitione damnata dicitur. *Etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita cōpenſatio pro ſpirituale, aut è contra.*

26 Quare diſtinguendum eſt inter gratuitam compenſationem, & gratuitam donationem. Gratuita enim donatio, fit ex mera liberalitate ſine debito vero, aut exiſtimato, & ſine onere; aliòquin eſſet non donatio, ſed contractus oneroſus, & licet ad hanc donationem, etiam pertineat donatio remuneratoria. In præſenti debet accipi liberalis donatio, ut contradiſtinguitur à donatione remuneratoria. Pontifex ergo damnat propoſitionem aſſerentē poſſe ſine ſimonia dare pro ſpirituali, vel ſpirituale pro temporali ex gratuita compenſatione, non ex gratuita donatione; Sed an ſemper, & in omnibus caſibus liceat gratuita donatio. Vide quæ ſcripſit Caſtropal. *tom.3.tract.de Sim.punct.5.nu.6.* Suar. *tom.1. de Relig.lib.4.cap.29.* Certè occaſione Ordinis non poteſt, Conc.Trid. *ſeſſ.21.cap.1.*

De Simonia vide Doct. meum Reſolutum de Bae

cone *in* 4.*diſt*.22. Lexan.*V.Simonia*.

27 Quæres 15. An qui labitur in peccatũ mortale, teneatur ſtatim elicere actum contritionis, ſi nò illicò confiteatur?

Dico ſtatim moraliter phiſicè, ideſt quando poſt commiſsum peccatum occurrit de eo recordatio; & ſit opportunitas ad eliciendam contritionem, cum non adſit phiſicum impedimentum illam impediens.

Communis ſententia aſſerit talem, nec ſtatim teneri ad eliciendam contritionem, neque ad Sacramentalem Confeſſionem. Suar.*de pæn.diſp.*15.*ſect* 5.qui citat Durandum, Angelum, Ioannem de Medina, Sotum, Canum,, id aſſerit Card. de Lugo *de pæn. diſp.*7.*ſect*.11.Caſtropal.*tom*.4.*tract*.23.*diſp.unic.pũct*.20.P.1.*n*.3.& apud ipſum Henriq.Coninch. Layman. Vaſq. 3.*par.q*.86.*art*.2.*dub*.5. & alii plurimi. Secunda ſententia contrariorum, docet talem teneri ad perfectam contritionem, vel ad ſuſcipiendum Sacramentum Pænitentiæ. Sic Argentina *in* 4. *diſt*. 27.*art*.4.*ad* 4.Paludanus *in* 4.*q*.1.*art*.3.*concl*.2. D. Antonin.3.*p.tit*.14.*cap*.8.§.2.Maior. *in* 5.*diſt*.17.q.5. *&* 9.Alenſis 4.*e diſt*.17.*q*.5.*&* 9.Sylveſter V.Contritio S.Bonaventura *in* 4.*diſt.art*. 4. *in ſecunda par.q*.3. Caietan.2.2.*q*.66.Guliel.Pariſien.*tract.de pænit*. Archidiac. *in cap.ille Rex de pænit*. Abulenſ.*lib*.1. Paralip. & alii.Probatur. Chriſtus in Evangelio præcepit, ut ſemper vigilemus, quia neſcimus, &c. Sed vigilare quia neſcimus diem, eſt ponere ſe ĩ ſtatn iuſtificationis, ergo Matth.24.*V*.41.*& V*.44.*& cap*. 25. *& V*.13.*&* Marci 13.*V*.35. *Vigilate neſcitis enim, &c.* Et Lucæ 12.*V*.39. & 40. & in hoc ſenſu intelligit S. Gregor.*hom*.13. *in Evang*. S. Ilarius *in cap*.24.*Matth*

th. & ferè omnes Interpretes. Nec eſt conſilium, ſed præceptum. Conſilium enim eſt voluntarium, hoc eſt neceſſarium, & Suar. dicit, & benè, quod omnia, quæ in Scriptura proponuntur ſub commi-natione æternæ damnationis, poſita ſunt ſub rigoroſo præcepto, & ſic intellexerunt Sancti Patres, Vide illos apud de Cardenas *diſert.6.cap.3.* Inſuper ad hoc homo tenetur ratione charitatis erga animã ſuam, ad cavendum periculum, & etiam contingentiam, & dubium damnationis, ſed omninò videndi ſunt, ut dixi Sancti Patres.

Poteſt tamen excuſari a peccato mortali in tali caſu ignorantia, ſeu inadvertentia invincibilis. Et hæc eſt mea ſententia, & ſi quid in contrarium dixi ijs, quæ in hac quæſt. Miſcell. aſſero, volo eſſe nulla, nam in hac Quæſtione omnia in fonte vidi, & exprofeſſo diligentiùs materias examinavi.

28 Quæres 16. An Petrus accuſatus falsò in Iudicio, vel extra, poſsit imponere pariter falſum crimen ſuo accuſatori, ſeù Teſti, ut ſe defendat; Adſunt iſtę duæ propoſitiones damnatæ.

43 *Quid ni niſi veniale ſit detrahentis authoritatem, magnam ſibi noxiam falsò crimine elidere*, &

44 *Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam Iuſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non eſt probabile, vix erit opinio probabilis in Thelogia.*

Quare dicendum non licere, neque in Iudicio, neque extra.

Unde peccat qui in Iudicio falsò accuſatus imponit falſum crimen accuſatori, vel Teſti. Molina *tom. 5. de iuſt.tract.4.diſp.24.n.2.* & S.Thom.*22.q.69.art.2.*

quæ-

quærit utrum accuſato liceat calumnioſè ſe defendere, & reſpondit inter alia. Falſitatem tamen proponere in nullo caſu licet alicui, & patet loqui de culpa gravi. Et alij multi Doctores id affirmant.

Probatur: Quia hæc infamatio, vel deſervit ad defenſionem, vel non; Si non, erit infamatio iniuſta proximi ſine neceſsitate, vel utilitate. Si deſervit, hoc erit probandum per Teſtes, qui cum debeant iurare, committent peccatum periurij, & per conſequens ad hoc hortari, eſt peccatum mortale, & hoc deſervit pro infamato in Iudicio.

Probatur etiam de imponente falſitatem extra Iudicium. Nam falſitatem proponere in nullo caſu licet, & dicere falſum in materia gravi eſt mortale. Inſuper hæc falſa criminis impoſitio, non eſt defenſio, ſed vindicta. Dices hæc eſt defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ Ergo licet.

Reſpondetur negativè. Nam ad moderamen inculpatæ tutelę requiritur, quod conſtet evidenter illud eſſe unicũ, & efficax mediũ ad defenſionem, ut patet in aggreſſore cum gladio, quem licet interficere, cum videt hoc eſſe medium efficax, & unicum ad vitam tuendam; non ſic in caſu præſenti, nàm plerumque impoſitio criminis accipitur pro vindicta iracunda patientis detractionem. Ergo non eſt medium efficax, & unicum.

Ergo dico ego quando conſtat hoc eſſe medium unicum, & efficax poteſt adhiberi.

Reſpondetur nunquam licere, nàm de hoc evidenter non poteſt conſtare, & eſſe ſemper mendacium, adſunt tamen alia media licita, & efficaciora, ut

ut indagatio veritatis,nam veritas extenuatur, ſed non infringitur.

29 Quæres 17. An ſit licitum unicuique uti Epikeia,& in quibus caſibus?

Præmittendum quod Epikia,ſeu Epikeia eſt quędam emendatio,ſeu moderatio legis, & exceptio caſus particularis, ob aliquas particulares circumſtantias, quæ ſi fuiſſent à legislatore cognitæ, illos caſus non compræhendiſſet in lege, nam tunc etiam à legislatore debebat fieri, ut notavit Caietan. 2. 2. *q*.20.*art*.1.& tunc prudenter iudicatur illum caſum noluiſſe legislatorem,ſub lege compræhendere.

Sed dices. In tali caſu requiritur diſpenſatio obtinenda ab habente facultatem, nam poſſeſſio ſtat pro lege.

Reſpondetur quod diſpenſatio requiritur quando dubium eſt de cauſa excuſante à lege:in evidentibus autem non eſt opus diſpenſatione, ſed executione,& tunc datur virtus EpiKeiæ, ſi autem dubium ſit dicit D.Thomas 1.2.*q*.96.*art*.6.*ad* 2. debet vel ſecundum verba legis agere, vel Superiorem conſulere. In caſu verò quod probabile ſit legem ĩ tali caſu deficere, vel quia hoc ratione firma fulcitur, vel quia à Doctoribus aſſeritur licitum eſſe, uti EpiKeia. Palaus *tract*.3.*diſp*.5 *par*.3.§.2.*n*.2.

Dicendum igitur dari hanc virtutem, non ſolum in lege humana,divina,ſed etiam naturali,Quę quãdo prohibet res intrinſecè malas, & eſt etiam negativa extenditur ad omnes particulares caſus. Nũquam enim licet mentiri, falſum iurare, & in ſimilibus;undè tunc EpiKeia non datur, quando autem non eſt huiuſmodi, non extenditur ad omnes caſus,

vol

vel pro pter circumſtantias particulares, vel quia legislator eos non prævidit, vel quia ad evitandam prolixitatem, aut confuſionem in lege noluit hoc exprimere, ut fecit ſecundum ſenſum D. Thomæ, Divinus legislator, tribuens locum tali virtuti.

30 Diximus EpiKeiam dari in lege humana, Divina, & naturali, ſed in Divina, & naturali ſolùm in aliquibns, & tantùm quandò caſus deficiunt à regula communi legis. Lex enim agit in univerſali de eo, quod evenit frequenter. Et ſi res præcepta non poteſt denudari à malitia, tunc in ea non habet locũ EpiKeia. Exempla poſſunt eſſe aliqua huiuſmodi. Lex naturalis præcipit hominem non occidi, & tamen eum poſſum occidere cum moderamine inculpatæ tutèlæ. Præcipit ſervare ſecretum, & tamen in multis caſibus, ut diximus, poſſum illud violare. In caſu neceſſitatis contra præceptum Divinum adiudicavit David, ſe poſſe comedere Panes Propoſitionis ratione neceſſitatis. Machabei 1. Machab. 2. iudicaverunt ſe non obligari ab abſtinendo ab effuſione ſanguinis Sabbato, ob magnum periculũ, quod ipſis imminebat. Caietan. 3. 2. *q.* 120. Colleg. Salmat. & alij.

31 Diximus ſolùm licere quando deficit finis legis, debet deficere contrariȩ, nempè quia lex in tali caſu redditur damnoſa, & valde oneroſa, ſi tunc obligaret: nam cum ſit lex ordinata communi bono, quando non eſt huiuſmodi deficit lex. Poſſum negare depoſitum enſem, ſi Dominus vult occidere innocentem, & ſufficit ad deficientiam legis, quod ſit oneroſa in illo caſu, & valdè difficilis obſervatu. Quare non obligor ratione EpiKeiȩ in multis caſibus ſá-

ℭti-

ſtificare diem feſtum legere horas canonicas.

32 Quæres 18. Quando dicatur dimiſſio temeraria habitus Religionis, per quam incurritur excommunicatio?

Præmittendum. Quod ſi Religioſus tacitè, vel expreſsè profeſſus, temerè habitum ſuæ Religionis dimitteret, incurreret excommunicationem ipſo facto, quod etiam militat de Monialibus *in cap* 2. *Ne Clerici, vel Monachi in* 6. *cap. Vidua* 20. *q.* 1. *cap. Sanctimonialis diſt.* 23. debet igitur eſſe dimiſſio temeraria, ut incurratur excommunicatio.

Quare ut ſit dimiſſio temeraria oportet, quod nulla interveniat cauſa pro nihilo habendo legis violationem, & ſic cum quodam contemptu formali, ſeù virtuali legis, Coll. Salm. citans S. Thom. & Caietanum, nec requiritur quod dimittat, animo illum non reaſſumendi, ſed ſufficit quod ſit temeraria, quæ præbeat occaſionem vagandi, & talem etiam præbere poteſt dimiſſio habitus facta ad tempus Lezan. *tom.* 1. *cap.* 14. *n.* 3 Pellizar. *tiact.* 5. *cap.* 7. *n.* 13. Bonac. *de clauſ. q.* 2. *punct.* 2. *nu.* 19. & alij multi. Igitur qui deponit habitum ad ſtudendum, ſaltandum, in ludo aliam perſonam repręſentandam, non incurrit hanc excommunicationem ob rationes dictas; pariter nō incurrit qui illum celat. Vide Collegium noſtrum.

33 An incurrat qui habitum ſuæ Religionis dimittit alterius Religionis aſſumens, etiam animo tranſeundi ad illam, ſi non ſit cum debita licentia?

Dicendum incurrere. Vide Suarez. *de cenſur. diſp.* 23. *ſect.* 4. *n.* 32. Et incurrit etiam qui dimittit in Monaſterio; dummodo ſit ut diximus temeraria. Lezana *tom.* 1. *cap.* 3. *n.* 5. Magiſter Albertus Schachinus

ex

❧ noſtra Carmelitica Congregatione Dubitat. lumen.*q*.36. qui etiam non liberat à peccato dormiẽtes ſine ſigno ſui habitus *in cit.cap. Vidua* 20. *q*. 4. *ex cap.Sanctimonialis diſt*.23.

❧ Quando autem eſſet conſuetudo in alìquo Conventu in æſtate ſine habitu incedere, qui taliter incedit non peccat cæteris paribus mortaliter, nec temere dimittit, undè nec incurrit excom.

Dices datur ne circa hoc parvitas materię excuſans a peccato, & ab incurrenda excommunicatione? Lezana, Sylveſter, Sayrus, Suar. *tom*.4.*tract*.8.*lib*. 1.*cap*.5.& alij negant. Colleg. verò noſtrum, Noſter Antonius à Spiritu Sancto, Bonac. loco citar.*n*. 10.& quamplures affirmant, etiam ſi Religioſus modo dicto habitum dimitteret, etiam ut maleficium liberius exequeretur. Ego probabiliorem puto primam opinionem, nam in textu prohibitorio non requiritur perſeverantia in dimiſſione, ſed ſufficit quod ſit dimiſſio temeraria. quare.

Dicendum quod quando eſt temeraria modo dicto, dimiſſio habitus, incurritur excommunicatio.

Petes, incurrit ne iſtam excommunicationem Religioſus, qui patrato delicto dimittit habitum ne capiatur? Qui dimiſſo habitu recurrit ad Superiorem, gravatus à Prælato locali, ne cognoſcatur?

Dicendum negativè, nam tunc non eſt temeraria dimiſſio, cum contemptu formali, ſed dimittit, ut ſuæ ſaluti conſulat. Coll. Salm. *tract*. 15. *de ſtatu Religioſo cap*:5.*punct*.6. citans varios claſſicos Auctores

Idem dicunt de Religioſo, qui ne cognoſcatur in delicto committendo dimittit Habitum. Vide ibidẽ Colleg. Rogabis. Petrus Religioſus nocte cogitur e-

xi-

xire è Mobaſterio dimittit habitum, ne præbeat ſcandalum, incurrit ne excommunicationem?

Reſpondet noſter P.Antonius à Spiritu Sancto *n.* 972. Pellizzar.*n.*32. Negativè, nam talis dimiſſio non ordinatur ad vagandum, ſed ad rationabilem, & prudentem finem, & ſic non eſt dicenda temeraria .Sed vide omninò Colleg.Salm.

34 Quæres 19. An Magiſtri in Religionibus, & cæteri graduati, qui non habent requiſita, quæ requiruntur ad gradum ſuum, defectu ſcientiæ, ſeù aliorum requiſitorum ſui gradus, debēant illum renūciare, & hoc non facientes ſint in ſtatu peccati mortalis?

Dicendum 1.Petentes,& admittentes ſcienter nō idoneos ad gradus Nagiſterij,& Doctoratus peccare mortaliter.Sylveſter *vrrbo Doctor q* .4.Sà *in Summa verbo docere*.Lezana s *obligationibus Religioſorū cap*.8.Patebit ex dicendis.

Dicendum 2.ineptos ad munus ſuum exequendū, peccare mortaliter,petendo, aut retinendo gradus Magiſterij,Ductoratus, Baccalaureatus,Lectoratus, Sylveſter *V.Doctor*.

Contrarij enim ſunt eligentes, petentes, retinentes tales gradus, intentioni Eccleſiæ, & Religionum in inſtitutione huiuſmodi graduum; quæ eſt ut tales graduati declarent, & defendant myſteria fidei contra infideles, & dubijs fidelium ſatisfacere poſsint, quod inhabiles facere nequeunt .Sanch.*tom 1.conſ.moral.lib.2.cap.2.dub.*57.Lexan.*de Prælatur,& offic.Regul.cap*, 13Quibus libentiſſimè me ſubſcribo.

15 Abdit Lezan.*n.* 42. loco citato, hæc præciſa verba ſupra Decretum Clemen.VIII. & Urbani VIII.

VIII Quod non poſſunt [nempè tales graduati]uti aliquo privilegio ſui gradus niſi actu legant,vel prędicent. *Ex quo videtur dicendum quod Magiſtri in Religionibus non poſſunt habere vocem activã , vel paſſivam in Capitulis , niſi actu legant,vel prædicent,habere enim talem vocem eſt privilegium quoddam,non ius commune cum non ſint prælati .Excuſari tamen poterunt à legendo,ſeù prædicando ſi valdè ſenes,infirmi,vel impediti ſint &c.* Sequitur ſimiliter , *illud actu legere,vel prædicare trahi poteſt ad ſimiles caſus,quales ſunt libros edere,caſus conſcientiæ reſolvere,& ſimilia,&c.*

Et de Peirinis *t.* 1. *Privileg.* Minimorum actu legere eſt quando tempore vacationum ſtudent,ut legant . Videant ergo illi graduati , qui obliti librorũ vacant ludibus,& recreationibus (ſi tamen tales , quod non credo,inveniuntur] quid illis immineat in coſcientia , & ſaluti proprię proſpiciant . Inſuper ſunt cauſa tales inhabiles ad munus ſuum ſaltem cõgruè exercendum , iuſtæ murmurationis; liberantur enim à multis oneribus Religionum: occupant præcedentiam aliorum , non ſibi debitam in conſcientia ; & quod verùm eſt regulariter , ſaltem imperitiores ſuæ dignitatis zelotes , ne deſpiciantur, ſolent eſse audaciores,ne dicam ſuperbiſſimi,& inimici virtutum , propter propriam ignorantiam.

36. Hic obiter nota quòd Doctoratus eſt dignitas *text,in c.quanto de Mag.*Sylveſter *V. Doctor.*

Nota etiam quod inter Doctores debet præcedere 1.Theologus,poſtea Canoniſta , deinde Legiſta, ultimò Medicus.Panormit.*in C Clerici.* Sylveſter ibidem *q.*2.Sed pro maiori claritate , & ſoliditate eorum quę diximus.

17 Quæres 20.cum eodem Sylveſtro.. Vtrum liceat petere Doctoratum? Præciſa verba Sylveſtri *Et ad hoc reſpondet S. Thomas de Doctoratu Theologiæ, ideſt Magiſterio, in quolibet querens utrum liceat alicui pro ſe ipſo petere licentiam docendi in Theologia, & dicit quod ſic: quia nullam petit excellentiam poteſtatis, quod turpe eſſet, ſed ſolùm opportunitatem communicandi, illud quod habet; communicare autem ſcientiam habitam, eſt laudabile pertinens ad charitatẽ ſecundùm illud ſapientiæ 7.quam ſine fictione didici, & ſine invidia communico: poteſt tamen hoc continere turpitudinem ratione præſumptionis, ut ſi non eſt idoneus;* hęc ex illo.

Ex quibus patet 1. de ſe hoc non eſſe illicitum, & conſequenter neque hoc appetere, & 2. quod ad licitè Petendum duo requiruntur 1. Idoneitas hoc petentis, & ſecundo finis debitus, ideſt communicatio Doctrinæ, & non excellentia principaliter, unde ſi non idoneus hoc petat, mortaliter peccat ſecundum Arch.& alios quia facit contra intentionẽ Eccleſię, quæ creditur ordinaſſe officium Magiſterij *extra de Magiſt.per tot.* ad declarationem & defenſionem fidei Catholicæ, ut ſciant fideles ad quos recurrant in dubiis; quæ exigit communiter iuramentum in magiſtrandis, ut non admittant indignos, quod non facit niſi in arduis, quæ vult omninò ſervari maximè hic, quia ex contrario ſequitur deriſio fidei, & periculum animarum. Et ſimiliter eſt mortale tales admittere eadem ratione: & quia admittens etiam eſt periurius. Et ſimiliter ſecundum eũdem eſt mortale, ſi hoc petat idoneus principaliter ad honorem, vel commoditatem ſuam, quia officiũ

rituale facit venale, ſed hoc admittendum cum cautela, & ſolùm quando finis intentus dico ego, eſt peccatum mortale. *H*æc Sylveſter, quæ omnia expende.

38 Quomodo agendum cum talibus graduatis inhabilibus ſi adeſſent in Religionibus?

Lezana citans privilegia Martini V. & Eugenij IV. conceſſa pro minoribus, & pro illis qui cum ipſis participant in privilegijs, dicit non poſſe gaudere beneficijs, & privilegijs talis gradus, nec haberi, aut reputari pro Magiſtris, nec ſe pro talibus gerere, & nominari; & ad hoc, debere compelli à Capitulis, & Superioribus ſub pæna excommunicationis, & dicit Lezana, quod Religiones, quæ cum minoribus communicant in privilegijs, poſſunt, imò debent eò privilegio uti, ut indigni, & ambitioſi, qui in legitimè ad dictos gradus in Religionibus aſcenderunt, ab eis removeātur. *v. Graduati Regulares, n.* 2.

Quod meo videri diſcretè accipiendum eſt, & cũ iſta moderatione, dummodo munus ſuum congruè adimplere non poſſint. Sed ſi ad illud exercendum, puta quia verè nõ poſſunt congruè docere, ſunt inabiles; tunc omnia ſupradicta iudico in praxi ſequēda; nimis enim Religiones patiuntur ob multitudi iſtorum graduatorum.

Quod proportionaliter intellige de Benemeritis, in noſtra Congregatione, ſi fiant ſine requiſitis neceſſarijs, eſſet enim contra finem Pontificis concedentis, & Conſtitutionis ordinantis.

39 Inſuper nota pro ſtudentibus, quæ dicit Lezana de obligationibus Religioſorum *Cap.*8. *tom.* 1.

Religioſi etiam ad ſtudia deputati notabiliter negligentes, in ſtudendo, ſepè peccant mortaliter. Tunc quia occupant aliorum locum. Tum quia abutuntur commoditate, illis ad ſtudendum à Religione conceſſa, videnturque ſcientias contemnere. Navar. *in ſumma cap.* 25. Peirinis *tom.* 1. *de ſubdito qu.* 1. *de obedientia cap.* 30. *ex tom.* 2. *de Prælato.* Bannes 22. *q.* 33. *art.* 3.

Quęres 21. An per defectum poſſit quis peccare contra humilitatem per nimiam ſui abiectionem?

Ponamus exemplum Caius Sacerdos ob inordinatam ſui abiectionem, ſubicit ſe ſæculari iudicio. *Ioſeph* Epiſcopus pręponit ſibi Sacerdotem, aut Diaconum. Martinus Superior flexis genibus petit veniam de aliqua re à ſuo ſubdito per abiectionem.

40 Quæritur an peccent, & quomodo?

Dicendum 1. peccare. Ratio eſt quia humilitas inclinat utique imò impellit ad ſui abiectionem, ſed non quocumque modo, ſed prudenter, & penſatis circumſtantiis, quare non debet redundare in ſtatus dignitatis, & officii detrimentum, dedecus, & ſcãdalum, aliòquin peccatur per defectum, & cõtra humilitatem. Quare eximius *D*octor D. Franciſcus Saleſius docet quod humilitas, quæ charitati præiudicat, certè falſa eſt, & quod *S*ancti, qui ſe fatuos finxerunt, ut deprimerentur, ſunt admirandi, non imitandi, quia potuerunt habere particularia motiva ad hoc faciendum, nam ſequendo humilitatem bonum nomen ſervare debemus 3. *par. introduct. ad vit. Devot.* ipſum vide, qui more ſuo pulcra dicit.

Dicendum ſecundò. Qualitatem peccati conſiderandam eſſe ex iniuria, & incommodo, quod ſtatui, & dignitati fit, quare erit peccatum veniale, aut

mortale, prout iniuria, & incomodum erit grave, aut leve.

Sed dices quod talis abiectio pertinet ad puſillanimitatem, quæ non opponitur humilitati, ſed magnanimitati.

Reſp. quod ſi fiat ex nimio affectu ſe humiliandi, opponitur humilitati, ſi ex nimio affectu fugiendi honores, quia ſunt res nimis magnæ, opponitur magnanimitati, & ad puſillanimitatem reducitur. Vide noſtram *qu.* 8. An licitè poſſit condonari reſtitutio famæ ab infamato.

Quæres 22. An ignorantia earum rerũ, quas quis ſcire tenetur excuſet à pæna, & à culpa eodem modo?

Pro intelligentia ſciatis quod hic agitur de ignorantia propriè dicta, quæ eſt carentia ſcientiæ, ſeu cognitionis debitæ. Ignorantia impropriè dicta, eſt carentia ſcientiæ, ſeu cognitionis indebitæ. Quo ſtãte dicendum 1. Ignorantiam ſufficientem ad culpã gravẽ contrahendam, contra aliquod præceptũ, ſufficientẽ nõ eſſe ad contrahẽdã pænã Eccleſiaſticã, nempè cenſuram. Sic declaratur in 6. *ut animarũ periculis obvietur ſententijs per ſtatuta, quorumcumquæ Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina.*

Nota quod non excipitur ignorantia affectata, quæ eſt ſtudioſè quæſita, hæc enim in iure æquiparatur ſcientiæ. Quæ doctrina præcipuè militat, ubi lex, aut ſtatutum requirunt Scientiam, ſeu præſumptionem; nam qui aliquid facit per ignorantiam, non facit per ſcientiam, aut per præſumptionem.

Nota etiam quod quia textus excipit tantũ ignorantiam craſſam, & Supinam (nẽpè quando debi-

tæ omittuntur diligentię, negligendo ſcire quę debemus] nullo modo poteſt ſuſtineri opinio aliquorum dicentium quod quando in legibus, Statutis, aut præceptis requiritur ſcientia, aut præſumptio excuſetur à cenſura qui laborat ignorantia craſſa, aut Supina. Exceptio enim firmat regulam in contrarium, & ignorantia craſſa, Supina, & affectata in pænalibus ſcientię comparatur Tiraq. *de pœnis temperant.cauſ.*13.*nu.*22. Vide noſtrum P.Gabriel.à *S.* Vinc. *cenſur.diſp.*1.*n.* 262.

41 Dicendum 2. ignorantiam excuſantem ab incurrendis pænis Eccleſiaſticis non excuſare à pænis divinis,& humanis inçurrendis.

Ratio clara eſt. Nam qui committit adulterium, homicidium &c.incurrit reatum æternæ pænę,& etiam alias civiles, licet ignoraverit has pænas. Excipiuntur cenſuræ,nàm, ut iſtę incurrantur debet præmitti aliqua monitio, & contumacia, quæ non reperitur in ijs, qui pænam ignorant. In cæteris verò pænis Eccleſiaſticis, divinis, & humanis ſufficit malitioſa tranſgreſſio, quæ ſemper reperitur in eo, qui ignorat, quæ ſcire debet.

Nota quod pertinet ad illum probare ignorantiam, qui illam allegat. Menoch *præſumpt.* 23.*n.* *n.*10. Et probatur iuramento,coniecturis, ſignis, & unicus teſtis ſufficit. Farin. *in praxi q.*63.*n.* 49. & in dubio præſumitur,niſi ſcientia probetur. *de reg. iur. in* 6.

Nota tamen quod in foro exteriori non præſumitur ignorantia iuris communis *in* 6.*de reg.iur.* Sic habetur *ignorantia facti*, *non iuris excuſat*. Eſt enī culpa lata ignorare diſpoſitionem iuris, & leges uni-

verſales; ſed hoc patitur multas limitationes, nempè ſi civis ſit novellus, quando habet admixtam ignorantiam facti. Si ius ſit difficile, obſcurum, & arduum; & etiam non valet in minoribus, Militibus, fęminis, &c.

Ignorãtia facti proprij nõ præſumitur niſi per lõgũ tẽpus cẽſeatur deleta memoria. Ignorãtia facti alieni in dubio facilè præſumitur, dummodo res non ſit publica, notabilis, gravis, & multi ponderis.

Qui tamen multis implicatur negotijs, præſumitur etiam propria facta ignorare, ſicuti qui in extremis laborat. Vide Menoch. *hic n.*49. *Præſumpt* Gabriel. noſtrũ à S. Viuc. *diſp.* 1. *dub.* 3. de remedijs ignorantię. Sed pro foro conſcientiæ.

42 Quæres. An ignorantia ſit peccatum diſtinctum ab illa re, contra quam peccatur.

Status quæſtionis iſte eſt. Franciſcus ex ignorantia alicuius pręcepti transgreditur illud præceptum v.g. Sanctificandi feſta. Quæritur an ſufficiat in confeſſione dicere feſta nõ ſanctificavi, an oporteat dicere feci hoc ex ignorantia. Dubium currit quando fuit culpabilis ignorantia, aut oblivio; nam ſi ignorantia eſſet inculpabilis, certum eſt quod cum excuſet ab illa ommiſſione, neceſſe non eſt confiteri illam ommiſſionem, & perconſequens illam ignorantiam. Igitur ſenſus eſt an ignorantia inducat peccatum diſtinctum, quando eſt vincibilis, & culpabilis, ac proinde debeat confiteri diſtinctè v. g. feci hoc ex ignorantia.

Relictis varijs opinionibus.

43 Dicendum 1. quando ſcientia requiritur propter opus faciendum v.g. propter auditionem Sacri, &c.

Suffi-

Sufficere in Confeſſione dicere non audivi Sacrum, tunc enim illa ignorantia non eſt peccatum diſtinctum ab effectu ſequuto, nam talis ignorantia opponitur Religioni, ſicuti opponitur peccatum feſta nō ſanctificandi.

Dicendum secundò, quando ſcientia requiritur ratione officii, ſeù ſtatus, tunc ignorantiam illi oppoſitam eſſe peccatum diſtinctum in Confeſſione ſpecificandum. Caius v.g. ignorat præcepta Decalogi, Myſteria Fidei, res neceſsarias ad ſalutem; tenetur confiteri ſuam ignorantiam, licet nullum aliud peccatum ſecutum ſit. Ratio eſt, quia talis ſcientia Chriſtiano debita eſt ratione ſui ſtatus. Idem dic de Iudice, Medico, qui propter ignorantiam peccat Quare ut vult Azorius *lib.* 1. *Inſt.moral.cap.* 12. etiam pericula ommiſſionis Sacri, Venationi incumbendo, & pericula incidendi in hæreſim, & in cætera peccata propter iſtam ignorantiam neceſsariò ſunt confitenda, licet hęreſis, & ommiſſio Sacri non ſequatur &c. Quod mihi ſummoperè placet.

44 Sed obijcies Ignorantia, nūquam opponitur alicui ſpeciali virtuti, ergo nunquam eſt peccatum diſtinctum neceſsariò confitendum.

Reſpondeo licet concedatur antecedens; eſse per ſe aliquandò ſpeciale peccatum quia pugnat contra rectam rationem, & tunc pugnat cum ea, quando homo neſcit res ſidei, præcepta Decalogi, & ea quæ pertinent ad ſe ipſum ratione officij, & ſtatus. Sed ego dico quod ſi loquamur de ignorantia, quæ eſt peccatum ratione effectus, opponitur virtuti, cui opponitur effectus, & ſpectat ad idem vitium. Ignorātia verò, quę ī ſe eſt peccatū, opponitur virtuti ſtu-

dioſitatis, & pertinet ad vitium negligentiæ oppoſitum ſtudioſitati, & peccatur iſta ignorantia toties, quoties peccatur, quando quis poteſt, & non vult addiſcere, quæ illi neceſsaria ſunt ad ſalutem, ſuppoſita debita advertentia. Hic nota quod ignorantia eſt triplex, antecedens, cōcomitans, & ſubſequēs, Suppoſita prima diſtinctione de ignorantia iuris, & facti. Ignorantia antecedens eſt illa, quæ nec directè, nec indirectè voluntaria eſt, & ideò appellatur ignorantia, quia antecedit omnem actum voluntatis, & iſta dicitur invincibilis, quando per quamcumque diligentiam non poteſt vinci; dicitur etiam iuſta, & probabilis, quæ utique adhibita omni diligentia poſſibili poteſt vinci, non tamen fuit obligatio talem omnimodam diligentiam adhibendi, ſed ea quæ adhibita eſt; cum qua tamen talis ignorantia vinci nō potuit, quare dicitur invinciblis moraliter. Undè.

45 Dicendum 1. Iſtam ignorantiam antecedentem invincibilem tam iuris, quam facti, nempè quādo ignoratur ius, aut lex, aut conſuetudo vim legis habens, ſeù factum, nempè aliqua res particularis, quę prohibita eſt, ut v.g. ignoro eſse diem feſtum, carnem eſse quam comedo omninò à peccato excuſare, Sic communiter cum D.Thoma.

Probatur ex verbis S.Io.15. *Si non veniſſem, & eis locutus non fuiſſem peccatum non haberent.* Inſuper hæc ignorantia tollit rationem voluntarij, ergo tollit peccatum. D.Thom.1.2.

Et nota quod id quod dicitur de ignorantia, etiā de inadvertentia, & oblivione procedit.

46 Ignorantia concomitans illa eſt, quando aliquid ignoratur quod ſi tamen ſciretur adhuc fieret.

v.g.exiſtimo occidere feram, & occido inimicum, quem tamen occiderem ſi illum cognoviſsem.

Dicendum 2.talem ignorantiam, quando invincibilis eſt, excuſare à peccato. Nam talis ignorantia licet non faciat actum involuntarium, non facit tamen voluntarium, ergo nullum peccatum prçisè ex homicidio, ſed à mala voluntate,& ratione cōplacentiæ.

47 Tandem ignorantia conſequens illa eſt, quæ directè conſequitur voluntatem, & eſt voluntaria aliquo modo, quę dicitur etiam vĩcibilis,nã adhibita diligẽtia vĩci poterat,& debuerat, & dividitur in affectatam, & non affectatam, quæ eſt tantum volita indirectè v.g. quando aliquis non vult ſtudere, ne faticetur, ex quo ſequitur ignorantia alicuius rei. Quæ ignorantia etiam non affectata, non excuſat ab opere malo, quod ex ipſa conſequitur. Nam ſemper non tollit rationem voluntarij, licet non affectata minuat peccatum, quia illud reddit minus voluntarium, & affectata illud augeat. D.Thom.*q.76.ar.4.*

48 *H*ic nota quod univerſaliſſima principia iuris naturalis, à quovis homine adulto ignorari non poſsunt v.g.bonum eſse faciendum, malum fugiendum, nec alicui inferendum. Sed benè aliqua principia minus univerſalia, ut v. g. mendacium ad defenſionem innocentis licitum eſse. Sicut etiam Theologi diſsentiunt inter ſe de contractibus, an ſint uſurarij, & tamẽ ſunt ad ius naturale pertinentes.Sed de hoc infra.

Quæres 23.An baptizzati à Ioanne fuerint iterũ baptizzãdi à Chriſto, ideſt Chriſti baptiſmo?

Supponendum pro certo Baptiſmum Ioannis non

contuliſse gratiam ex opere operato; baptizzabat tantum in eo, qui venturus erat. Matth. 3. & Ioan. 1.

Doctor meus Reſolutus in 4. *diſt.* 6. *q.* 1. *ar.* 1. refert quandam doctrinam Magiſtri Senten. ſed dicit quod communiter non tenetur; ũde cum ipſo, & D. Thom. *diſt.* 2. *q.* 2. *art.* 4. *quæſtiunc. ult.*

48 Dicendum baptizatos à Ioanne, licet habuerint ſpem, & fidem in Chriſtum, & SS. Trinitatẽ, ut volebat Magiſter, rebaptizandos fuiſse baptiſmate Chriſti. Ratio clara eſt. Quia Sacramenta habẽt effectum ex opere operato non ex ſpe, & fide, & hæc eſt ſent. D. Auguſt. *Ioan. hom.* 5. *& lib.* 5. *cõtra Donatiſtas, & cap. non regenerabuntur de conſecr. diſt.* 4. *in baptiſmo Ioannis non erat peccati remiſſio.*

Sed dices Apoſtoli imponebant tantũ manus baptizatis in aqua habentibus fidem in Trinitatem, & Chriſtum.

Reſp. Doct. Meus de Baccone cum D. Thom. *in* 4. *diſt.* 2. *q.* 2. *ar.* 4. quod illos, quibus Apoſtoli imponebant manus, confirmabant, ut Epiſcopi, nam erãt à Philippo (qui erat unus ex ſeptem Diaconibus) in Chriſti baptiſmate baptizati, & pariter demonſtrat Doctor meus, Apoſtolos fuiſse baptizatos Chriſti baptiſmo ante paſſionem. De conſacr. *diſt.* 4. *cap. quando*, ubi ſic habetur. *Quando à Hyeroſolimis exiit Ieſus cum Diſcipulis ſuis in Iudeam terram, & illic morabatur cum eis baptizabat non per ſe ipſum ſe per diſcipulos ſuos; quos intelligimus iam fuiſſe Baptizatos ſive baptiſmo Ioannis (ſicut nonnulli arbitrantur, ſivè quod magis credibile eſt baptiſmo Chriſti) & ſequitur, reſpondet Dominus Petro) qui lotus eſt non indiget niſi, ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus, ubi intelligitur,*

quod

quod iam Petrus baptizatus fuerat.

Sed quæres an Ioannes, & Sanctiſſima Deipara ſemper immaculata fuerint baptizati Chriſti baptiſmo.

Ratio dubitandi, quia fuerunt in utero ſanctificati, & mundati ab originali peccato, imò puriſſima Deipara ad illo præſervata.

*D*icendum primò Ioannem Baptiſtam fuiſſe baptiſmo Chriſti baptizatum. Probatur ex *M*atth. 3. *Tu venis à me, & ego à te debeo baptizari*, ergo cognovit neceſſitatem, & debitum huius baptiſmi; ergo tali baptiſmo baptizatus fuit.

49 Dicendum 2. Beatiſsimam Virginem baptiſmo Chriſti baptizatam fuiſſe. Probatur evidentiſſime, nàm vivente Matre *D*ei, fuit facta promulgatio baptiſmatis Chriſti. Matth. 28. ergo certiſſimum eſt Virginem iuſſa Filij ſui non neglexiſſe.

Doctor meus ex hoc quod Ioan. & Maria sũt mẽbra Eccleſiæ Chriſti, probat eorum baptiſmum. Unde Paul. ad Epheſ. 5. dicit. *Sic Chriſtus dilexit Eccleſiã, quod ſe ipſum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet ſibi eam gloriosã Eccleſiã nõ habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiuſmodi*. Ipſum vide.

Quod Beatiſſima Virgo, Ioannes Baptiſta, & Apoſtoli fuerint tali baptiſmo baptizati expreſſa forma Sanctiſſ. Trinitatis. *I*dem Meus *I*oannes de Baccone loco cit. probat ex Evangelio.

Concil. Trid. de Baptiſmo. Si quis dixerit Baptiſmum *I*oannis habuiſſe eãdem vim cum Baptiſmo Chriſti anathema ſit.

Sed iterum quęres. Quare Baptiſmus Chriſti nõ poſ-

poſsit iterari, ſeu quare quædam Sacramenta iterentur, & quædam non.

Doctor meus Reſol.hoc quærit *diſt. 6. q. 2. art. 3. in 4. ſent.* & breviter dicit, quod quædam Sacramenta concernunt ſtatum hominis perfectum, ſcilicet Baptiſmus, Ordo, & confirmatio. Nam per baptiſmum morimur peccato, ut immortales reſurgamus cum Chriſto 6. ad Roman; per confirmationem aſſimilamur ſtatui Angelorum qui ſunt in gratia confirmati immutabiliter ad debellandos malos Angelos. *Apoc. factum eſt prælium in cælo.* Per ordinem deputamur permanenter ad miniſtrandum Deo, ut faciũt Angeli, qui ſunt adminiſtratorij Spiritus. *Diſt. 71. Can. Clericos.* Et quia hæc tria Sacramenta ponunt hominem in ſtatu perfecto, & officio perfecto ad imitationem ſtatus Chriſti perfecti, & Angelorum, de quorum perfectione, nihil poteſt deleri, ideo hæc tria Sacramenta imprimunt immutabilem characterem. Alia enim quatuor Sacramenta pertinent ad ſtatum imperfectum hominis, ut patet, & quia iſte poteſt ſemper mutari, ideo non imprimunt immutabilem characterem. Ipſum videatis.

51 Quæretis tandem cum ipſo meo Doctore quare character indelebilis ſit, & non gratia?

52 Dicendum cauſam indelebilitatis Characteris eſſe, quia character ex conditione ſuæ naturæ eſt ita firmus in ſubiecto, in quo eſt, quod ſtat cum quolibet actu circa ſuum ſubiectum qualitercumque circumſtantiato ſive bene, ſive male. Gratia enim ex conditione ſuæ naturæ, non habet ita firmum eſſe in ſuo ſubiecto, quod poſſit compati ſecum actum vitioſum, & ideo per peccatum deletur. Exemplifi-

cat

cat Meus Reſol. *in* 4. *Diſt.6.art.*3.de propria paſſione alicuius ſubiecti v. g. riſibilitatis, quæ ſecum cõpatitur quodcumque aliud accidens, quandiù eſt in ſuo ſubiecto, ſed qualitates adventitiæ, non compatiuntur omnia alia accidentia, calor enim nõ compatitur frigus, nec frigus calorem. Sequitur Doctor demonſtrando, quod hic non probatur idẽ per ſe ipſum, & ſubtiliter. Ipſum videatis.

D.Thom 3. *p. q.* 63. dicit quod per characterem, deſignamur ad cultum Dei, & facit nos diſtinctos ab alijs, ſicuti per gratiam deſignamur ad gloriam, quare cum in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine deſtinemur principaliter ad Dei cultum indelebiliter, conſequens eſt quod in his ſolis Sacramentis cõferatur character indelebilis, qui cum ſit participatio Sacerdotij æterni Chriſti, pariter erit æternus character.

Quæres 24. ad ornatum. Quare in bullis in quibus apponitur ſigillum plumbeum Pontificis Divus Paulus ponatur à dextris, & D.Petrus à ſiniſtris?

Suponendum D.Petrum, & non D.Paulum Principem eſſe Apoſtolorum, & primatum tenere ſupra omnes Apoſtolos, ſupra ipſum Paulum, & ſupra univerſum Orbem. Ioann. 1. *Tu vocaberis Cæphas*, & Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*.

Supponendum 2. Petrum inter Apoſtolos ſemper primum nominari. Matth. 20. Marc. 3. Lucæ 6.

Supponendum 3. quod dixit Mellifluus Doctor *lib 2. de conſiderat*: conſiderans, quod ſolus Petrus ſuper aquas ambulavit cum Chriſto. *Graditur*, ait, *ſuper aquas unicum ſe Chriſti Vicarium deſignans, qui non uni*

po

populo, ſed cunctis præeſſe deberet; Siquidem aquæ populi multi.

Supponendum 4. quod dũ Chriſtus Dominus ſingulariter oravit pro Petro ne eius Fides deficeret, demonſtraſſe infallibilitatem Pontificis, eumque fore Principem Apoſtolorum. Adde quod pro ſe, & Petro iuſſit ſolvi tributum, eius pedes primo lavit, qnod idem Apoſtolus ſolo verbo occidit Ananiam, & Saphiram tanquam ſupremus Iudex, quod in Cõcilio Apoſtolorum primus protulit ſuam ſententiam *Act.* 5. 9. quod Paulus ivit Ieroſolimam, ut Petrum videret *ad Galat.* 1. quod Ecclefia ſic definivit. Quare ergo in dictis Bullis Petrus ponitur à ſiniſtris, & Paulus à dextris.

53 Quaſi communiter reſpondetur quod Paulus à dextris ponitur, quia Paulus fuit proprius Prædicator Gentium, & Petrus Iudeorum, & quia Eccleſia translata eſt ad Gentes Sinagoga poſthabita, ideo Petrus ponitur à ſiniſtris, Paulus à dextris.

Suppoſito quod ſedere ad dexteram, ſeu ſiniſtram non ſemper ſit ſignum minoritatis, & minoris Excellentiæ, ut notat Baronius *tom.* 3. *Ann* 213. & Burat. *dec.* 488. *nu.* 7. & alij, ut etiam multis locis obſervatur. Unde Orientales volunt quod nobilius ſit ſcribere ducendo manum à dextera in ſiniſtram quam è contra ut nos facimus.

54 Dicendum ad quæſitum. Hoc non arguere maiorem dignitatem, & excellentiam in Paulo, ut conſtat ex iam dictis.

Dicendum 2. Quod ex hoc, quod non ſemper ponatur Paulus à dextris, Eccleſiam demonſtrare horum Apoſtolorum quaſi æqualem excellentiam; nã

ſi

ſi Petrus maior eſt poteſtate, Paulus eſt maior Scientia, & cum ſint æquè mirabiles, modo unus, modo alius à dextris ponitur.

Sed dices; Si Petrus maior eſt Paulo poteſtate, cur repræhenſus à Paulo obmutuit, & nihil reſpondit ad Gal.2. *Cum autem veniſſet Cephas Antbiochiam in faciem ei reſtiti, quia repræhenſibilis erat. Et Petrus obmutuit.*

Reſpondit S.Cyprianus Epiſt.71. *Petrus autem, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam: cum ſecum Paulus poſtmodum de Circumciſione diſceptaret, nec iudicavit aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, ut diceret ſe primatum tenere, & obtemperari a novellis, & poſteris ſibi potius oportere. Nec deſpexit Paulum, quod Eccleſiæ primus perſecutor fuerit, ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ quam Paulus vindicabat facile conſenſit. Documentum ſcilicet nobis & concordiæ; & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter noſtra amemus, Sed quæ à fratribus aliquando, & Colleghis noſtris, utiliter ac ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera, & legitima ipſa potius noſtra ducamus.*

Et nota quod Petrus repręhenſibilis erat quatenus Gentiles ex eius operatione, quæ tunc non erat peccaminoſa, in ſe ſcandalum ſumebant.

Hac occaſione.

55 Quæres, quare Pontifex baculo non utatur, ſicut alij Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ?

Ratio dubitandi eſt, quia baculus Paſtoralis cum ſit curvus in ſummitate, aptus ad trahendum videtur Pontifici convenire ad trahẽdos deviatos ad viã veritatis Cap.*cum veniſſet de Sac.Vnct.* §.*fin.* ſic legi-

tur. *Licet Romanus Pontifex non utatur baculo paſtorali cum propter hyſtoriã, tum propter miſticam rationem, tu tamen ad ſimilitudinem aliorum Pontificum, [ideſt Epiſcoporum) poteris eo uti.*

Quænã autẽ ſit hæc hyſtoria, quare baculo non utatur Pontifex Romanus inquiris. Illam eod.cap.apud Gloſs.reperies.

Cum veniſſet Martialis unus de diſcipulis Petri, quẽ poſuit Dominus inter Diſcipulos cum dixit. Niſi efficiamini ſicut parvulus iſte nõ intrabitis in regnũ Cælorum, quæ poſtea Petrus,cum alio, ſcilicet Matthęo ad prædieandum miſit in Germaniam, qui cum iret mortuus eſt, & rediit Collega ad Petrum,& Petrus ait. Accipe baculum,& tangens eum dic, ut in nomine Domini ſurgat,& prædicet,& ivit. Quadrageſimo die à tempore mortis tetigit eũ,reſurrexit,& prædicavit, & ita Petrus removit à ſe baculum,& dedit Subditis.

Hoc factum eſt in Civitate Trevirenſi, ubi aſſervatur baculus Petri.

Quare aliqui dicunt quod ſi Summus Pontifex in tali Civitate reperiretur,baculo uteretur.

Si autem de hoc,miſtica ratio requiratur, notanda ſunt hæc carmina.*Gl.cit.*

In baculo formam Præſul datur hæc tibi normam.
Attrahe per primum,medio rege,punge per imum.
Attrahe peccantes,rege iuſtos,punge vagantes.
Attrahe,ſubſtenta,ſtimula,vaga,morbida,lenta.

Dicendum igitur præter hiſtoriam Romano Põtifici,baculum non convenire propter in prædictis carminibus expreſſa.

Baculus eſt in ſummitate incurvatus,quæ curvitas eſt indicium limitatæ poteſtatis ab hominibus acce-

ptæ

ptæ, quæ Pontifici conuenire non poteſt, cum habeat à Deo illimitatam poteſtatem. Gloſ. cit. *Quia baculus habet in ſummitate recurvationẽ, quaſi ad trahendum, quod non eſt neceſsarium Romano Pontifici, quia nullũ ab alio divertere poteſt finaliter(intellige ex electis) quia Eccleſia non poteſt eſſe nulla, vel quia per baculum deſignatur coactio, ſive caſtigatio, ideo alij Põtifices recipiunt à ſuis Superioribu baculos, quia ab homine poteſtatem recipiunt, Romanus Pontifex non utitur baculo, quia poteſtatem a ſolo Deo recipit.*

Unde Summus Pontifex utitur Cruce alta, quam manu tenet, ſedens in ſuo Throno, & ante illum fertur in publicis funtionibus, & latitudo huius Crucis ſignificat latitudinem ſuę poteſtatis in õnes Chriſti fideles, pendent ab ipſa Cruce claves, & denotant ſuam ſpiritualem poteſtatem ad ligandum, & ſolvendum. Matth. 16. *Tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcumque &c.*

Utitur pallio ad modum Stolæ Sacerdotalis, & ſignificat plenitudinem poteſtatis. Induitur veſte alba, & cappa rubra, nam interius debet puritate nitere, & exterius charitate, quæ ſemper eſt coniuncta cum cętu omnium virtutum; Et etiam poſſet uti multis regalibus ornamentis, & imperialibus, quę ſpontè ei Conſtantinus Magnus cõceſſit. *Cap. Conſtãtinus Magnus Diſt. 96.* ſed quia hæretici, & aliqui mali Chriſtiani obloquuntur, cum pernicie animarũ ſuarum de ornamentis Pontificis, quaſi vanitatem redolentibus, de quibus prudens Confeſſor iudicare debet, nam ut plurimum ſunt gravia peccata. ideo.

58 Quæres quare Summus Pontifex ſolus utatur triplici Corona pro eodem loco, & tempore, quod

lus etiam Imperator utitur eodem loco, & tempore.

Multæ de hoc aſſignantur ab auctoribus rationes, & quidem pulchræ. Vide noſtrum P. Gabriel. à S. Vincentio, *Conſ. ſeu reſponſa varia opuſc.* 3. *Pontificis Triregnum.*

*D*icendum tamen has eſſe principales rationes, nempè.

Quod Pōtifex tribus ornatur coronis propter dignitatem ſuæ excellentiæ. Nam Imperator tribus etiam ornatur, ſed non ſimul, & una tantum aurea, alia argentea, & alia ferrea. Auream recipit à Romano Pontifice in ſignum maximè poteſtatis, & tēporalis Dominij. Argenteam recipit ab Archiepiſcopo Mediolani in ſignum claritatis propter munditiam animi, & corporis. Ferrea recipit ab Aquiſgranenſi Epiſcopo ad demonſtrādam fortitudinem ad hoſtes Eccleſiæ, & Infideles debellandos; unde cum Pontifex emineat dignitate etiam ſupra Imperatorē tribus ſimul ornatur coronis.

2 Ratio eſt, quod Pontifex tribus utitur coronis propter fidem Sanctiſſimæ Trinitatis, quam in Eccleſia principaliori modo debet illuſtrare, docere, & defendere.

3 Ratio eſt, quod utitur tribus coronis, una ut Summus Pontifex Sacerdos. 2. ut dono data à Conſtantino, alia pariter accepta à Clodoveo Rege Francorum.

4 Ratio eſt ut demonſtretur, quod Pontifex eſt Summus Sacerdos, Rex, & Legislator, & totum cedit in honorem Dei, & Eccleſiæ. Unde D. Auguſtin. tom. 5. de Sanctis dicit: *ſibi hoc Eccleſiæ invicem præſtant, quia tantò neceſſe habet Eccleſia dignitatis, quā-*

to

to Sacerdotalis Officium plus hono is. Et S.Leo Papa Serm.1.ſuæ aſſumptionis ad Summum Pontificatum *Hijs itaque modis dilectiſſimi rationabili obſequio celebratur hodierna feſtivitas: ut in perſona humilitatis meæ, ille intelligatur, ille honoretur in quo & omnium Paſtorum ſollicitudo commendatarum ſibi ovium cuſtodit, perſeverat, & eius etiam dignitas in indigno hærede non deficit.*

59 Dicendum tamen relictis alijs rationibus, quod quia Pontifex in Spiritualibus, & multoties in temporalibus, habet dominium in toto orbe, ideò utitur Mitra rotunda ad eius figuram, ornata tribus coronis in ſignum ſuæ poteſtatis in Cælo ſecundum id qnod Chriſtus dixit: *tibi dabo claves regni cælorum.* In terra: *quodcumque ligaveris ſuper terram*, & indirectè per modum ſuffragij in Purgatorio. Unde Mitra, ſuſtinet coronas, & non coronæ mitram. Et etiam propter tres partes principales mundi, in quibus habet iuriſdictionem.

Ego autem noto quod Summus Sacerdos in veteri teſtamento habebat Mitram cum corona aurea, ut Eccleſ.45. *Corona aurea ſuper Mitram eius expreſſa ſigno ſanctitatis*, ſuper quam Mitram, teſte Ioſeph. *lib.*3.*c*.8. erat corona aurea tribus ordinibus ducta, quare ob iſtam conſuetudinem fortaſſis ſuper mitrā Pontificiam adſunt tres coronæ. Ergo erubeſcant hæretici qui hoc tribuunt ambitioni Pontificum, nā ſi Summus Sacerdos veteris legis talibus et tantis utebatur paludamentis ex Dei præcepto, ut videre poteritis *Exod.*28. Quare ī nobiliori Sacerdotio ī Dei & Eccleſię decorem, Petri ſucceſsor, & Chriſti Vicarius non poterit ob dictas rationes tribus uti Coronis?

Sed melius ſolvitur difficultas, ſi legãtur in coronatione Pontificis verba,quæ à primo Diacono Cardinali dicuntur, quæ ſunt huiuſmodi.

Accipe Thiaram tribus Coronis ornatam. Et ſcias te eſſe Patrem Principum, & Regum.Ecce prima Corona, Rectorem orbis, Ecce ſecunda. In terris Vicarium Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, ecce tertia. Cui eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculornm.Amen.

Sed adhuc quæres. Quare Romanus Pontifex ferat crũces aureas ſuper caligas?

Dicendum,ut maiori reverentia ſibi pedes oſculentur ob devotionem Sanctæ Crucis. Sed rectius, ut ſignificetur quibus greſſibus debeat incedere ad ſuum commiſſum gregem dirigendum ad paſcua ſalutis, ſemperque ante oculos habeat Crucis exemplum.Adoratur,ideſt veneratur Pontifex oſculo pedum,ut Vicarius Chriſti, nam gerit eius imaginem, & perſonam in ſua clariſſima, & Sanctiſſima dignitate. Videant ergo Chriſtiani, qua reverentia de eo loqui debeant, & Confeſſarij ſuper hoc invigilent, nàm plerique malè de Superioribus mali homines obloquuntur.

Sed obiter hic quæres an Papa poſſit deponi?

Dicendum negativè, niſi Papa eſſet hęreticus, ſuppoſito quod poſſit deficere in fide (quod nõ credo) propter divinã aſſiſtentiã.*Ego autem oravipro te, Petre,ut non deficiat fides tua*,& dato hoc, tunc à Iure non eſſet Papa, ſed adhuc deberet declarari hæreticus,& deponi à Concilio Generali.Navar.*in capit.novit.de Iu.notab.*3.*n.*142,*& DD. in cap. Achatius*24.*q.*1.*& in cap.Anaſtaſius diſt.*19.

Tandem petes an Papa poſſit creare ſolo verbo

ali-

liquem Sa-cerdotem, Epiſcopum, aut Diaconũ?

Solutio hnius difficultatis mihi videtur pendere ab alia quæſtione, ſcilicet. An Eccleſia variare poſſit eſſentialiter formas, & materias Sacramentorum, à Chriſto Domino inſtitutas: quam quæſtionem ponit etiam Colleg.noſtrum Salm.*tract.*1.*cap.*4.

60 Dicendum Eccleſiã non poſſe.

Prob. Eccleſia enim non habet poteſtatem excellentię ſupra Sacramenta, ut habuit Chriſtus Dominus, ſed Miniſterialem, & Sacramentis alligatam, quare poteſt mutare cæremonias accidentales, ſalvatis eſſentialibus à Chriſto Domino Inſtitutis. *Concil.Trid.ſeſſ.*21.*cap.*2.

61 *S*ed contra apud Græcos Præsbyteri, & Diaconi. ordinantur per impoſitionem manuum Epiſcopo dicente ***Divina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & quæ deſunt ſupplet, creat, ſeù promovet*** N. ***Venerabi lem Diaconum in Præsbiterum. Oremus*** *igitur pro eo.* Er ſic de Subdiacono, Teſte Ioann.de Lugo Cardinali, & aliis *diſp.2.de Sacram.in genere ſect.5.num.*8. *S*ciente Summo Pontifice, & hoc etiam ĩ Fccleſia Greca Catholica. Igitur forma, & materia *S*acramenti videntur mutatæ; quare etiam Summus Pontifex poterit per alia verba conſecrare Epiſcopum, & Sacerdotem.

Sed reſpondetur tam apud Latinos, quam Græcos eſſe eandem materiam, & formam, quia Chriſtus in particulari, non determinavit materiam, & formam materialiter sumptas, ſed in genere dummodo Ordo conficeretur per ſignum ſenſibile ſignificativũ poteſtatis, quæ traditur, & per verba exprimentia talem poteſtatem, ut faciunt Græci, & Latini. Doctor meus Reſolut.de Baccone *in* 4.*diſt.*2.*art.*3 id cla

rè tenet, & dicit quod à Chriſto fuit data poteſtas Apoſtolis redigendi, quod ab ipſo ſtatutum erat in ĩcertam formam verborum; quare.

Dicendum quod ſi Summus Pontifex retineret in verbis quod requiritur eſſentiale in forma, & materia poſſet diverſis uti verbis, & conſecrare Epiſcopum, Diaconum, *&* Sacerdotem.

Tamen hoc cautè intellige; nam poſtquam determinata fuit materia, & forma Sacramentorum ab Eccleſia, eas denuò mutare tutum non eſſet, niſi evidenter videretur ſola mutatio accidentalis, & hoc rationabili de cauſa.

Quæres 25. Quando Conc. Trident. requirit quod promoveantur ad Prælaturas, Beneficia, & maiores dignitates, digniores, qui cenſeantur, & dicantur digniores, ita ut eligentes non peccent mortaliter Concilio non obtemperantes.

Dicendum hoc pendere ex plurium qualitatum aggregatione; videlicet, ex virtute, Scientia, Strenuitate, conſtantia, prudentia ad exequendum commiſſum miniſterium. Penſatis alijs circumſtantijs. Barb. *ad* T*rid. ſeſſ.*24.*de reform.cap.*18.*nn.*124. & etiã obſervandum an eligeudus ſit utilior; magis acceptus. & plauſibilior.

61 Sed quęres quando proviſio beneficij fit per concurſum, an qui non eligit digniorem teneatur ad reſtitutionem?

Negant Sotus, Ledeſma, Navar. Enriq. Zapata, & hæc ſententia vocatur probabilis à Sanch. & Trulleuch. nam non habet ius ſcriptum ad beneficium, Sed Urtadus*tom.*2.*controv.*121.*cap.*§.12.*n.* 1792. cũ aliis multis vocat eam practicè improbabilem, &

me-

meritò, nam prçter peccatum contra iuſtitiam diſtributivam adeſt etiam peccatum contra iuſtitiam commutativam obligantem ad eligendum digniorẽ, & intelligitur implicitè hic contractus, ex vi ſtatuti hoc requirentis; quare multi concurrunt cum periculo dedecoris cum incommodis, & expenſis ſupponentes implicitum hoc pactum; unde violatur iuſtitia commutativa, quæ inducit onus reſtitutionis.

Infertur,quod examinatores non poſſunt aliquem præmonere de punctis in his concurſibus; cederet in damnum tertii, & tenerentur ad reſtitutionem. Rodriq. in Summa *tom.*1.*c.*54.*n.*1. non ſic in examinibus confeſsionis, & Epiſcopatus, ſi aliòquin examinandi ſint idonei, ſed timidi,& verecundi. Peyerinus *privil minim.tom.*3.*cap.*2.*in conſtit* Sixti 4.*n.*25. *par.*5.*Diana in Summa Benef.par.* 10.

Infertur 2.ex Medina, & alijs ſumm.*cap.*14§.32. quod Examinatores tenentur indicare Epiſcopo nõ ſolùm dignos, ſed dignores,licet Epiſcopus non requirat,& nolit ſcire. Alii limitant probabilitèr quando petit, & ſcire vult. Et ego dico etiam quãdo ſcire non vult, & digniores ſæpè poſponit,tenẽtur ſaltem præcepto correctionis fraternç.

62 In quibus caſibus Concilium rçquirat electionem dignioris *Seſſ.*7.*de reform.cap.*3. *& ſeſſ.*24.*de reform.cap.*1.*& cap.* 18. & manifeſtè reperies quando ex *vi* Tridentini electio debeat cadere ĩ digniorẽ.

Adeſt hæc propoſitio damnata à SS. Innocen.XI. quæ eſt 47.de Benef.

Cum dixit Concil.Trid. eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare,qui niſi quos digniores,& Eccleſiæ magis utiles ipſi iudicaverint ad Ec-

cleſias promovent. Concilium videtur per hoc *digniores*;non aliud ſignificare, velle, niſi dignitatem eligendorum ſumpto comparativo, pro poſitivo; vel ſecundò locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos: vel tãdem loquitur tertiò quando fit concurſus.

63 An dignus, qui ſcit certò prætermiſſum eſſe digniorem poſſit acceptare beneficium, & an qui præcibus, & ſuaſionibus removet collatorem à collatione in virum digniorem, ut eligat minus dignũ, teneatur ad reſtitutionem controvertitur, res eſt periculoſa. Videatis Auctores.Dian.*in ſumm. v.Benef.* Lezan.noſtrum pariter *verbo Benef. ſumm. quæſt. R.* ubi etiam An poſsint ditare parentes ex redditibus beneficiorum.

Quæres 26.An qui inducit aliquem ad peccatum, ut pecca tum veniale eſt, peccet mortaliter v.g.Caius inducit Titium ad proferendum mendacium iocoſum, non ut ſibi commodum,ſeù delectabile. Sed ut peccatum eſt, & damnum ſpirituale Titio;quæritur ergo an Caius peccet mortaliter, ſeu venialiter.

64 Dicendum peccare mortaliter; Ratio clara eſt, nam malum ſpirituale cuius commiſsio formaliter intenditur, eſt maius quovis malo corporali;ergo ſi grave damnum temporale proximo ex animo illatum, eſt peccatum mortale, erit procul dubio peccatum mortale illud ĩducendo ad peccatum veniale, quod eſt maius malũ morale quovis malo tẽporali.Confirmatur, nam non poteſt intendi hoc dãnum ſpirituale proximi ſub hac formalitate, niſi intendatur ut offenſa Dei,nam aliter nõ cauſaret dãnum ſpirituale proximi. Sed illud intendere ut offẽſa Dei formalitèr eſt certè mortale. Ergo Platellius

65 Quare tenetur homo potius velle quodlibet malum penæ,quam quodlibet peccatum veniale, nō tamen quod peccatum veniale ſit dignum quacumque pæna, ſed quia cum ſit malum alterius rationis intrinſecæ rectæ rationi repugnans, nullo modo eſt licitum, & ſemper peccaminoſum, quod malo pænæ non competit, cum poſſit eſſe materia virtutis ut in pænitentia.

Quæres 27. An Miſſæ Sacrificium oblatum v. g. pro decem perſonis, tantum ſingulis proſit, quantum prodeſſet uni ſi pro illo ſolo applicaretur.

Suppono cum communi doctrina quod Sacrificiū Miſſæ in ſe ſit valoris infiniti, nempè ratione rei oblatæ, & principalis offerentis, nempè Chriſti, cuius excellentia,& dignitas infinita eſt; Tamen quæritur an influxus, & valor ſit finitus, ita ut pro pluribus oblatus, minus proſit multis, & magis uni, ſi pro uno ſolo offeratur.

Dicendum 1.Miſſæ Sacrificium oblatum pro pluribus, non tantum illis prodeſſe, quantum prodeſſet ſi uni tantum illorum applicarentur.

Probatur ex uſu Eccleſiæ. Multæ enim Miſſę dicnntur pro ſingularibus perſonis, quæ ſi æquè multis prodeſſent,malè privarentur tali ſuffragio aliæ perſonæ.

Et licet Chriſtus qui offertur ſit infinitus, quia tamen offertur modo finito, & Sacramentali à Sacerdote offerente miniſteriali, fructus erit finitus. Suar. *diſp.69.ſect.*2.qui multos citat, quæ ſententia in praxi eſt tenenda, aliòquin Sacerdos poſſet pro una Miſſa plura ſtipendia accipere, quod prohibitum eſt.

66

66 Hoc tamen intelligendum eſt de Sacrificio Miſſæ quatenus ſatisfactorium eſt, nempe per modum cuiuſdam ſolutionis; nam quatenus eſt impetratorium multis, & multis æqualiter prodeſt,nam iſta impetratio fundatur in Dei miſericordia, & liberalitate,unde æquè poteſt oblatione tanti Sacrificii exorari pro pluribus in infinitum, ac ſi pro uno ſolo exoraretur.

67 Dicendum 2.quantò plures Perſonæ Miſsę aſſiſtunt, ac proinde ſunt plures partiales offerentes cum Sacerdote, tunc cuilibet illorum æquè prodeſſe,ac ſi eſſent infiniti offerentes, aut unus ſolùm iuxta tam̃ uniuſcuiuſque propriam diſpoſitionem. Ita Cordub.*lib.1.puæſtionarij qu.*3.citans multos Doctores vocans iſtam opinionem communem.

Probatur quia ad multiplicationem oblationis fructus multiplicatur: ergo quando plures moraliter offerunt cum Sacerdote, ſine aliorum detrimento, fructus multiplicatur iuxta propriam cuiuſcumque diſpoſitionem, ſunt enim tot oblationes, quot ſunt offerentes.

Hic nota cum Bonac.*diſp.*4.*qv.ult.de Sacrif. Miſſæ* §.5.quòd peccant Sacerdotes, qui ſunt notabiliter in mora celebrandi, undè nimis avarè non cõgregent ſtipendia Miſſarum. Adſunt varia Decreta Pontificum circa Miſſaum celebrationem, ſed quia nota ſunt ea omitto. Abellj de Sacrif. Miſſæ *in ſua Medulla par.* 2.Colleg.tamen noſtrum Salmat. *de Sacram.in genere tract.*5.*cap.*4.*dub.unic.* quęrens ã Miſſæ Sacrificium habeat infinitum valorem. Dicit qnod Sacrificium Miſſæ eſt infiniti valoris,licet habeat

aeat ſemper effectum finitum, ſecundum quantitatē diſpoſitionis, & devotionis humanæ. Divus Thom. *3.par.qu.79.art.5.*& multi DD .illum ſequentes. Reſpondet poſtea ad varia argumenta, ipſum videatis, non tamen ego diſcedo à prima opinione, quę mihi videtur magis rationi conſona,& tenenda.

Quæres 28. an Sacerdos Regularis validè applicet Sacrificium, licitè alicui, contra ſui Prælati præceptum.

Prælatus exempli gratia pręcipit Petro Sacerdoti ſuo ſubdito,ut celebret pro Anima Franciſci, cui ex iuſtitia debetur apqlicatio Sacrificij.Petrus celebrat pro anima Caij. Quæritur an iſta applicatio, quæ certè eſt illicita,ſit tamen valida.

68 Dicendum validam eſſe talem applicationē licet valdè illicitā.

Probatur.Nam Sacerdos in illa applicatione utitur poteſtate Ordinis, in qua non dependet à voluntate Superioris, ſicuti non dependet ab ea in intentione ſacrificandi. Sed contrà. Prælatus poteſt annullare, & irritare vota, & iuramenta Subditorum dependentia ab eorum voluntate, ergo poterit irritare eorum intentiones circa applicationes Miſſarum?

Reſpondetur diſparitatem eſſe; nam intentio,& applicatio Sacrificij dependet à poteſtate Ordinis, ſupra quam Prælatus non poteſt; ſecus vota, & iuramenta, nam ea irritare, aliud non eſt, quam tollere obligationem, qaam habet Subditus, quod dependet a voluntate Pręlati.

Hæc eſt ſententia mei Colleg.Salm.*de Sacr.in genere tract.5.punct.3.* Petrus de Ledeſma *cap.* 18. *de*

Eu-

*Euch.*Facund.Dian. Henriq. Villalob. & aliorum contra Scotum,& alios, qnos refert,& ſequitur *Le-and.tract.8.diſp.3.qu.17.* Vide meum Colleg. Ego iudico utramque ſententiam verè probabilem, quare cautè procedant Regulares,nam certiſſimè hoc illicitum eſt.

Quæres 29. An liceat Miſſas Defunctorum applicare adhuc viventibus?

Dicendum hoc eſſe ab Auctoribus controverſum. Laym.*lib.5.tract.5.cap.2.nu.15.* dicit hanc conſuetudinem quæ in aliquibus locis, ut in Lotharingia teſte Pinello de Miſſa*par.2.cap.7.dub.3.* viget, ne hæredes poſt mortem ſint(ut ſolent)negligentes in ſuffragiis; eſſe eſtirpandam tanquam contrariam ritibus Eccleſiæ Romanæ.

69 Certè quod melius facerent viventes procurando ſuffragia cum Miſſis *pro remiſſione peccatorũ* Cæterum non video neceſſitatem huius extirpationis, precipuè ſi vivens ſecretò, ideſt ſine solemnitate faciat pro ſe celebrare *pro defuncto* Miſſas, ſic ſe Deo repreſentando, nam modus anticipatæ locutinis eſt uſitatus in Scripturis, ut v. g. in Miſſis Defũctorum dicitur; *ne abſorbeat eas Tartarus, ne cadant in obſcurum &c.* Certè ego pro me celebravi aliquas Miſſas *pro agonizante* quam ſententiam iudico probabiliſſimam, donec à S.Sede contrarium iudicetur. Pinell.*loco cit.* Quidquid dicat Bordonius quod eſt actus ſuperſtitioſus *ſect.34.de ſortil. manuali conſult.* ibi tamen refert Auctores nobis conſentientes inter quos Lezanã noſtrum.

Quæres 30. Quomodo intelligenda ſint, & in quo ſenſu varia verba, quæ ſunt in Bulla Gregoriana 15.

con-

contra ſollicitantes in Confeſſione.

Primò. Quęro an comprænhendantur ſoli Sacerdotes in dicta Bulla; an etiam Laici, qui ſe fingunt Sacerdotes, & clerici etiam Diaconi.

Dicendum comprænhendi ſolos Sacerdotes, licet careant iuriſdictione; nam in Bulla ſolùm fit mentio de Sacerdotibus, ergo &c. ſumus ergo in odioſis & pænalibus. Bonac. *diſp.6.de denunt. par. 3.n.8.* Caren. *par.2.de Confeſſ.ſollicit.tit.6.* Bordon. Manuale Conſultorum *ſeſſ.24.* Qui multos citat, quare qui nō eſt Sacerdos ſed ſe fingit, quo ad hoc denunciandus non eſt, ſed tantum qui Sacerdotio carens confeſſiones audivit; & eadem ratione non compręhendūtur fæminæ Confeſſorem ; Sollicitantes; nec Interpres, etiam ſi eſſet Sacerdos; nam Interpres ſe tenet ex parte pœnitentis. Caren. & alij, ſi tamen Confeſſarius uteretur ad ſollicitationem auxilio Interprætis, deberet ab inquiſitore puniri. Carena. Quæres 2. quid importent iſta verba Bullæ, *Qui perſonas quæcumque illæ ſint ad inhoneſta ſiv e inter ſe, ſive cum alijs quomodolibet perpetranda, ſolicitare, aut provocare tentaverit.*

Dicendum 1. Nomine perſonarum venire etiam maſculos, nam nomen perſonæ convenit utrique ſexui, Bord. Carena, & eſt communis, & ſic in praxi ſervatur.

70. Dicendum 2. *Ad inhoneſta* per iſta verba Bullæ intelligi peccata carnalia etiam non completa, ut tactus, ſigna, & oſcula, ūde ſollicitās ad alia peccata nō ligatur tali conſtitutione, nā in pænalibus, & odioſis Cnnſtitutionibus non fit extentio de delicto ad delictum. licet fortaſſis gravius puniretur ſecundū gravitatem delicti, ad quod ſollicitaret, & ſuſpectus

eſſet de hæreſi Ludovic.à Param.de Orig. S.Inquiſ. *lib.3.q.*10.*n.*116.*&* 11.

71 Dicendum 2.reum eſſe Confeſſarium huius Bullæ, qui ſollicitat pænitentem, ut faciat lenocinium pro ſe, vel pro amico, nam in Bulla prohibetur quælibet ſollicitatio per illa verba *quomodolibet*. Bonac.*in Bulla qu.*20.*n.*3.Bordon. hìc, qui multos citat, & ſequitur auctores. Mandans autem, & rogans Confeſsarium ut ſollicitet pro ſe pænitentem probabilius eſt non compræhendi in Bulla ex dictis, licet Riccius *par.3.reſol.65.n.3.*& alii contrarium ſuſtineant,est tamen puniendus ab Inquiſitoribus. Bordon.

Quæres 3.Quomodo intelligenda ſint illa verba Bullæ *in actu Sacramentalis Confeſſionis ſivè ante vel poſt immediatè*.

Dicendum 1.circa illa verba *in actu Sacramentalis Confeſſionis* nullam eſse difficultatem, per ſe enĩ clara ſunt, undè tamen nota quod Confeſsarius ſollicitans ad turpia, alia adminiſtrandò Sacramenta puta Euchariſtiã,Baptiſmum, &,non incidere in pęnas noſtræ Conſtitutionis Gręgorianę. Santarellus de hęreſi *cap.*46.*nu.*5.*concl.*4.

72 Dicendum 2.per illa verba *ſive ante,vel poſt* intelligi à petitione Confeſsionis, & durante etiam data abſolutione,vel non data paulo poſt, in eodem loco, vel extra, etiam occaſione quod duceret confeſsum in cubiculum, ſeù Sacriſtiam ad faciendam fidem factæ Confeſsionis. Souſa *de ſollicit. cap.*18.*n.*14.*Diana par.*4.*tract.*5.*reſol.*11.Bordon.hic. Et nota cum Carena quod in moralibus,Quod parum diſtat, nihl diſtare videtur.

Di-

Dicendum 3.circa illud verbum *Immediatè* patet ex dictis,quid ĩtelligatur,nã ſi per ſpatium multi tẽporis, ut ait Carena, & poſtquam tam Confeſsarius, quam pænitens ad ſua habitacula ſeſe receperũt ſollicitatio contingat, non incidunt in has pęnas,ſed ſunt puniendi ab Ordinarjs locorum.

Quęres 4. Quomodo ſint intelligenda illa verba Bullæ:*ſivè occaſione, vel prætextu Confeſſionis huiuſmodi etiam ipſa confeſſione non ſecuta.*

Nota quod occaſio dicit temporis opportunitatẽ, caſu veniens, nam effectus non per ſe, ſed caſu provenit, & tunc Sacerdos quærit ex confeſsione opportunitatem ad pęnitentem ſollicitandum, & iſta ſollicitatio, non eſt per ſe ad Confeſsionem,ſed per accidens proveniens à mala intentione ſollicitantis ſumpta ab occaſione confeſsionis undè

Dicendum. Quod ſi Confeſsarius audivit confeſſiones pœnitentis, qui confeſsus eſt peccata carnalia, etiam ſi è Confeſsario receſsit habita abſolutione illum ſivè in Eccleſia, ſivè domi ſollicitet, eodẽ die, talem Confeſsarium reum eſse noſtræ Conſtitutionis; Nam hoc fecit ſumpta occaſione pręteritæ Confeſsionis. Peyrin.*ad Conſtit.*3.*Greg.*15. §. 2.*nu.*2. Lezana noſter citans alios *DD.par.*1.*cap.* 19. *nu.*34. Del Bene *dub.*137.Bordon.

Prętextus ut benè Bordõ.eſt cauſa falſa, ſpecies, color,ſimulatio,& velamen quoddam ad obtinendũ quod deſideratur, undè

73 Dicendum quod quando Confeſsarius utitur medio, & prætextu Confeſsionis, data,vel non data abſolutione ad ſollicitandum,reum eſse Bullę prędictæ.Relictis aliis verbis Bullę, quæ magis clara ſunt.

74

74 Quæres quibus verbis fiat ſollicitatio.

Pater Bordon.ponit hæc exempla, quæ adduco, ut Confeſsarij cautos ſe reddant in tali adminiſtrando Sacramento.

Primum dicit Confeſsarius ſuo pænitenti *Memento mei, quia te amo, & diligo ex corde.* 2. *Si eſsem ſæcularis ducerem te in uxorem.* 3. *Tua hæc peccata carnalia, me induxerunt in pollutionem contra meam voluntatē.* 4. *Expecta me in domo tua, quia tecum allocuturus ſum ſuper re gravi.* 5. *nolo te audire in cōfeſſione, quia cum ſim captus amore tui facilè cadam.* 6. *Tu es pulchra, & nimis venuſta.* 7. *Cuidam mulieri ſe accuſanti de carnali deſiderio dicit Confeſſarius nō peccaſti, ſi tamen aliquis offerret tibi non parvam pecuniam admitteres eum ad venerea?* 8. *Io vi porto grād' affetto, e mi ſento tutto commuovere,* ſequitur Bordon. *Puella pænitens non intellexit, tunc vim horum verborum, ſeù poſtquam nupſit talia verba occurrerunt eius memoriæ,* & *tunc eorum vim, & ſenſum intellexit. nūquid inducunt ſollicitationem?*

75 Reſpondet Bordon. ad 1. eſse verba ambigua, quæ poſsunt trahi in bonam partem, nempè de ſpirituali dilectione, nam verba dubia, & ambigua debent in bonam partem interprætari, ex Reg. Iur.

Ad 2. pariter negativè, nam ſignificat amorem pudicum, qui reperitur inter coniuges, ſed pace P. Bordon. ſentio cum Diana *par. 9. tract. 9. reſol.* 32. citāte pro ſe Eſcobar. *qu.* 3. *nu.* 38. eſse verba ſollicitationis, nam dicta ſunt ea verba occaſione confeſſionis, & maximè incitant ad venerea, & callidè Cōfeſsarius vult mulierem allicere, & ſicut denunciādus eſt Conffeſsarius ſi laudat ſine occaſione mulie-

rem

rem de pulchritudine, licet iſta verba de ſe non ſint mala, nec explicativa impudici affectus; ita à pari in caſu noſtro deuunciandus eſt &c.& ſi exP.Bordonio *n.75. Quodcumque impertinens*, *quod Confeſſione profertur* [loquens de laudatione) *cum non liceat miſcere ſacra prophanis*, *eſt ſollicitati o:cum incitet ad vanam gloriam, & amorem concupiſcentiæ, cũ mulieres delectentur huiuſmodi laudationibus*; ita in caſu noſtro *Si eſſem ſæcularis ducerem te in uxorem*,ſunt verba impertinentia,& indebita Confeſſarijs,& continent in ſe laudationem,*ducerem te in uxorem*,nempè propter tuas bonas qualitates &c. nam mulieres, ut inquit ipſe, delectantur huiuſmodi laudationibus, quare &c.. Fateor tamen quod ſi iſta verba dicerentur à Confeſſario rationabili cauſa, quæ perſuaderet bonum animum,aut ſimplicitatem confeſſarii, tunc poſſe excuſari à ſollicitatione.v. g. ſi puella conqueretur de difficultatibus, quę ſępè experiretur in ſtipulatione matrimonii, & ſine fundamento, & averſa fortuna, ſi diceret Confeſſarius miror de hoc, nam ego ſi eſſem ſæcularis ducerem te in uxorem,nec tãtas adducerem difficultates, & etiam hoc admitto, penſatis penſandis.

Ad 3.reſpondet affirmativè, nam ſunt verba inhoneſta ſignificantia amorem.

Ad 4.pariter affirmativè, ſi in domo habeat cum muliere colloquia inhoneſta occaſione Confeſſionis, ut patet ex condicto.

Ad 5.negativè nam ex illis verbis potius colligitur deteſtatio huius criminis, niſi dico ego aliqua ratio urgens perſuaderet in contrarium vide Sanch. *in ſelect.diſp.*11.*n.*119.Trimarch.*diſp.*3.*n.*35. Caſtro-

pal.*p.*1.*diſp.*9 *par.*7.*n.*10.

Ad 6.affirmativè, nam laudans captat benevolẽtiam, nec ibi eſt locus laudandi, ſed repræhendendi ſi tamen diceret, tu es mulier ſatis pulchra in corpore, dedecet te eſſe deformem in anima, vel quid ſimile, non eſſet ſollicitatio,neç laudatio, ſed potius reprehenſio.

Ad 7. reſpondit negativè, quod meo videri debet judicari ex modo loquendi, & ex cauſa huius interrogationis; nam abſolutè loquendo mihi videtur multum ſuſpecta hęc interrogatio.

Ad 8. Affirmativè,nam ſunt verba, quę alliciunt ad venerea.

Sed an talis femina cognita poſt multum tempus malitia Confeſſarii teneatur illum denunciare.Dico quod ſi à die cognitionis talis malitię, tranſierunt viginti anni, non tenetur denunciare, nam omnia delicta tam publica, qnam privata per ſpatium vigĩti annorum, excepta hęreſi pręſcribuntur. Farinac. *qu.*10., ſecus ſi non tranſierint, unde non placet, quod abſolutè dicit P.Bordonius, quod talis puella non teneatur denunciare, ſi poſt multum tempus venit in cognitionem malitiæ talis locutionis.

76 Et hic uota quod licet Confeſſarius non ſit cognitus probatæ vitę, attamen, ex dicto unius fęminæ honeſtæ non poteſt, nec debet torqueri, nam delictum non eſt ſemiplenè probatum, quia per depoſitionem duarum fęminarum eſſet ple-i nè probatum, quod verùm non eſt. S tamen adeſſent alia inditia ſufficientia, tuncpoſſet deveniri ad torturam. Imò ex dicto pręcisè unius fęminę, nec debet vocari, nec incarcerari; Sed de hoc

hoc vide auctores & hic Carenam. Cautè igitur ſe gerant Confeſſarij in locutionibus præcipuè in materia carnis, nam ſemper concupiſcit adverſus ſpiritum. Interrogent de neceſſariis, & ſuperfluas interrogationes relinquant, ne paulatim in hoc ſceleſtiſſimum vitium incurrant.

Quæres 30. An modus medicandi vulnera non applicando medicamentum immediatè ſuper vulnera, ſed ut dicunt per ſympathiam ſit ſortilegiũ ſimplex, aut qualificatum, aut nullum?

Præmittendum ſortilegium eſſe *ſuperſtitionẽ illuſoriam, qua homo utitur miniſterio Dæmonis*: ſeù *ſortilegium eſt ſuperſtitio cum ad aliquid conſequendum, quis utitur diabolicis Inſtrumentis*. Farin. *q*. 20. *n* 73.

Dicendum igitur talem modum medendi eſſe ſortilegium.

77 Probatur efficaciter. Quia omne agens agit in paſſum immediatione ſuppoſiti, ſeù virtutis (ut communiter Philoſophi, & Reſolutus Doctor meus *in* 2. *diſt*. 16. *qu*. *Vnic*. *art*. 5. movens dubium, *Quomodo intelligentiæ moveant Orbes cum non ſint præſentes &c.* ergo ipſa virtus medicamenti non poteſt agere in paſſum in quacumque diſtantia; ut volunt adverſarii, nam per diſtantiam agentis debilitatur eius virtus ut patet; ergo hoc habetur opere Dæmonis, qui operatur in poſitione talis medicamenti, nam cauſa finita producit effectum limitatum.

Confirmatur ex Bonacc. de præceptis decalogi *diſp*. 3. *qu*. 5. *punct*. 5. nam interrupta Sphæra activitatis non poteſt agẽs naturale producere ſuum effectum, ut patet de magnete, & maximè ſi inter ferrum, & magnetem interponantur parietes, igitur

data etiam hac virtute in tali medicameuto [quod non admitto]interrumperetur per multa obiecta interpoſita, ut per multas parietes,&c.

78 Sed dices aſtra, quæ multum à nobis diſtant cauſant multos effectus in ſublunaribus, ut metalla, &c. ut patet, & nihil in medio producunt, ergo à pari poterit hoc medicamentum operari in multum diſtans per ſuam ſymphaticam virtntem nihil in medio operando.

Reſpondeo non licet a cauſa naturali ſimpliciter arguere ad cauſam naturalem mixtam cum artificiali, ut in noſtro medicamento, & certè velle tribuere eamdem efficaciam tali medicamento, quod componitur ex vitriolo contuſo, vel calcinato, ad vehementiſſimos caniculę æſtus, quæ aſtris tribuitur operantibus per immediationem virtutis, ſumma ſtultitia eſt.

Unde concludendum talem modum medendi eſse ſortilegium ſimplex, ſi fiat ſine uſu alicuius rei ſacræ & ſi cum ea qualificatum eſse.

Medici enim communiter non utuntur tali medicamento, unde eſt diabolica novitas, & benedicit Mellifluus Doctor *Epiſt.*174. *Novitas mater temeritatis, Soror ſuperſtitionis, filia levitatis.* Vide hìc Bordon.manual.Conſultor.*ſect.*34.

Si tamen iſtud ſymphaticum medicamentum produceret effectum ſuum ſolum diſtando à paſso per aliquam determinatam, & non longam diſtãntiam

78 Quæres an philoſophicè poſset ſalvari talem effectum eſse naturalem?

Dicendum quod poſset, pro affirmativa ſententia, præ cęteris duæ ſunt non ſpernendæ omninò rationes. Pri-

Prima. Per diffuſionem ſubtilis ſubſtantię per aerem ſparſæ ob connaturalitatem, & dependentiam attractæ à vulnere hominis remoti, nã ſanguis effuſus, qui medetur eſt portio hominis vulnerati, & quaſi ipſi eſt connaturalior, quam alijs hominibus propter ſuam indigentiam. Unde D.Thom. *de anim.lect.*22.dicit odorem cadaverum à vulturibus percipi ad quingenta miliaria.

Confirmatur,quia modica exalatio peſtifera hominem brevi tempore perimit,ergo & exalatio proficua erit efficax ad ſanandum.

Secunda ratio poteſt deſumi ab inclinatione, quam habet ſanguis effuſus,qui medetur ad proprium corpus, veluti ad centrum ſuę conſervationis. Videatis Antonium Goudim.*tom.2.Phil.*qui tamen in fine non approbat tale medicamentum, & dicit quod innititur falſis experientijs.

80 Quæres quare actiones indiſtans immediatione virtutis non operentur multoties eoſdem effectus in medio,quos producunt in extremo.

Dicendum quia medium nõ eſt diſpoſitum ad recipiendos illos effectus.Ignis enim comburet ſtupam remotiorem,& non ferrum propinquum, quia ferrum non eſt capax combuſtionis.

Quæres ultimò. Quamnam obligationem in foro conſcientiæ lex inducat?

Pono hoc quæſitum, ut meus Confeſſarius habeat de legibus ſufficientem notitiam ad munus ſuũ aptè exercendum.

Sciatis ergo legem immediatè, ut ſic (non loquor de lege æterna Dei; quę eſt imperium mentis Divinę, quo creaturæ omnes ordinantur in ſuos fi-

nes, in æternitate] dividi in naturalem, & poſitivam; legemque poſitivam in Divinam; in novam, & veterem; humanamque in ius gentium, Eccleſiaſticum, & civile. Lex naturalis quam aliqui vocant ius naturale eſt nobis congenita cum natura, quæ v.g nobis dictat, non eſſe furandum, occidendum, &c: et quod detur in nobis de fide eſt. *Signatum eſt* Pſalm. 4. *ſuper nos lumen vultus tui Domine.*

Lex poſitiva, ſeù ius poſitivum, eſt illa, quę pendet à libera voluntate Dei, vel hominis, & differt à lege naturali, nam hęc eſt invariabilis, illa variabilis: & etiam differt, quia quæ prohibentur iure naturali, ſunt intrinſecè mala; quæ verò per legem poſitivam, ideo ſunt mala, quia prohibita: ut v.g. eſus pomi vetiti in Paradiſo. Lex poſitiva Divina eſt, quę in tempore fuit lata à Deo, & ſubdividitur in legem veteris Teſtamenti, & novam ideſt Evangelicam. Lex poſitiva humana eſt illa, quæ fertur ab homine legitimam poteſtatem habente condendi leges; & dicitur ius humanum, ſubdividitur in ius gentium, ius Civile, & Eccleſiaſticum, ius gentium eſt lex quam ſervare debent omnes gentes, ut conſuetudo recipiendi Legatos ſub Lege ſecuritatis, ius iuſtè bellandi, quę omnia cum ſint cōſona legi naturali, merito debent ab omnibus ſervari. Lex civilis, & ius civile, quod introductum eſt ad Rempublicam rectè gubernandam, eſt ſecundum diverſitatem inclinationum, nationum, & temporū, diverſimodè introductum, & continetur in Iure civili, & in legibus, quas quęlibet Civitas ſibi præſcribit. Leges tandem Eccleſiaſticę, ſeù Canonicæ, ſunt conditæ pro gubernatione Eccleſię, & Animarum à Summo Pontifice, Prælatis, & Magiſtratibus

Eccleſiaſticis nempè à Concilijs Generalibus, Provincialibus,Synodalibus, & ab Ordinariis legitima autoritate.

81 Volumina Canonica iſta ſunt.Primum volumen appellatur *Decretum* compilatũ à Gratiano ex variis Conciliis, & Patrum auctoritatibus, & dividitur in centum ſupra unam diſtinctiones, & trigeſimam, & tertiam cauſam; & poſt ultimam ſunt ſeptem diſtinctiones de pœnitentia,& aliæ tres cauſæ, & quinque diſtinctiones de conſecratione.

Secundum Volumen appellatur *Decretales* cõſtãs quinque libris, diverſiſque ſtatutis, ac præceptis Pontificum,& Conciliorum.

Tertium appellatur *Liber ſextus Decretalium*, qui continet eaſdem materias, in aliis quinque libris ex diverſis præceptis,& ſtatutis.

Quartum ſunt *Clementinæ*,nempè Deciſiones Põtificum à Clemente Papa V. collectæ, & *Extravagantes* Ioannis XXII.& aliæ Extravagantes aliorum Pontificum.

Quintum *Novum Bullarium*, in quo ſunt motus proprii, & Bullæ multorum Pontificum.

Obſerva tamen quod Decretum à Gratiano Collectum non habet vim legis (quidquid aliqui dicant habere ex conſuetudine) ſed ſolùm illam quam Decreta quę continent habent ex ſe. Quare ſi fuerint Conciliorum Generalium, aut Summorum Pontificum totam obligabunt Eccleſiam, ſi Conciliorum Provincialium obligabunt illam Provinciam; & ſi fuerint ſententiæ Sanctorum Patrum, ex ſe nullam inducunt obligationem, pręter illam, quę ingerit materia de qua loquuntur Caiet.2.2.*q*.88.*art*. 9. *dub*. *ult*.

ultimo.Suar.*lib.5.de leg*.Sanch.*de Matrim.lib. 9. diſp. 12.nu.5*.Diana 3 *par.tract.5.Reſp.26.*

82 Obſerva 2. quod adeſt difficultas an ea, quæ ſunt de iure naturæ poſſint invincibiliter ab aliquibus ignorari?

Dicendum præcepta communiſſima, & quaſi principia per ſe nota iuris naturæ, v.g. quod malum ſit fugiendum, bonum amplectendum, ad quod reducuntur præcepta Decalogi primę tabulæ, à nullo poſſe invincibiliter ignorari; ſicuti pariter præcepta iuris naturę, quæ deducuntur facili diſcurſu ex primis principiis, ut v.g. quod homicidium, furtum,& ſimilia ſint illicita, non poſſe ignorari, niſi ab aliquibus rudioribus, & per breve tempus (præcipuè ſi loquamur de Chriſtianis] præcepta poſtea iuris naturæ, quæ deducuntur per concluſiones remotiores à primis principiis, quę indigent difficiliori diſcurſu, ut pręcepta de indiſsolubilitate matrimonii, de uſuris vitandis, poſse à pluribus hominibus, etiã per longum tempus invincibiliter ignorari. Quibus ob claritatem pręmiſſis,ad propoſitum quęſitum.

83 Dicendum. Legem naturalem, & divinam inducere obligationem ſub mortali, communiſſimũ eſse apud Theologos.

84 Dicendum 2.pręcepta humàna poſse,& etiã pręcipere tam ſub pæna, quam ſub culpa gravi, aut levi,ſecundum finem intentum, materię quantitatẽ, & voluntatem Legislatoris: quæ omnia colliguntur ex circumſtantiis,verbis legis, & prudentum iudicio.

Quare in materia gravi, & deliberatè ſi violant aliquod Prçceetum Decalogi,aut Eccleſię mortali-

ter

ter peccant, etiam pueri, ſtatim poſt uſum rationis, niſi conſuetudo, aut communiter Doctores illos excipiant, ut in Ieiunio, Communione, &c. (nõ loquor tamen de pæna]

Cum res, quæ traſgreditur eſt levis, non pecat mortaliter tranſgrediens, licet Superior præcepiſſet ſub mortali; nam materia parva non eſt capax tantæ obligationis, nec *D*eus in materia parva obligat ſub mortali, niſi materia levis ratione circumſtantiarum fieret gravis. *Leſs. lib.2.cap.4.D.9.* Salas *D.* 10.

Si autem res ſit gravis, poteſt Superior obligare ſub culpa levi, quæ etiam poteſt nullo modo obligare.

Voluntas autem præcipientis quomodo obliget coniicitur ex verbis, v.g. iubemus, interdicimus; præcpimus in virtute S. Obedientiæ. Pariter ex pæna appoſita, v.g. interdicti, excommunicationis, ſuſpẽſionis, & quod clarius eſt, ex conſuetudine, quæ eſt optima Legum interpres apud Doctos, & peritos.

85 Igitur lex quæ magis à ligando, quam à legendo dicitur obligat in conſcientia, etiam ſi eſſet lata à Tyranno ſi tamen pacificè regna poſſideat, & tolleretur à Republica. Debent tamen leges habere ſuas conditiones, & eſſe iuſtè, & legitimè promulgatæ, aliòquin in conſcientia non obligarent. Tenemur enim obedire, iuxta quartum præceptum *De*calogi, non ſolum parentibus, ſed etiam legitimis ſuperioribus noſtris iuſta præcipientibus *omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit*. Apoſt. ad Rom. 13. & iterum. *Subditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*: ideſt ne peccetis.

46 Lex enim eſt recta agendorum ratio, à publica poteſtate communitati denunciata, cum voluntate eam perpetuò obligandi ad aliquid agendum, vel omittendum. Quare eſt principaliter ad publicam utilitatem, daturque communitati ad differentiam præceptorum, quæ particularibus perſonis impertiuntur: licet multoties nomen legis cum nomine præcepti confundatur.

Dantur tamen aliquæ leges non mixtæ, ſed merè pænales, quæ ad ſolam pænam non ad culpam obligant, ut v.g. ne quis in nocte ſine lumine incedat, & etiam aliqua ſtatuta Religioſorum, quæ ad ſolam pænam obligant non ad culpam, licet Sãch. *lib.6.in Decal.* dicat iſtas ordinationes ad pænam ſolum obligantes, non eſſe propriæ leges. Ad cognoſcendas tamen quænam ſint iſtæ leges merè pænales utere regulis ſupra allatis.

Inſuper nota quod quando obſervatio legis moraliter eſt neceſſaria ad publicum bonum conſervãdum, & quando tranſgreſſio legis in fidei contemptum, & Eccleſiaſticæ poteſtatis cederet; tùm debet lex obſervari etiam cum periculo vitæ; In aliis autem caſibus non obligat cum periculo mortis, & gràvis damni. *cap.4.de Regulis iuris habetur. Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum.* Infertur quod qui eſt occultus excommunicatus, ſi neceſſe eſt ad vitandam infamiam, aut periculum gravis damni ſi non habeat à quo abſolvatur, præmiſſa contritione poſsit miniſtrare Sacramenta, celebrare, eligere, &c. Quòd valet etiam de Irregulari, ob culpam occultam, ſi tam citò non poſſit habere diſpenſationem in ſimili caſu, quare poteſt ordines ſuſcipere, & celebrare, ne narratis periculis

ſe exponat. Sed pro praxi mei Confeſsarii.

47 *Quæres* 2.ã etiã Peregrini, & vagi obligentur legibus, & conſuetudinibus locorum, per quæ tranſeunt?

Suppono 1.ut certiſſimum, Peregrinos, & Vagos Chriſtianos ubique exiſtant, cum ſubſint iuriſdictioni Eccleſiæ[cæteris paribus) teneri legibus communibus totius Eccleſiæ: undè tenentur Sacrum audire diebus Feſtis, ſervare Vigilias, & Quadrageſimam, &c.

Suppono 2.eos qui ponunt fixum Domicilium de novo in aliqua Civitate, aut loco, ſtatim teneri legibus territorij.

Suppono 3.Peregrinos qui ratione alicuius negocii debent perſiſtere in aliquo loco per hebdomadã, aut ſaltem per menſem teneri ſe accomodare legibus & conſuetudinibus loci, ſervando ieiunia, & Feſta, quę ibi ſervantur. Hoc enim requirit quies Reipublicæ, quę diverſis moribus hominum, nimis perturbaretur.

Solùm ergo quæſtio intelligitur de Vago, & Peregrinis, qui morantur brevi tempore, v.g. hic Lucæ: an teneantur in die Exaltationis S. Crucis, & in die S.Paulini primi Civitatis Epiſcopi, ſacrum audire?

Dicendum 1.tales obligari ad ſervandam formã pręſcriptam contractuum talis nationis, pretium taxatum in venditionibus, ad ſolvenda iuſta vectigalia, & ſimilia.

Dicendum 2.Ecluſo ſcandalo per quod poſſunt ab Epiſcopis puniri, non teneri ad audiendum Sacrum, ſervandum ieiunium ſi aliòquin non etiam tenerentur in proprio Domicilio talibus diebus ieiuna-

na-

nare,& ſacrum audire.Laym.*lib.*1.*tract* .4.*cap*,12.*n* 4.Sanch. *lib.*3.*de Matrim.diſp.*8. qui citat Toletum, Roſellam,Azorium,& alios. Attamen oppoſita ſententia iudicatur tutior,& probabilior, & eam ſecutur Suarez, Lezzana noſter, Navarrus, Vaſquez,Ledeſma,Henriquez,Covaruvias,& alii multi. Et meritò, nam leges immediatè tangunt territorium legislatoris, & ibi exiſtentes afficiunt; quia tunc cenſentur ſubditi eiuſdem Principis à quo poſſunt puniri. Undè conſequenter ad leges obligantur. Utraque ſententia probabilis, & in praxi prima nō damnanda; ſed quo ad Vagos mihi placet, quod teneantur; aliòquin, nullis legibus particularibus tenerentur, quod eſſet contra eorum rectam gubernationem, ut docet Collegium meum Salmaticenſe *tract.*11.*de leg.cap.*3.*de Poteſtate &c.*5.§.5.Licet aliqui dicant ſufficere, quod ſubſint legibus iuris communis, ſed nimis latè.

88 Petes iterum. An Peregrini teneantur legibus ſui Domicilii, dum ſunt abſentes? Dicendum non teneri. nam præcepta localia territorium aſpiciunt,quia ſunt ei affixa; quare non obligant niſi exiſtentes in illo. Undè ſi Epiſcopus prohibeat v.g. Ludum Taxillorum ſub pæna excommunicationis, non ligantur illi Clerici, qui ludunt in loco immuni à iurisdictione Epiſcopi.Laym.*cap.n.*5. Et hoc verificatur etiam in præceptis iuris communis,quare Mediolani poteſt Peregrinus veſci carnibus, & lacticin. quatuor primis diebus Quadrageſimæ; nàm in ſimilibus caſibus valet privilegium locale, quo poſsunt frui omnes, qui in tali loco reperiuntur. Sed adeſt ex dictis pulcherrimum dubium.

An

An qui explevit ieiunium Quadrageſimale, & redit in ſuam Civitatem, in qua nondum tranſacta eſt Quadrageſima, ratione diſcrepantiæ novi, & veteris Calendarii, aut aliquod aliud ieiunium, teneatur ſe accomodare conſuetudini ſuæ Patriæ, & iterũ ieiunare?

Leſſius *nu.*52. aſserit, & benè talem non teneri, quia iam ſatisfecit prҿcepto, & Eccleſia neminem vult obligare ad duplex ieiunium; & hoc etiàm valet de celebratione Feſtorum. Cavendum tamen à ſcandalis, quæ poſsunt oriri. Similiter qui pergit ad locum negociorum cauſa, ubi Quadrageſima tranſacta eſt, poteſt ſe moribus eorum, cum quibus vivit accomodare. Si fueris Romæ Romano vivito more. Leſſius *lib.*4.*de Iuſt.& iur.nu.*59.Bonacc.*diſp.*1.*de leg. q.*1.*par.*6.*nu.*64.*& alijs.*

Sed quid dicendum ſi hoc faceret in fraudem legis,& ieiunii?

Diceret Bonac.loco cit.quod talis uteretur ſuo iure; fortaſſis propter quatuor primos dies Quadrageſimæ Mediolani.Sed adeſt *quod fraus, & dolus patrocinari non debet,cap..Sedes,cap. Ex tenore de reſcript.*In hoc tamen me remitto, nam praxis Mediolani cõtraria eſt,& ſine ſcrupulo Advenæ illis dieb.,carnibus, & lacticiniis veſcuntur, & vicinioreseo conveniunt,ut tali locali privilegio fruantur, licet tale ieiunium totam eccleſiam obliget.Quicquid dicat P. Anacletus Reinfeſtuel in contrarium. Tutius tamen ab hoc abſtinendum.

89 Nota tandem, quod lex ad hoc, ut ſit iuſta debet habere ſuas conditiones de quibus vide apud omnes. Quod Principes non tenentur ſuis legibus

bu vi coactiva, ſed ob decentiam,vi directiva;& ad aliquas,nec obligatur vi directiva,ut v.g.ad non ferenda arma,&c.Unde Pontifex ſi occideret hominem non eſset irregularis; nec Epiſcopus ſi violaret aliquid à se præceptum ſub excommunicatione illã incurreret.

90 Uxor verò legislatoris, quia eſt verè ſubdita, obligatur vi coactiva, & ad culpam,& ad pænã nihilominus privilegio legislatoris cenſetur exempta *in l.Princeps* §.*de legib.*Salas *Diſp.*13.*ſect.*3.*n.*36. Suar.*lib.*2.*cap.*35.*n* 28.Bonacc.*diſp.*1.*q.*1. & alii multi. Quod mirè poteſt accommodari Conceptioni Immaculatæ Sanctiſsimæ Deiparæ, propter illam communiſſimam legem. *Omnes in Adam peccaverũt*, & hæc, quæ humiliter remitto (ut fas eſt viro Catholico) iudicio infallibili Sanctæ Matris Eccleſiæ, ſcripta ſint ad honorem Summæ, & Individuę Trinitatis, & ad utilitatem mei Confeſsarij, cui in agendis præ cęteris Spiritus Sancti donis, præcor Sapientiam,& Conſilium.

NOTA

Dell'Opere compoſte dall' Autore, e ſtampate in diverſe Città.

1 *Motivi di divotione verso i Santi Angeli Cuſtodi.*

2 *Il Legato Apoſtolico. Vita di* S.*Pietro* T*omaſo Carmelitano*, P*atriarcha di Coſtantinopoli, e Martire, in due libri.*

3 *I Due Precurſori di Chriſto.*

5 *I Trionfi di S.Maria Maddalena de' Pazzi.*

6 *La Memoria d'un Giuſto.*

7 *Autunno Sacro. Raccolta di varie opere, Col Ritratto del Peccatore, & alcuni Panegirici.*

8 *Lo Splendore di Chiaravalle. Vita del Prodigioſiſſimo S. Bernardo Dottore Mellifluo.*

9 *L'Infelicità fortunata de' Tribulati.*

10 *La Dama Chriſtiana Diſingannata.*

11 *Confeſſarius Manuductus.*

12 *L'iſteſſo, Notabiliter auctus col trattato delle quattro Virtù Cardinali, & pro ordinandis, &c.*



Digitized by Google

INDEX GENERALIS

Prior numerus marginem, ſecundus paginam demonſtrat.

Abortus.

Cenſura lata contrà procurantes abortum, cui reſervetur. pag. 129. nu. 9.
Quid requiratur ad illam incurrendam. ibid.
Fæmina vim paſſa à Dæmone incubo á poſſit expellere fætum nondum animatum. 543. 3.
Cuius filius erit iſta proles. 545. 4.
Propoſitiones damnatę in hac materia. 454.

Abſolutio, Abſolutus.

Abſolutio Sacramentalis an poſſit impendi ſub conditione. 11. 27.
Abſolutus communi errore, vel titulo colorato, an ſit verè abſolutus. 17. 10.
In articulo mortis an poſſit abſolvere non approbatus. 22. 3.
Quid præſentę approbato. 24. 6.
An hęreticus, excommunicatus, & Schiſmaticus, & quo ordine. 25. 7.
An in articulo mortis abſolvi poſſit pænitens à reſervatis, ab excommunicatione, & ſub qua cautione. 25. 9.
Ab excommunicatione an poſſit abſolvi non præmiſſa ſatisfactione. 27. 10
Abſolvi an poſſint à quolibet Sacerdote captivi apud infideles, aut ij, quibus imminet periculum amentiæ. 27. 11.

Abſolvere an poſſit quilibet Sacerdos in articulo mortis ab irregularitate ſuſpenſione Ordinis, officii, vel Beneficii. 29. 15.
Abſolvere quis poſsit à cenſuris in articulo mortis, deficiente Sacerdote. 29. 15
An abſolvendus moribundus nolens ſtatim reſtituere. 29. 15.
An abſolvendus qui nullum ſignum doloris dedit. 29. 16. 234. 13.
Abſolutio in articulo mortis an poſsit impendi nutibus, vel Scripura. 30. 17.
Abſolvi an poſsit à cenſuris extra Sacramentũ. 42. 8.
An invitus, ignorans, & abſens. 42. 8. 81. 28
Abſolvens ſine facultate à Caſibus Bullę Cænæ, quot cenſuras incurrat. 42. 8.
Abſolvens à cenſuris ſine ſolitis ceremoniis, an peccet. 42. 8.
Abſolvere quis poſsit ab excommunicationib. 78. 22
Ad abſolutionem cenſurarum in foro interno quid requiratur. 80. 24.
In abſolutione mortuorum quid obſervetur. ibid.
Absolutio ab excommunicatione an dari poſsit ante ſatisfactionem. 81. 25.
Abſolutio à Cenſura an valeat non ſatisfacta parte. 82. 30.
Abſolvi an quis poſsit per quemlibet Sacerdotem à peccato, cui eſt annexa cenſura, oblito tempore Iubilæi. 81. 27.
Abſolutio à cenſura an poſsit dari ad reincidentiã, & cautelam. 81. 28. 29
Habens facultatem abſolvendi à cenſuris, an poſſit abſolvere ab interdicto, & ſuſpenſione. 82. 30.

Quæ impedimenta excuſent adire Pontificem pro abſolutione. 83. 31.
An impeditus adire Pontificem teneatur petere abſolutionem per Procuratorem, aut per Epiſtolam. 84. 32.
Abſolvendus an quis ſit ante denunciationẽ. 90. 16.
Abſolutio quando deneganda. 229. 1.
Abſolvi an poſsit exiſtens ĩ proxima occaſione peccandi. 231. 5. & 545. 5.
Abſolvi an poſsit qui coſitetur tantum ſcriptum ſine neceſsitate. 236. 17.
An Abſolvendus qui nullam vult acceptare ſatisfactionem. 249. 6.
Abſolutionẽ ã debeat præcedere reſtitutio. 474. 43.
Quid ſi adeſſet propoſitum reſtituendi. 547. 8.
Abſolvi an poſsit complex peccati. 236. 19.

Accedia.

Accedia quid ſit, unde dicta, & an ſit mortalis, & quæ eius filiæ. 346. 1. 2.

Adulterium, adulterans.

Adulterium quid ſit. 181. 20.
Ad quid teneantur adulterantes. ibid. & 414. 13. 14.
Quid de damnis ſequutis filiis legittimis. 182. 21.
An excuſet à reſtitutione periculum. 183. 22.
Quæ malitia reperiatur ĩ Adulterio. 410. 3. & 566. 2.
Adulterium maius eſse crimen, reſpectu coniugatæ. 415. 15.
Propoſitio damnata in hac materia. 416. 17.
Adultera ſimul rem habens cum duobus, quis iſtorũ ſit Pater adulterinus. 181. 20.
Copula cum coniugata marito conſentiente an ſit adulterium. 564. 21.

In articulo mortis conſtitutus abſolvi poteſt à quolibet Sacerdote etiam excommunicato, & alia vid.abſolutio.

Attentio.

Quid,& quotuolex ſit. 554. 17. 18
Quæ requiratur ad Divinum officium. ibid.
Voluntariè diſtractus an ſatisfaciat præcepto. 555.

Aſtrologia.

Naturalis an detur,& ſit bona. 355. 17.
Aliquãdò eſt ſuperſtitioſa,& hæretica.357.20.&21

Aſtutia.

Quid ſit, & an ſemper ſit mortalis. 329

Attritio, Vid. Dolor.

Avaritia.

Quid ſit, & quale peccatum. 335. 1.
In quibus caſibus per avaritiam peccetur. ibid.
Avaritiæ filiæ quę ſint. 336. 4.
An ſit maius peccatum avaritia, vel prodigalitas. ibid.3.6.

Baculus.

Paſtoralis cur ſit curvus in ſummitate. 591.
Quare illo non utatur Pontifex ſicut alii Epiſc.ibid

Bannitus.

An poſsit occidi. 407. 8

Baptiſmus.

Baptiſmi effectus. 3. 9.
An qui pluries ſine intentione baptizavit teneatur manifeſtare ſuũ crimẽ cum periculo vitæ 489.54
Baptizati à Ioanne an fuerint rebaptizandi Chriſti baptiſmo. 585
An Ioannes, & Sanctiſsima Virgo fuerint baptizati Chriſti baptiſmo. 587.49

Rr 3 Bel-

naria. ibid.7.
Confeſſarius de quo debeat interrogare in blaſphemia. ibid.8.
Quot ſpecies ſub ſe contineat. 369.9
Blaſphemi hæreticales an gaudeant īmunitate. 469

Bona.

Quibus bonis privet excommunicatio. 51.16
Bona in quæ dividantur. 228.3

Bulla.

Quare in Bullis cum plumbo Pontificijs D. Paulus ponatur à dextris, & D.Petrus à ſiniſtris. 589.
Bulla Cęnæ. Vid. excommunicatio, abſolutio. &c.

Caſus reſervati.

Vide Reſervatio.

Cauſa pia.

Quæ dicatur 551.14.

Cenſura.

Quid ſit, & à quo dicatur. 39.2.3
Quotuplex ſit. 43.1
Quomodo privet etiam bonis temporalibus. 41.6
Degradatio, & depoſitio an ſint cenſuræ. ibid.
Una an poſſit tolli ſine alia. 81. 26
Et quid ſi incurrantur duæ cenſurę propter idem peccatum. 42.8
Quis poſsit ferre cenſuras. 44. 3. ad 16.
De abſolutione à cenſuris. Vid. abſolutio.

Ceſsatio à Divinis.

Quid ſit quidquè prohibeatur & permittatur. 105. 14. ad 18.
Clerici qui poſſunt celebrare tēpore īterdicti ā poſſint etiam celebrare tempore ceſſationis à divinis. 196. 19

Pęnæ violantiũ ceſſationẽ à Divinis quæ ſint. 106. 17
Quę Sacramenta miniſtrari poſſint tempore ceſſationis à Divinis. 106 18
Ad quid teneatur qui fuit cauſa ceſſationis à Divinis. 106. 19.

Charitas.

Quid ſit, 305. 1
Quando obliget 306
An poſsit diligi Deus propter Beatitudinem. 307.
Quot ſint ex charitate diligenda. 394. 1

Character.

Quando imprimatur in ordinibus habentibus duplicem materiam. 513.
Quare ſit indelebilis. 588

Circumſtantia.

Quid, & quotuplex. 148. 1. 2
Quando mutent ſpeciem. 150. 3
An omnis circumſtantia mutet ſpeciem. 152. 6
Quæ ſint neceſſario confitendæ 153. 1. & ſeq.
Per quam devenitur in notitiam cõplicis an ſit aperienda. 285. 17.
Quomodo rudes confiteri poſſint omnes circumſtantias. 159. 5.
Ignorantiæ an explicanda 158. 4

Clerici.

Illos percutientes quando excuſentur ab excommunicatione. 67. 6. 7
Qui veniant nomine Clerici. 75. 10.
An incurrant non impedientes eorum percuſsionem. 70. 9
An rati habentes. ibid.
An incurrant furantes illis crumenam. 71. 12

Quis

Quis poſſit abſolvere ab huiuſmodi excommunicatione. 72.13
Notoriè concubinarij an ſint ſuſpenſi ante declaratoriam. 94.3
Poſſidentes plura beneficia ſi committant delictum habens annexam ſuſpenſionem an ſint privati omnibus fructibus beneficiorum. 97.10
In quo poſſint expendere cenſus ſuorum beneficiorum. 168 .8
An poſſint per alium negociari. 215.23
Porrigens venenum Sacerdoti an poſſit abſolvi à ſimplici Confeſſario antequã talis Sacerdos moriatur. 450. 24
Quare deferant Tonſuram. 510

Comedia.

Comedias turpes exhibens an peccet. 411. 5

Commodatum.

Quid ſit. 206 7
An commodator poſſit repetere commodatum ante tempus. 207. 8
Ad quid teneatur negligenter cuſtodiens rem commodatam ſi hæc pereat. ibid.9.

Communio, Euchariſtia. &c.

Quæ diſpoſitio requiratur ad Communionem. 147.10
Particulę conſecratæ an ſint relinquendæ ſuper corporali, donec Sacerdos corpus ſumpſerit 353.
Quandò communicans cum excommunicato incurrat excommunicationem maiorem. 53.19.22
Communicare an poſsimus cum ſuſpenſis. 95.6
Sacerdotes malè faciunt dum celebrant non communicando adſtantes. 354

Com-

Sacramentum Euchariſtiæ an ſalvetur in una tantũ ſpecie. 524
Laici ſumentes ſolam ſpeciem panis quomodo recipiant totum,& verum Sacramentum. ibid.
Euchariſtia ut Sacrificium quid repręſentet. 525
Corpus,& Sanguis Chriſti quomodo ſit in utraque ſpecie. ibid.
Ex vi verborum quid veniat in conſecratione. ibid.
An Papa poſsit diſpenſare,ut Sacerdos conſecret ſolum Panem. 527
Comutatio Votorum,Vid.Verb.Votum.

Compenſatio.

An qui ſibi compenſat non ſervatis circumſtantijs peccet mortaliter. 87.7
Famuli ã poſſint ſibi compenſare quando conſtet de iniuſtitia ſalarij. 421.4
Quomodo poſſit conſtare de hac iniuſtitia. ibid.5
Propoſitiones damnatę. 420.2

Concubina.

Concubinarius an poſsit abſolvi antequam dimittat concubinam. 545.5
Vide v. Occaſio.

Coniuges.

Quandò peccent mortaliter, & quando venialiter. 415. 16
An peccent utendo Matrimonio antè ſumptionem Euchariſtiæ. 417. 18
An interrumpere poſsint actum coniugalem. 418.19
Quando poſsint negare debitum. ibid. 20
Propoſitio damnata in hac materia. 416.17
Mulier dubitans de morte prioris viri an poſſit petere,& reddere. 486. 51
Con-

Confeſſarius.

Quoad approbationem. Vid.verb.approbatio
Quoad prudentiā .v.Prudentia.
Quoad Scientiā. v.Scientia.
Quoad probitatem. v.probitas.
An debeat eſſe in gratia toto tempore quo audit Cōfeſſionem. 32. 2
Quomodo ſe gerere debeat quando ei demandatur à moribundo reſtitutio famę, vel pecunię. 28. 12
Abſolvens non prǫmiſſa ſatisfactione an teneatur reſtituere. 82. 29
Quilibet approbatus abſolvere poteſt à cenſuris nemini reſervatis. 78. 22
An poſsit abſolvere complicem. 236 19
Quid debeat obſervare in mutatione ſatisfactionis. 260.& ſeq.
Quādo teneatur pænitentem interrogare. 291.1.2.3
Quomodo debeat pęnitentem interrogare. 293.1.
Circà interrogationes venereas quomodo ſe gerere debeat. ibid.
Quid facere debet quando ſcit peccatum pænitentis illud non manifeſtantis. 295.2
An peccet omittendo aliquā interrogationē ibid.4
Quid debeat notare in omni confeſsione. 296.6.7. 491. 55.
Remedia adhibenda pro ſalute pænitentiū. 492. 56
Confeſſarios imperitos approbantes an peccēt. 36.5
Abſolſiens incapacem cumulat delicta. 232.7
An debeat admonere pœnitentem ſequens bona fide opinionem falſam. 456. 29

Confeſsio.

Peccata deleta per contritionem ā confitenda. 8.19

Fa-

Facta Angelo an ſit valida. 9. 22.
Quando adeſt periculum perverſionis in Pœnitente, an ſit admittendus.
Sacerdos hæreticus ad audiendam talem confeſſonem. 25.7
Parochus an poſsit exponere Parochum, vel Sacerdotem alterius Diœceſis ad audiendas ſuorũ ſubditorum confeſsiones. 28.14
An cum periculo vitæ ſit audienda confeſsio illius, quem timet non habere contritionem. 30.18
Facta Confeſsario imperito ex induſtria quæſito, an ſit valida. 36. 4
Peccatum ſub dubio confeſſum an debeat iterum ut certum confiteri. 119.8.
Confeſsionis integritas quotuplex. 234.11
Quæ cauſæ excuſent ab integritate.ibid.àn.12.ad16
Quando ſit iteranda. 237.1.2.
An detur confeſsio informis. 239. 4
Omiſſa ſatisfactione an ſit iteranda. 241. 2
Confeſsionis præceptum an obliget in determinata anni parte. 442.10
Quid agendum quando urget periculum,ut quis moriatur non abſoluta confeſsione. 28.13.30.19
In Surdi confeſsione quid advertendum. 296,5

Conſuetudo.

An,& quando obliget. 442. 11
Quot conditiones ad illam requirantur. ibid.
Conſuetudinarii an poſsint abſolvi ſi habeant verũ propoſitum. 546. 7

Contractus.

Quid,& quotuplex. 204. 1
Qui contractus dicantur innominati. 212.19

An

An dolo, vel errore celebratus valeat. 205. 3
An carens ſolemnitate valeat, ibid. 4
Quæ conditiones ſint validæ in contractu, & quæ non. ibid. 5
Quæ ſolemnitates requirantur in contractu ad pias cauſas. 551. 14.
AEqualitas periculi ſervandū eſt inter contrahentes 212. 19
Contritio vid. Dolor.
Contumelia.
Quid ſit. 184. 26. & 339. 4
An ſemper teneamur ſuſtinere contumelias. ibid. 27
Correctio.
Fraterna quomodo facienda. 398. 10. 11
An præmittenda in materia S. Officij. 90. 15. 400. 14
Qui teneantur ad correctionem. 398. 12
An inferiores teneātur corrigere Superiores. 399. 13
An hæreticus ſit fraternè corrigendus. 400. 14
Crimen v. Delictum.
Dæmon.
Dæmonis impræcatio ſibi, vel aliis an ſit mortalis. 369. 11.
Debitum Coniugale, vid. Coniuges.
Decalogus.
Decalogi præcepta alia affirmativa, alia negativa. 347. 1
Alia verſantur circa Deū, alia circa proxim. 348. 2
Parvitas materię datur in aliquibus, ſed non in omnibus. ibid. 3.
Non obligant ad finem præcepti. ibid. 4
Quibus modis peccetur contra primum preceptum. ibid. 5. & ſeq.

Quibus contra ſecundum. 366. 1
Quibus contra tertium. 388. 1
Quibus contra 5. 403. 1
Quibus contra Septimum 419. 1. 11
Quibus contra octavum. 426. 1. 19
Quid prohibeatur in nono, & decimo. 436. 1

Degradatio, & depoſitio.

An ſint cenſuræ. 41. 6.
Depoſitio quid ſit, & in quo differat à ſuſpenſione. 98. 1. 2.
Degradatio quid, & quotuplex ſit. 99. 3
Depoſiti, & degradati ad quid teneantur ratione ordinis clericalis. ibid.
Quiſnam poſſit ferre ſententiam degradationis formalis. 100. 4
Quis nam poſſit diſpenſare cum depoſitis, & degradatis. 100. 5.

Delectatio.

Moroſa quomodo confitenda. 176. 11
A quo ſumat ſpeciem. 437. 2
De rebus prohibitis iure humano an liceat. ibid. 3

Delictum.

Quando ſit publicum, & quandò occultum, 131. 15
Grave vertens in detrimentum reipublicę an denunciandum. 428. 5
An denunciandū vertens in damnum proximi. ibid. 6

Denunciatio.

Reus quando ſit denunciandus. 428. 5. 6.
Non denunciantes hæreticum, vel ſuſpectum Sancto Offitio quando incurrant excommunicationem, & quid de Inquiſitoribus. 487. 52
Quando quis teneatur ex vi monitorii denunciare

cedens,vel non cedens in damnum tertij 85.3.4.5
Quinam teneantur denunciare ex vi talis Monitorii. 87. 6
Quando excuſentur. ibid. 7.8.
Quãdo in monitorio præcipitur manifeſtatio rei, an teneatur quis denunciare reum emendatũ. 89.13
Qui non revelat ex vi talis monitorii an teneatur ad damna tertij. 90. 14
Quinam obligentur denunciare S.Officio. ibid. 15
An ſit quis abſolvendus ante denunciationẽ.ibid.16

Depoſitio vid. Degradatio.

Deſiderium, v.verb.peccatum.

Detractio.

Quid ſit,& quot modis fiat. 187. 32
In quo differat à ſuſurratione. 185 28
An peccẽt Hiſtorici narrãdo alterius crimina.188.33
Quandò detractio ſit mortalis, & quandò venialis. 189. 35
An audiens detractorem peccet. 190.37.& ſeq
An aliquandò liceat detrahere. ibid.40
Ad quid teneatur detractor. 191.41.42
An ſi alium infamavit verum dicendo teneatur reſtituere famam, & damna. ibid.33.44
Qui falſum crimen impoſuit an teneatur ſe retractare cum magno damno. 193. 45
Hæredes detractoris an teneantur famam reſtituere 192 44.
An detractores teneantur ſe retractare cum magno damno. 193 46
An falſo accusatus in iudicio, vel extrà poſsit ad ſe defendendũ imponere falſum crimẽ accuſatori, 569 28

Dia-

Quis illas incurrat. 77 19
Quis poſſit abſolvere ab excommunicatione lata in duellantes. ibid. 20

Ebrietas.

An liceat inebriare inimicum ne occidat. 342. 2
Quando ſit mortalis, & quomodo poſſit cognoſci. ibid. 3.
An liceat pro recuperanda ſanitate. 343. 5
Mala in ebrietate perpetrata quando ſit peccaminoſa. ibid. 3

Eccleſia.

Actus internos an poſſit præcipere. 556. 559

Eleemoſina.

An ſit de præcepto. 396
Ex quibus bonis facienda. ibid. 5
An filij familias, & Vxores poſſint illam facere. ib. 7
An ſit melius dare eleemoſinam communitati, vel particularibus. 397
Quid ſit eleemoſina Spiritualis. 398. 9
Propoſitio damnata in hac materia. 396. 6

EpiKeia

Quid ſit, & in quibus caſibus liceat. 571 29
An detur in lege naturali, ſeu divina. ibid. 30
Quando detur in utraque ſimul. ibid.
An ad hoc, ut detur, debeat deficere finis legis, & quomodo. ibid. 11

Epiſcopus.

Nomine Epiſcopi quid veniat. 12. 2
An peccet non approbando idoneum, & è contra ibid. & 36. 5
An poſſit abſolvere à caſibus Papalibus, & Bullę Cænæ. 79 22

An ab hæreſi occulta. ibid. 23
An poſſit extrahere reum ab Eccleſiis. 363. 35
De quo interrogandus in Confeſſione. Vid. Prelatus
Puer an poſsit conſecrari Epiſcopus 505
An peccet ordinando illiteratum. 506
Epiſcopatus an ſit ordo. 539
An poſsit conſecrari Epiſcopus à ſolo Sacerdote. 541

Eques.

De quibus interrogandus. 464 35

Euchariſtia vid. Communio.

Examen.

Quandò diligens dicatur. 233 9. 10

Excommunicatio,

Quid ſit. 44 1
Quotuplex. 52 17
Quibus bonis privet. 51 16
Communicans cum excommunicato quando incurrat excommunicationem maiorem. 52. 18
Quæ communicatio cum excommunicato ſit prohibita, & quæ permiſsa. 53. 19
Excommunicatus exercens actum ſui ordinis an ſit irregularis. 54 20
Quid ſi per annum inſorduerit in excommunicatione. ibid.
Quid requiratur ad hoc ut excommunicatus ſit vitandus. ibid. 21
Excommunicatio minor quæ, & à quo poſsit relaxari 58 24
Mortui an poſsint excommunicari. ibid. 25
Nulla, & iniuſta, an liget. 39 4 59 26
Quę ſolemnitates requirantur ad ferendam excommunicationem, & interdictum. 60 28 29

Man-

Mandans, & conſulens quando incurrant, vid. verb. Mandans.
Sacerdos excommunicatus adminiſtrans Sacramenta ſine neceſſitate an peccet. 258
An quis poſſit excommunicare ſeipſum, vel equale, aut Superiorem. 64. 34
Quæ cauſę excuſent ab incurrenda excommunicatione. 63. 32. 33
De excõmunicatione lata ad revelanda furta. 85. 1. 2
De excommunicatione quoad abſolutionem. vid. V. Abſolutio.
Lata contra percuſſores Clerici, vid. V. Clerici.
Lata contra Duellantes, vid. v. Duellum.
Lata contra hæreticos, vid. v. hereſis.
Excommunicatus de quo ſit interrogandus. 474. 42
Quid ſervandum in abſolutione ab excommunicatione. 475 4

Exorciſta.

Ordo exorciſtatus quid, quæ eius materia, & forma. 512
An quilibet fidelis poſſit ſine tali ordine arcere Dęmones à corporibus obſeſſis. 513

Famuli.

An poſſint ſibi compenſare quandò conſtat de iniuſtitia ſalarii. Et quandò conſtare dicatur de tali iniuſtitia; Item Propoſitiones damnatæ. vid. V. Compenſatio.
Nomine famulorum qui contineantur 421
§. Quoad ſecundam.

Falſum vid. V. Teſtis.

Fama Honor.

Fama, & honor quid ſint. 183 23

Filii.

Ad quid teneantur ergà Parentes. 400. 15
Qui veniant nomine filii. 401. 17
Male loquentes de Principibus an peccent. 401 18
Interrogationes faciendæ filiis. ibid. 19
Natus ope Dæmonis cujus ſit filius. 545.4
Ad quid teneatur qui filium ex aliena muliere ſuſcepit. 180. 19
An teneantur magis ſuccurrere neceſsitati Parentũ, quam filiorum. 402. in fin.
Forma, vid. V. Sacramentum.

Fornicatio.

Qui fornicatus eſt cum aliqua Virgine ſub ſpe matrimonii ad quid teneatur. 179. 13.413.11
Quid ſi mulier ęquè benè nupſit. ibid
Vid. verb. Stuprum.

Fortitudo.

Quid ſit, & in quo conſiſtat. 317.1
Actus fortitudinis quot ſint. 318. 2
Partes potentiales illius quę ſint. ibid.
Quę vitia illi opponuntur. ibid.
An Martyrium ſit actus Fortitudinis. ibid. 4
Martyrium in adultis an ſit actus fortitudinis. 319.5

Fraus.

Quid ſit. 330. 5.§. Fraus eſt

Furtum.

Quid ſit. 419.1
An in extrema neceſsitate liceat furari. 420.2
Quid in gravi. ibid. 3.
Parva paulatim ſurripiens ad quid teneatur quandò quantitas ſit magna. 422. 6
Quæ cenſeatur materia gravis in parvis furtis 423.7

An illã incurrat hæreticus mentalis . 46.§.Quæritur.
Hereticus negativus an poſsit abſolvi. 467.37
Innocens falsò ſe accuſans de hæreſi,an peccet.ibid.
Negans aliquem eſse Papam, quem tota credit Eccleſia, an ſit hæreticus. 473. 41
Excommunicatio contra hæreticos lata, quando,& à quibus incurratur. 65. 2
Epiſcopi ã poſsit abſolvere ab hæreſi occulta.79.23
An Prælati Regulares,Abbates, & Inquiſitores.80. 23. 24.

Homicidium.

Ad quid teneatur Homicida. 171 1
Quid conſiderandum in reſtituendo propter damna ſequuta ex homicidio. 172: 2.3
Ad quid teneatur qui punitur propter Homicidium. 173. 4
Quibus fieri debeat reſtitutio ex homicidio. 174.5
Quid ſi occiſus ſit nobilis. 173. 4
Homicida an teneatur reſtituere quod conſumpſit occiſus in curatione. 174.7
An teneatur ſolvere debita Defuncti. 175.8
An eximatur à reſtitutione ſi occiſus remittat iniuriam. ibid.9
Homicida de quo interrogandus. 475.45
Quibus caſibus nõ teneatur reſtituere. 173.4.477.46
Propoſitiones damnatæ in hac materia. ibid.

Honor vid.V Fama.

Horæ Canonicæ.

Religioſi vacantes concionibus, & ſimilibus an excuſentur. 138
Quid de Superioribus. ibid.
Quę occupationes requirantur. 139

Ieiunium eiuſdem diei ſemel fractum an amplius obliget. ibid. 9
Liquida an aliquandò frangant. 324. 6

Ignorantia.

Et inadvertentia an excuſent ab incurrenda excommunicatione. 63. 32 33
Etiam craſsa ſemper excuſat à dolo,& pæna. 330. 5.
An eorum,quæ quis ſcire tenetur excuſet à pęna, & culpa eodem modo. 580
Craſſa, aut Supina an excuſet quando lex requirit Scientiam. 581
Alleganti ignorantiam incumbit onus illam probãdi. ibid.
Quomodo probetur. ibid.
Iuris communis an præſumetur. ibid.
Facti proprij,vel alieni an præſumetur. 582
An ignorantia ſit peccatum diſtinctum ab illa re, contra quã peccatur. 582
An explicanda in confeſsione. ibid.
Quotuplex ſit. 584
Antecedens,cõcomitans,& conſequens quæ ſint. ib.
Univerſaliſsima principia iuris naturalis an poſsint ignorari. 585

Immunitas.

Quid ſit. 360. 31
Privilegium immunitatis quotuplex. 361
Quinam illa non gaudeant. ibid.
Quando violetur. 362. 32
Laicus quandò poſsit trahere Eccleſiaſticos ad ſuũ Tribunal. ibid. 33
Immunitas an fuerit in lege veteri. 363. 56
Blaſphemi hęreticales ã gaudeant immunitate. 469

In-

Indulgentia.

Quid ſit. §. *Propinguiori.* 250
Quotuplex ſit 254.q.4.
Datur in Eccleſia poteſtas concedendi indulgẽ. 250.
Poteſtas concedendi Indulgentias eſt poteſtas clavium,& iuriſdictionis ſpiritualis. 251
§ *concordant.*
Prælati inferiores conferunt indulgentias. ibid.
An Superior poſsit ſibi concedere Ind.ibi.§.*hic nota.*
Quid importent illa verba aliquarum Indulgentiarum,-- à pœna,& à culpa. ibid.q.1.
An tota acquiratur ſemper, & ad hoc quid ſit opus. 250. 7
An qui lucratus eſt Indulgentiam partialem poſsit omittere pænitentiam Sacramentalẽ, & quid requiratur. 252.q.2.
Quid de pęnitentia medicinali. 253.§.*quod valet.*
Quomodo intelligantur illa verba. De pænitentiis iniunctis. 252.q.3
Quænam ſit Indulgentia plena,plenior, & pleniſsima. ibid.
An quando in Indulgentia adeſt--Verè pęnitentibus & confeſsis, ſemper præmittenda Confeſsio ibid.q.5.
Opera iniuncta ſunt adimplenda ad conſecutionem Indulgentiæ. 255.§.*melius.*
An excuſet ignorantia,vel impotentia. ibid.
An opera iniuncta debeant eſſe bona etiam ex circumſtantia. 256.q.6
Quomodo diſtinguatur Indulgentia per modũ Suffragii ab Indulgentia per modum abſolutionis. 257 q.7

An

An indulgentia per modum Suffragii habeat ſuum effectum infallibile. ibid.
Per modum Suffragii poteſt accipi etiam ab eo, qui non eſt in gratia. 258.§.*hic nota*
Quam opinionem ſequi debeamus in acquirẽdis Indulgentiis ibid.§.*Igitur*

Inimici.

An poſsimus excludere inimicos à gratialitate dilectionis. 395
An liceat inimicis optare ut à iuſtitia puniantur ob eorum malã vitã,eoſq; ob id odio habere. ibid. 2

Iniuria.

Axioma, quod ſcienti, & conſentienti non ſit iniuria quomodo intelligẽdum. 315. 12
Iniuriæ criminalis remiſsionem an teneamur inimicis concedere. 395.1

Invidia.

Quid ſit. 344 1
Quot filias habeat. ibid 2
An peccet qui triſtatur de bono alterius quia timet ſibi malum. ibid.3
An ſit ſemper mortalis. 345 4

Interdictum.

Quid,& quotuplex. 101. 1.2
Quæ Sacramenta miniſtrari poſsint tempore interdicti. 102.3
Quid prohibeatur tempore interdicti. ibid.4
Interdicta Civitate ã ſint interdicta ſuburbia. ibid.5
An poſsint interdicj innocẽtes. ibid.6.
Pęnæ violantium interdictum quę ſint. ibid.7.8
Quomodo intelligatur interdictum ab ingreſsu Eccleſię. 103.9

De

De abſolutione ab interdicto. ibid. 10
An ab illo poſsint abſolvere Prælati Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum. 105 12
Ambulatorium quando tollatur. 104. 11
Ad interdictum univerſale an requiratur contumacia alicuius. 59 27

Ira.

Quid ſit. 336 1
An ſemper ſit mortalis. ibid. 2
Eius filiæ quot ſint. 337 3
A quo ſit dicta. ibid. 5
Quibus virtutibus opponatur. ibid. 6

Irregularitas.

Quid, quotuplex, & ex quo capite cõtrahatur. 107. 2
Quomodo, & quando, & an in dubio incurratur, 108 3.4.5
Quibus modis tollatur. 109. 6
Quis poſsit ab illa diſpenſare. 110. 7
Per quam culpam incurratur. ibid. 8
Quæ cauſę excuſent ab illa incurrenda. ibid. 9
Notorietas delicti an ad illam incurrendam requiratur. 111 9
Excommunicatus exercens actus ſui ordinis an ſit irregularis. 54. 20
Quando in iubilæis datur facultas abſolvendi à cẽſuris an poſsit ſuper irregularitate diſpenſari. 41. 7
Irregularitatem an incurrat ebrius ſolitus arma deferre, ſed non vulnerare, ſi occidat. 343. in fin.

Iubilæum.

Quid ſit. 337. 31
A quo ſit dictum. ibid.
An poſsit quis poſtea abſolvi à cenſuris oblitis tempore Iubilæi. 81 27

Abſolutus à reſervatis tempore Iubilęi an verè ſit abſolutus ſi illud non lucretur. 133 22
An omnia opera ſint facienda in gratia. 135.25
An Dominus illud lucretur ſi famulus pecuniam illius non eroget. ibid.
An ſit neceſſaria confeſsio ibid. 26
Opera iniuncta quando ſint facienda, & an in eadē hebdomada. ibid.27
An abſolutio differri poſsit poſt Iubilæum. 136.27
An qui ignoravit Iubilæum poſsit illnm lucrari tranſacto tempore. ibid.28
Anno Iubilæi quæ Indulgentiæ ſuſpendātur. 137.29
Regulares an tempore Iubilæi poſsint abſolvi à reſervatis ſuis Superioribus ipſis invitis. ibid.30

Iudex.

An teneatur iudicare ſecundum allegata, & probata. 431.9.10
Iudex an teneatur ad reſtitutionem ſi non puniat reos. 311. 6.
Propoſitio damnata in hac materia. 432. 12

Iudicium temerarium.

Quid ſit. 432.1.2
An poſsimus malè ſuſpicari de proximo. 433 13
Quod nam peccatum ſit. ibid. 14
Quæ iudicia ſufficiant ad formādum iudiciū. 434.15
An facta proximi accipi debeant in meliorem partem. ibid.16
An indicia probabilia ſufficiant ad formandum iudicium. 435.17
Suſpicio,& dubitatio an ex ſuo genere ſint mortalia. ibid.18

Iuramentum.

Quid,& quotuplex. 370 12

Quid requiratur ut ſit bonum. 371.13
Intentio iurantis ſemper attendenda, ibid.14
An liceat hoc iuramentum - hoc eſt verum quã Deus. 372 15
Per vim extortum an obliget. ibid. 16
Factum in favorẽ Tertii quãdo relaxari poſsit. ib. 17
Promiſſorium imbibit conditiones promiſsionis. ib.
Iurans ducere Bertam divitem an teneatur ſi hęc fiat pauper. ibid.
Alia exempla. 373
Quid ſervandum in interpretatione iuramenti. ib. 14
Quot modis peccari poſsit in promiſſorio. 375.19
AEquivocatione an liceat uti in iuramẽto. ib. 20.21
Ad iuramentum requiritur certitudo. 381.28
An debeat abſolvi qui habet conſuetudinem iurandi. 381.30
Quid excuſet ab obligatione iuramenti. ibid. 31
Propoſitiones damnatæ in hac materia. 375. 25.26
Iuramentum ſupra damna data an obliget ſub mortali. 92 21
Iuramentum an auferendum reis, ne exponãtur periculo committendi periurium. 530

Iurisdictio.

Quotuplex ſit. 15.6
An ſufficiat dubia, vel probabilis. 16. 7. & ſeq.
An quilibet ſimplex Sacerdos habeat iurisdictionẽ ſuper venialia. 20.1.2.3
Iuriſdictionem tribuit opinio verè probabilis, & error communis. 131.14

Ius Iuſtitia.

Ius quotuplicitèr accipiatur. 308. 1
Ius in re, & ius ad rem in quo differant. 309.2

Iuſtitia quotupliciter conſideretur. ibid.4
Iuſtitia ad quid ordinetur. 310.5
Iuſtitia quotuplex ſit. ibid.6
Iuſtitia legalis cur ſic vocetur. 311.7
Quę ſit iuſtitia diſtributiva, quæ cõmutativa. 312.8
An iuſtitia commutativa dari poſsit Civitatem, & Civem, Patrem, & Filium, Dominum, & ſervum. 313. 9
Iniuſtitia ã ex ſuo genere ſit mortalis. 314.10
Circumſtantia iniuſtitię formalis quando aperienda in confeſsione. ib.11
Inter Deum, & hominem an detur iuſtitia commutativa. 316. 13
Iuſtitia æconomica an ſit propriè virtus. 317.14
Ius Divinum quotuplex ſit. 527
In iure Divino an Papa poſsit diſpenſare. ibid.

Legatum.

Prophanum relictum in teſtamento ad pias cauſas an valeat. 552.15

Lex.

Quid, & quotuplex ſit. 613
Quæ ſint volumina Iuris Canonici. 615
Decretum Gratiani an habeat vim legis. ibid
Præcepta legis naturæ ã poſsint invincibiliter ignorari. 616 82
Lex naturalis, & Divina obligant ſub mortali. ib.83
Lex humana obligare poteſt ſub mortali. ibid.84
An legislator poſsit aliquid leve ſub culpa gravi prohibere. 617
An ſi res ſit gravis poſsit ſub levi obligare. ibid.
Quando cognoſcatur ã obliget ſub mortali. ibid.

Quan-

A Tyrãno lata an obliget. ibid.85.
An obliget in periculo vitæ. 618
An dentur aliquæ leges ad ſolam pęnam obligantes. ibid.
Ut ſit iuſta quas conditiones requirat. 621
Legiſlator,& eius uxor an teneantur ad legem. 622

Libellus famoſus.

Conficiens libellum famoſum an peccet mortaliter. 188.34
Quomodo teneatur famam reſtituere conficiens libellum famoſum. 194 49

Libri.

Libros hæreticorũ legens quas pænas ĩcurrat488.53
Legens libros prohibitos de quo ſit ĩterrogandus.ib.

Literæ.

Alienæ an,& quando poſsint aperiri. 271.3.136.5

Locatio.

An liceat locare domum meretrici. 218 29

Ludus.

Quid ſit,& quid requirat. 215 24
Ad quid teneatur qui fraude lucratus eſt. ibid.
An in ludo peccetur mortaliter. ibid.25.26
Taxillorum.& alearum an liceat. 217.27
An liceat exponere domum ad ludum. ibid.28

Luxuria.

Quid ſit. 337 1
Quot ſint eius ſpecies. ibid.2.& 410.3.
Quid prohibeatur nomine luxuriæ. 411 4
Componens turpia an peccet. ibid.5
Pingens Amaſiam ad inſtantiam adoleſcentis ã peccet. ibid.6
Aſpicere coitum beſtiarum ex curioſitate an ſit peccatum. 418.in fin.

Ex tranſgreſſione præcepti non mechaberis an ſit aliquid reſtituendum. 413 1
Ordinatorum in Sacris peccata luxuriæ quot malitias habeant. 515

Maledictio.

Quid,& qualis ſit peccatum. 369 10

Maleficium.

An poſſit rogari,& cogi Magus ad diſſolvendũ maleficium. 363. 37
An poſſint tolli ligaturæ,& ſigna. 364. 38
Maleficus de quo interrogandus. ibid. 39
De maleficijs examinãdi sũt Ruſtici, Fabri,&c. 365. 40.
Quotuplex ſit maleficium, & in quo differat à magia. ibid

Mandans.

Mandans,& conſulens quando incurrant excommunicationem. 62. 30
Mandans,& conſulens malum ſi nõ poſſit illud avertere an teneantur admonere lędendum ut ſibi caveat. ibid. 32

Matyrium.

An ſit actus fortitudinis. 318 4
In adultis an ſit opus fortitudinis. 319. 5
Ad martyrium adultorum quot, & quæ requirantur, ibid. 6

Materia.

In illis Ordinibus,ĩ quibus eſt duplex materia, utraque eſt eſſentialis. 514
Vid. v. Sacramentum. Ordo.

Mendacium.

Quid ſit,& quotuplex. 427

An ſit intrinſecè malum. ibid. 3

Mercator.

De quo interrogandus. 470. 38
Vendens venenum an peccet. 471

Meretrix

De quo interroganda. 483 49
An liceat locare illi Domum. 218. 20

Milites.

De quo interrogandi. 408 12

Miniſter.

De quo ſit interrogandus ille qui cum non eſſet Sacerdos celebravit, abſolvit, & baptizavit abſque intentione. 489 54

Miſſa

Quid ſit, & undè dicta 531
An poſſit interrumpi propter confeſſionem moribũdi. 31. 20
Audienda eſt diebus feſtis, 390
§. ad ſatisfactionem.
Dum auditur an poſſint recitari horæ Canonicæ, & confiteri. ibid.
An poſſint audiri duæ partes ſimul. 391. 5
Quæ excuſent ab eius auditione. ibid.
Propoſitio damnata. ibid.
Petrus ſe inebrians ne audiat Miſſam an peccet ſi illam audiat finita ebrietate. 450
Vid. v. Sacrificium.

Monitorium vid. verb. Denunciatio.

Moribundus, Mors, Mortuus.

Sacerdos quando poſſit relinquere Sacrum pro audienda confeſſione moribundi. 31 20
An ſit mortale optare ſibi mortem ob magnã ægritudinem. ibid. 21

Mortui an poſſint excommunicari. 58. 25
Quoad abſolutionem moribundi.vid.v. Abſolutio.
Mors an poſsit accelerare ieiuniis,& flagellis.404.2

Mulier

Ornatus vanus tanquã peccaminoſus reprẽheditur, & damnatur. 144 5
Dubitans de morte primi viri an poſſit petere debitum. 488 51

Mutuum.

Mutuans an tẽneatur admonere de vitio rei .208.10
Ex mutuo an poſsit aliquid ultra accipi, ibid.11
An poſsit dari mutuum ad amicitiam captandam.ib.
An pro lucro ceſſanti,& damno emergenti poſſit aliquid accipi. 209 12
In mutuo an debeat attendi menſura,ſeũ valor.ibid.
Frumentum vetus cum pacto ut novum reſtituatur an poſsit mutuari. ibid.12

Notorium.

Quid ſit. 94, 3
Notorietas delicti an requiratur,ad incurrendam irregularitatem. 111 9

Occaſio,

Quid,& quotuplex ſit. 231 4
An poſsit abſolvi exiſtens in occaſione proxima peccandi. ibid.5.6.& 545.5
Propoſitiones damnatæ in hac materia. 545
An detur aliqua cauſa manendi in occaſione proxima. 448. 11
An abſolvenda famula, ſciens peccatura cum Domino ſi Domi maneat, ſed ſi abeat fame peribit. 549, 12

An liceat quærere occaſionem peccandi pro bono ſpirituali. 550. 13
Alia Propoſitio damnata in hac materia. 548.11

Occiſio.

An poſsit permittere ſe occidi. 403 11
An poſsit occidi iniuſtus aggreſſor. ibid.
An poſſit ieiuniis,& flagellis accelerari mors. 404.2
An peccent ſe caſtrantes. ib. 3.
An qui ſe occidit privari debeat Eccleſiaſtica Sepultura. ibid. 4.5.6
Auctoritate privata poteſt ſolum occidi aggreſſor iniuſtus. 405 7
Occidi an poſſit Bannitus. vid. v. Bannitus.
Qualitas occiſi an explicanda in confeſſione. 407.9
Quæ damna ſunt compenſanda ex homicidio. ib. 10
Ad quid teneatur cuius occiſor Antonii, de quo homicidio damnatur Franciſcus. 408.11.
Propoſitiones damnatæ. 405 7
An liceat occidere Principem, vel alium virum Reipublicæ neceſſarium, quando ſunt iniuſti invaſores. 409

Occultum.

Quid ſit. 131 15

Odium.

Dei an admittat parvitatem materiæ, 337
In quo differat ab ira. 340 7

Officium Divinum v. Horæ Canonicę.

Omiſsio.

Quid requiratur ad peccatum omiſsionis. 448

Opinio.

Verè probabilis, & error communis dant iuriſdictionem, 131 14
Quando ſit probabilis, & quando non. 453.27. & ſeq.
Quæ

Quæ propoſitiones damnentur in hac materia. ib.27
Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius circà pęnitentem qui ſequitur opinionem falſam bona fide, vel opinionem probabilem . 456.29.30

Oratio.

Quid ſit. 349 6
An ſit neceſſaria ad ſalutem. ibid.7
Quando teneamur orare. 350.8.9
Pro quibus debeamus orare. 352. 12
An poſsit dirigi ad Animas Purgatorij 351.10.11
Oratio in peccato mortali facta an proſit dictis animabus. 354 14
Qui per mensẽ ceſſat ab omni oratione ã peccet mortaliter. 350 9
Orationes aliquæ dicendæ à Sacerdote dum induitur veſtibus ad celebrandum. 537
An peccet ſi illas omittat. ibid.

Oſcula

Oſcula,& tactus quando ſint peccata. 411 4
Propoſitio dãnata ibid.

Ornatus.

Vanus mulierum eſt peccaminoſus. 144 5
Novos habitus inducentes an peccent 334

Ordo

Quid ſit. 495 1
Minores ordines quot ſint. 508.q.1
An ſint ſeptem Sacramenta, vel unum tantum. 509
Minores an ſint Sacramenta,vel Sacramentalia.496
Quando fuerint ordines à Chriſto Domino inſtituti. 497 q. 2
Quæ requirantur ab extrinſeco ad dignam ordinis ſuſceptionem. 499.q.4

Qui excludantur iure divino à ſuſceptione ordinum 502. q. 1
Fœminæ an poſsint ordinari ad ordines minores 503 q. 2
Quid de Hermaphrodito. ibid. q. 3
Invitus an ordines recipiat. 504
Pueri an poſsint ordinari in Sacris, & an ſint iterum ordinandi. 505
Quænam ætas requiratur ad ordines. 506
Quid ſit Hoſtiariatus, Lectorat Exorciſtatus, & Accolitatus. 511 & ſeq.
Ordines Sacros recipientes quas obligationes contrahant. 515 517
Obligatio continentiæ in ordinatis in Sacris an oriatur ex præcepto Eccleſiæ, vel ex voto. 515
Ordinati in Sacris, & violantes caſtitatem quot malitias habeat tale peccatum. ibid
Papa an ſolo verbo poſsit creare Diaconum, Sacerdotem, aut Epiſcopum. 522
Ordinati Diaconi, aut Subdiaconi à Papa an poſsint ab alio promoveri ad Superiores ordines. ibid.
Pœnæ malè ordinatorum, & malè ordinantium. 537
Epiſcopatus an ſit Ordo. 539
An imprimat Characterem: 540
Quę eius materia. 541
An poſsit conſecrari Epiſcopus à ſolo Sacerdote. ib

Papa.

Definiens ex cathedra an poſsit errare. 73 16
Quæ vota ſibi reſervet. 127 6
Quę impedimenta excuſent illum adire pro abſolutione. 83 31

An

An ſolo verbo poſſit creare Diaconum, Sacerdotem vel Epiſcopum. 522.
Diaconi, vel Subdiaconi ordinati à Papa an poſſint ab alio promoveri ad ordines ſuperiores. ibid.
An poſsit diſpenſare, quod Sacerdos conſecret ſolũ panem. 527
An poſsit diſpenſare in iure divino. ibid.
Quare nõ utatur baculo ſicuti alij Epiſcopi. 591.55
Quare utatur triplici corona 593 58
Quare ferat cruces ſuper caligas. 596
An poſsit deponi. ibid.

Parentes.

Sunt interrogandi an doceant filios fidem. 300.6
Ad quid teneantur erga filios, & è contra. 401.16
Nomine Parentum qui veniant. ibid.17
De quo interrogandi in Confeſsione. ibid. 19
An peccent permittentes, ut filij caſtrentur. 404.3

Parochus.

An poſsit ſubſtituere alium Parochum non approbatum à ſuo Epiſcopo. 28.14
An peccet non applicando diebus feſtis pro ſuis Parochianis. 353 13
Parochus pluries baptizans ſine intentione. 490

Paupertas.

An ſit eadem in omnibus Religionibus. 542 1
Qui ficta paupertate eleemoſinas acquiſivit ad quid teneatur, 206. 5

Peccatum.

Quid ſit, 142.1
Datur mortale, & veniale. 143 2
Quomodo dignoſcatur mortale, & veniale. ibid.3.4
Mortale quando fiat veniale. & è contra. 144.6.7

Ex pluribus venialibus an fiat unum mortale. 146.8
An peccaret mortaliter qui unico actu vellet committere omnia venialia. ibid.9
Venialia an remittantur extra Sacramentum Pænitentiæ. 147. 11
Gravitas peccati enarratur. 151 5
Debent confiteri quoad numerum. 159 6
Quid ſit actuale,quid habituale. 446 16
Quomodo dignoſcatur unũ eſſe gravius alio. 445.14
Quomodo diſtinguantur numero. 447.17
Quot pecccata committit unico actu plures occidẽs. ibid. 18 19
Actiones ad eundem finem relatæ an habeant malitiam diſtincta. 448 20
Quid ſervandum quando quis dubitat an habuerit perfectum conſenſum ad peccatum. 451.25
Veniale an poſt mortem remittatur,& quomodo 10 25
Commiſsionis,ſeu omiſsionis quando imputetur ad culpam. 448. 21
Effectus ſequuti quando ſint peccaminoſi. ibid.
Et quid requiratur ut imputetur ad culpam. 449. 23
Mala ſequuta in ebrietate an imputentur ad culpam ibid.& 343.3
Quando actio eſt bona, & neceſſaria effectus malus non imputatur ad culpam. 449.22
An in peccato commiſsionis, ſeu ommiſsionis in poſitione cauſæ, 450
Quando quis teneatur impedire cauſam peccati. ib.
Exponere ſe periculo idem eſt ac peccare. 547.10
Verbum illud durum -- eſt peccatum mortale -- antequam proferatur bene conſiderandum à Theologis. 133.22

Peccatum deſiderij,ſeu cōplacentiæ quando ſit mortale,& cuius ſpeciei. 437. 2
Conditio ſi non eſſet peccatum, ſi non eſſet prohibitum an tollat malitiam. ibid. 3
Emens arma, parans inſidias, & arripiens iter ad occidendum quot peccata committat ſi occidat. 448 20
Petrus ſe inebrians ne audiat Miſſam an peccet ſi poſtea audiat finita ebrietate. 450
Ordinati in ſacris peccantes contra caſtitatem quot malitias habeat tale peccatum. 515
Inducens aliquem ad peccatū veniale, ut veniale eſt an peccet mortaliter. 601

Peccatores.

Publici qui ſint,& quando abſolvendi. 232.7

Periculum.

Idem eſt exponere ſe periculo ac peccare. 547.10
An Fęmina omni ſpe deſtituta ne fame pereat manet domi ſciens cū Domino peccatura poſsit abſolvi. 549.12

Pænitens

An peccet eligendo voluntariè Confeſsarium indoctum. 36.4
An teneatur acceptare pænitentiam pręſervativam 259 8
An poſsit ſibi commutare pænitentiam. 262 5
An poſsit manifeſtare cōplicem ī cōfeſsione. 285.17
Quomodo interrogandus à Confeſſario. 293.1.2.
Sequens opinionem probabilem, an debeat abſolvi 456 29 30
Remedia quæ debent adhibere peccatis. 492 56

Pænitentia ut Sacramentum.

Quid,& quotuplex. 7.17.ad 22.& 240.7

Quando inſtituta. 6.13.14
Materia, & forma illius quę, & quotuplex. 4.11
Quis eius *Miniſter*. 7.25
Vid. v. Satisfactio.

Pictor.

Pingens mulierem ad inſtantiam alicuius an peccet. 411. 6

Pænitentia ut virtus.

Quid ſit. 7 27

Polygamia.

Quid ſit, 484. 50
An ſit contra ius naturæ. 485
De quo interrogandus Polygamus. ibid.

Peregrini.

An obligentur legibus locorum per quæ tranſeunt. 619 47
Tenentur ubique Pręceptis Eccleſię. ibid
Ponentes fixum domicilium in aliquo loco quibus legibus teneantur. ibid.
Quid de manentibus per menſem ob negociationem in aliquo loco. ibid.
An teneantur legibus ſui domicilii 620.88

Pollutio.

Bibens immoderatē pręvidens ſequuturā pollutionē an peccet. 342. 4
In ſomno facta quomodo poſsit eſſe peccaminoſa. 412. 9
Inter eundem ſexum an ſit Sodomia. 413. 10

Præcedentia.

Quæ ſervanda ſit inter Doctores. 576. 36
Sedere ad dexteram, vel ſiniſtram an ſit ſignum maioritatis excellentiæ. 590
Qua

Quare in bullis Pontificiis cum plumbo D. Paulus ponatur à dextris,& D. Petrus à ſiniſtris. 589

Præceptum.

Eccleſiæ non obligat cum tanto onere. 438 1
Unico actu an poſsit ſatisfieri duobus præceptis 444. 12.
An eodem tempore poſsit diverſis actibus ſatisfieri præceptis diſtinctis. ibid. 13
Quando i præceptis detur parvitas materiæ. 445. 15
Præcepta Decalogi vid. v. Decalogus.
Præceptum an obliget tempore ebrietatis. 450. & §. Sed dices.

Prelati

An peccent approbando Confeſſarios iperitos. 36. 5
Regulares quam poteſtatem habeant. 125. 1
Poſſunt diſpenſare in omni irregularitate præter bigamiam, & homicidium voluntarium. 126 3
Poſſunt dispenſare cum illegitimis. ib 17. 4
Abſolvere poſſunt ſuos Subditos ab omnibus caſibus etiam Papæ,& Epiſcopis reſervatis. ibid. & 128. 6
Poſſunt diſpenſare, commutare vota ſuorum Subditorum,& novitiorum,& iuramenta relaxare. ib. 5
Diſpēſare poſſunt ab inhabilitationibus, privationibus &c. ibid. 6. 7
Privilegia reſtringere,& tollere poſſunt ſuis Subditis, 133. 19
Poſſunt abſolvi à caſibus, à quibus poſſunt ipſi alios abſolvere .ibid. 20
De quo interrogandi in confeſsione. 452 26

Præſcriptio

Quę conditiones ad illam,& ad uſucapionem requiratur. 197. 1

Pro-

Prodigalitas.

Quid,& quale ſit peccatum. 336

An ſit maius peccatum avaritia. ibid.3.6

Pretium.

Quid,& quotuplex ſit. 210.13.

An res poſsint emi minori pretio. ibid.14

An poſsint vendi carius ob dilatã ſolutionẽ. 211. 16

Privilegium.

An in dubio cenſeatur revocatum. 131.14

Privilegia Regularium vid.v.Regularis.

Princeps.

De quo interrogandus. 460.32

Quid facere debeat antequam incipiat bellũ. 463.4

Probitas.

An, et quæ requiratur in Confeſsario 32. 1. 3

Promiſſio.

An ſine iuramento obliget 206. 6

Per quas cauſas poſſit revocari. ibid,

Propoſitio.

Damnata nõ ſemper intelligatur damnata ſub Mortali. 124. 5.

Prudentia.

Quæ, et quanta requiratur in Confeſsario. 37. 7.

Prudentiæ virtus quid ſit. 326. 1.

Quotuplex ſit. 327. 2.

Partes integrales quot ſint. 328. 3.

Quomodò peccetur contrà prudentiam. ibid. 4.

Purgatorium.

Ad Animas Purgatorij an poſſit dirigi oratio 351. 10. 11.

An illis proſit oratio facta in peccato mortali 354. 14.

An

An animabus Purgatorij magis proſit miſſa de requiem, quam de Sanctis 532.

Raptus.

Quotuplex ſit 178. 15.
Pænæ contra raptores. ibid.
An iſtæ pænæ requirant declaratoriam. ibid.
In quo raptu habeant locum dictæ pænæ. ibid.

Recidivi

Qui dicantur, et quando abſolvendi 230. 3.

Regularis.

An peccet petendo approbationem ab Epiſcopo abſq. conſenſu ſuperioris 18. 13.
Approbatus tantum ab Epiſcopo an gaudeat privilegijs regularium. ibid.
Exemptus habet iuriſdictionem à Papa non ab Epiſcopo. ibid. 14. 15.
Percutiens alium alterius ordinis à quo ſit abſolvendus 128. 7.
Poteſt abſolvere ſine approbatione Epiſcopi ſeçularem mox ingreſſum Religionem. 128.9
A quibus poſsint abſolvere,& diſpenſare. 130.10.& ſeq.
Ut lucretur Iubileum an debeat approbari ab Epiſcopo. 134 24
Diſpenſare poteſt in omnibus votis, & iuramentis. 130 11
Deputatus à Superiore poteſt diſpenſare cum coniuhatis inceſtuoſis ad debitum petendum. 131.13
An cum licentia Prælati poſſit de ſuis bonis diſponere cauſa mortis. 543. 2
An teneatur adire chorum. 551.16

An

An teneatur relinquere peculium Superiori hoc petenti. 561. 21
Quando incurrat excommunicationem per dimiſſionem habitus. 573. 32
An incurrat dimittens habitum ſuæ Religionis, & aſsumens alterius Religionis ſine debitis licentiis ibid. 33
An peccet dormiens ſine ſigno ſuæ Religionis. ibid.
An detur parvitas materiæ ī dimiſsione habitus. 574
Qui patrato delicto dimittit habitum ne capiatur, ā incurrat cenſuram. ibid.
Graduatus, ſive magiſter carens requiſitis ad ſuū munus an teneatur gradum relinquere. 575 34
Quid agendum cum regularibus graduatis inhabilibus. 578 38
Studens ad quid teneatur, & quando peccet. ibid. 39
Vacans prædicationi Verbi Dei, Confeſsionibus, & ſimilibus an excuſetur à recitatione divini officii. 138. 31
Quid de Superioribus. ibid.
Sacerdos regularis an validè applicet Sacrificiū cōtrà præceptum ſui Superioris. 531. 603. 68
An ſit eadem paupertas ī omnibus Religioſis. 542. 1.

Religio

Quid ſit. 348 5

Remedia.

Peccatis adhibenda. 492 56

Reſervatio Caſuum.

Quid ſit 113. 3.
An Eccleſia poſſit reſervare caſus 112. 1.
Quis poſſit reſervare caſus. 113 4.
Quis poſſit ab illis abſolvere. ibid.

Qui

Qui caſus reſerventur religioſis. . 115. 2.
An poſſit abſolvi pænit. à nō reſervatis, et pro reſervatis mitti ad ſuperiorem, et è contra 116. 3. 4.
Superior an poſſit cogere pænitentem, ut ad ſe accedat pro reſervatis 117. 5.
Peregrinus à quibus reſervatis poſſit abſolvi 118. 6.
Quæ peccata reſerventur. ibid. 7.
Reſervatio annexa cenſuræ non incurritur non incurſa cenſura. ibid.
In dubio an incurratur reſervatio 119. 8.
Mandantes et conſulentes an incurrant reſervationem. ibid.
Facultas abſolvendi a reſervatis pro hac vice an extendatur ad poſt commiſſa. 120 9
Confeſſus habenti facultatem abſolvendi à reſervatis an maneat abſolutus a reſervatis oblitis. ib. 11
Et quid ſi confeſſus eſſet tempore Iubilæi. 133. 21
An qui poteſt abſolvere à reſervatis poſsit, & à cenſuris. 121 12
Facultas à Papa conceſſa abſolvendi à caſibus non extenditur ad cenſuras Bullę Cænæ. 122. 13
Qui poteſt abſolvere à caſibus Bullæ an poſsit abſolvere ab hæreſi pręſertim tempore Iubilæi. ibid
Pænæ contrà abſolventes à reſervatis abſque facultate. 123. 1
Quæ cauſæ excuſent ab his pænis. ibid. 2. 3
Quomodo ſe debeat gerere Confeſſarius abſolvens à reſervatis ſine licentia. 124. 4
Superior Regularis negans facultatem abſolvendi à reſervatis an poſsit confeſſarius regularis pro illa vice abſolvere. 115. 2. 4

Reſtiturio

Quid ſit. 161.1
An ſit neceſsaria ad ſalutem. ibid.
Qui ad illam teneantur. 162.2.& ſeq.
Radices illius quę ſint. 166.4
Obligatio reſtituendi ex qua culpa, ſeù peccato inſurgat. 166.5.6
Ad quid teneatur proiicẽs ſagittã adhibita, diligẽtia ne alicui dãnũ inferatur ſi de facto ſequatur. ibid.
Damna fiſco ſequuta, an & quando reſtituẽda. 165.2
Clerici, & Religioſi an teneantur reſtituere. ibid.8
Ad quid teneatur impediens aliquem à conſequutione alicuius boni. 169.9
Concurrentes, & cooperantes ad quid teneantur. ibid. 10
An ex culpa levi Theologica inſurgat obligatio reſtituendi. 169 11.12
Qui alterum ad peccandum induxit ad quid teneatur. 195 51
Quid de detrahente aliquem ab ingreſsu Religionis. ibid. 52 (1
Ad quid teneatur poſseſsor bonæ, & malę fidei 197.
Quid ſi poſſeſſor bonæ fid. ĩcipiat dubitare. 198.2.3
Et quid ſi dubitet an ex re aliena factus ſit ditior. 197. 4
Poſſeſſor bonæ fidei ſi aliquid conſumpſit ex re alina nec ſit factus ditior ad quid teneatur. ibie.5
Si poſsit reſtituere latro, an teneatur poſſeſſor bonæ fidei. 200. 6
Quid in tali caſu de malæ fidei poſseſsore. ibid.7
Poſseſsor iniquus ad quid teneatur ſi res apud Dominum erat peritura. 201.8

Ad

Ad quid teneatur Confeſſarius qui non obligavit pænitentem ad reſtituendum 168.7
Regula ſi res perit Domino perit quomodo intelligenda. 202 9
Res inventa an debeat reſtitui. ibid.10
An falſam monetam accipiens poſsit illam expendere. 203.11
An poſsit emi ager, in quo latet theſaurus. ibid.12
Ad quid teneatur pauper fictus. 206 5
Cui ſit reſtituendum. 219 1
Quid ſit reſtituendum. 220 2
Quando reſtituendum. ibid.4
Quo ordine reſtituendum. 221 5
Debitor an poſsit uni totum dare, non potens omnibus. ibid. 6
Creditor qui ſic accepit an poſsit retinere. ibid.6
Qui per alium reſtituit ſi res non perveniret ad creditorem ad quid teneatur. ibid.9.& ſeq
Quæ cauſæ excuſent à reſtitutione. 225.1
Uxores, & Religioſi quid teneantur reſtituere 262
An poſsit abſolvi non reſtituens cū poſsit. 547. 8
Poſseſsor bonæ, vel malæ fidei non tenetur plus reſtituere, quam ad æqualitatem damni dati. 201.7
Cum iactura bonorum Superioris ordinis an, & quādo ſit reſtituendum. 207 3
Debet præcedere abſolutionem. 474. 43

Reſtrictio

Mentalis an includat mendacium. 380.28
An liceat in iuramento. 378 25
Reſtrictione mentali utens mulier à viro interrogata de adulterio an peccet. 379 26 27

Reus

An teneatur veritatem fateri ſi ex eius manifeſtatione ſequatur mors. 429 8

An ſit auferendum iuramentum reis, ne exponatur periculo committendi periurium. 430

Sacerdos

An poſsit relinquere Sacrum pro audienda confeſsione moribundi. 31 20

Quomodo ſe gerere debeat Confeſsarius circa eum, qui cum non fuerit Sacerdos audivit in Sacramẽto pęnitẽtiæ peccata, abſolvit, & multoties celebravit, ac factus Sacerdos pluries baptizavit ſine intentione. 489 54

Sacerdos quomodo definiatur. 523

Materia, & forma ordinis præsbyteratus quæ. ibid.

An impoſitio manuum Epiſcopi ſit eſſentialis pars Sacramenti. 524

An ſi Epiſcopus moreretur ante impoſitionem manus deberet ſuppleri per aliam ordinationem. ib.

An ſi Epiſcopus porrigeret ſolam patenam cum hoſtia, aut ſolum Calicem cum vino talis ordinatus Sacerdos eſſet benè ordinatus. ibid

An Miſſa mali Sacerdotis tantum valeat quantum Miſſa Sacerdotis exiſtentis in mortali. 532

Sacerdotes novi celebrantes cum Epiſcopo an omnes ſimul celebrent. 533

An poſsint applicare Miſſam, & fructum illius conferre. 534

Sacerdos celebrans ſi videat cadere Eccleſiam, vel inimicum eum occidere volentem quid agere debeat. ibid.

Sa-

Sacerdos item plures Miſſas nequit eodem die celebrare. ibid.
Sacerdos obligatus celebrare in certo loco, an teneatur applicare pro Teſtatore. 538

Sacramentum

Quid, & quotuplex ſit, & alia de Sacramentis in genere. 1. & ſeq.
Quæ requirantur ad validitatem Sacramentor. 4. 10
Materia, & forma Sacramentorum ā debeant ſimul tempore exiſtere. 11 26
Adminiſtratum ab excommunicato an ſit validum, & iſte peccet. 25 8
Gratia Sacramenti non pendet à probitate Miniſtri 32. 1
Deus non ſupplet effectum Sacramentorum. 490.
Quare quædam Sacramenta iterentur, & quædam non. 588
An Eccleſia poſsit variare ſubſtantiam Sacramentorum. 597 60

Sacrificium.

Quid ſit 353. 13.
An fuerit in lege naturæ, & ſcripta. ibid.
In applicatione Sacrificii quæ intentio requiratur. ibid.
Parochus an peccet applicando diebus feſtis Miſſā pro ſuis ovibus. ibid.
Quid repræſentet. 525
Partes eſſentiales Sacrificii quot, & quę ſint 526
Quid ſignificent. 531
Verba conſecrationis quæ ſint. ibid.
Verbum, enim, an ſit de neceſsitate, & an peccaret qui illud omitteret. ibid.

An Papa poſsit diſpensare, ut Sacerdos conſecret ſolum Panem. 527
Materia conſecranda debet eſſe præſens, & qua diſtantia. 528
Sacerdos cęcus qui nullo ſenſu materiam percipit an valide conſecret. 529
Materia conſecranda an debeat eſſe determinata intentione conſecrantis. ibid.
Si Sacerdos centum hoſtiis præſentibus vellet ſolum decem conſecrare eas non deſignando, quæ conſecrentur. ibid.
Qui duas Hoſtias conſecrat credens eſſe unam, an utraſque verè conſecret. ibid.
Guttæ vini adherentes in ſuperficie Calicis an remaneant conſecratæ. ibid.
Si in Pixide plena particulis conſecratę miſceatur īconfusè una non conſecrata quid agendum. 530
Verba conſecrationis quomodo proferentur à Sacerdote. ibid.
Per illa pronomina *hoc*, & *hic* quid ſignificetur. 531
Miſſa à quo dicatur, & quid ſit. 531
Miſſæ Sacrificium oblatum pro decem tantum ſingulis proſit quantum quantũ prodeſſet ſi uni applicaretur. 531. & 601
An Sacerdos Regularis validè applicet Sacrificium contra Prælati voluntatem. 531
An Miſſa boni Sacerdotis tantum valeat quantum Miſſa Sacerdotis exiſtentis in mortali. 532
Defunctis an magis proſit Miſſa de Requiem, quam de Sanctis. ibid.
Panis conſecrandus qualis debeat eſſe. ibid.
Sacerdos in ſumptione calicis compræhendens non

fuiſſe poſitum vinum,ſed aquam, quid agere debeat. 533
Si poſt utramque ſumptionem inveniſſet fragmentũ hoſtiæ,an poſsit illud ſumere non ieiunus, & quãdo. ibid
Euchariſtia quando cauſet gratiam. ibid.
Sacerdotes novi celebrantes cum Epiſcopo an omnes ſimul conſecrent. ibid.
An poſsint applicare Miſsam,& fructus illius. 534
Si Corpus Chriſti poſt conſecrationem appareret in carne viſibili quid agendum. ibid
Quid agere debeat Sacerdos celebrans ſi videat Eccleſiam cadere, vel inimicum volentem eum occidere. ibid.
Plures Miſsas celebrare nequit eodem die idem Sacerdos. ibid.
Fructus Miſſæ quotuplex ſit. ibid.
Miſſas Defunctorum an liceat applicare adhuc viventibus. 537
Quomodo Chriſtus exiſtat in Euchariſtia. 538
Sacerdos obligatus celebrare in certo loco an teneatur applicare pro Teſtatore. ibid.
An Miſſæ Sacrificium oblatum pro decem perſonis tantum ſingulis profit quantũ prodeſſet uni, ſi pro illo ſolo applicaretur. 601
Sacerdotes qui ſunt in mora celebrandi an peccent. 602.
An Sacerdos regularis validè applicet Sacrificium alicui contra voluntatem Superioris. 603.68
An liceat Miſsas Defunctorum applicare viventibus. 604

Sacrilegium.

Quid ſit. 358. 25.
Sacrilegi an peccari poſſit per omiſſionem. 359. 26.
Species Sacrilegij eſt explicanda ibid. 27.
Quot modis committatur ſacrilegium furti. ibid. 28.

Satisfactio.

Quid ſit 241. 1.
Quotuplex ſit. 244. 7.
An neceſſe ſit sẽper imponere ſatisfactionem. 241. 2.
Satisfactio, ſeu pænitentia quandò ſit imponenda. 243. 3.
An poſſit iniungi pro ſatisfactione opus pro animabus Purgatorij. ibid. 4.
An ſit danda aliqua ſatisfactio multum dolenti ib. 5.
Pænitentia publica an poſſit imponi pro peccatis ſecretis. 244. 6.
Publica ſatisfactio quomodo imponenda ibid. 7.
Quid ſit iniungendum pro ſatisfactione. 246 1.
An opus internum. ibid. 2.
Quid ſit conſiderandum in impoſitione ſatisfactionis. 247. 3.
An ſit danda moribundis. ibid. 4.
Quando poſſit imponi parva pænitentia. ibid. 5.
Quæ satisfactio imponenda ſit pro homicidio voluntario 248. 5.
An poſſit commutari ſatisfactio, et an extrà confeſſionem. 260. 1. 2.
An inferior commutare poſſit pænitentiam impoſitam à Superiori. ibid. 3. 4.
Quid excuſet ab executione ſatisfactionis. 262. 6.
An pænitentia præſervatia poſſit commutari. 263. 8.
An poſſit totaliter auferri. ibid. 9.

Satis-

Satiſfactio an poſſit omitti ob conſecutionem Indulgentiæ. 264. 11.
An ſatisfactio in mortali adimpleta valeat. 266.1.
Quando ſit adimplenda. 267. 2. 3.
Quomodò debeat adimpleri. 268. 4.
An impleri poſſit per opus alias præceptum 269. 5.
Confeſsarius in commutatione pænitentiæ ad quę debeat attendere 263. 7. 12.
Ad quid teneatur qui oblitus eſt pænitẽtiæ. 264. 10.

Schiſmaticus.

De quo interrogandus 472. 40.

Scientia.

Quid ſcire debeat Confeſsarius. 34. 1. 2.
Quid debet facere Confeſsarius in caſu, quem ob defectum ſcientiæ neſcit reſolvere 35. 3.
An requiratur maior ſcientia in eo, qui Spontè audit, quam in eo qui audit ex obedientia. 36. 6.

Sepultura.

Sepultura an privetur ſe ipſum occidens 404. 4. 5. 6.

Sigillum.

Quid ſit, et quotuplex. 270. 1.
Qui teneantur ad Sigillum naturale ibid. 2.
An, et quo iure teneatur Confeſſarius ad Sigillum. 271. 4.
Quanta malitia involvat violatio Sigilli Sacramentalis. 272. 5.
An liceat de licentia pænitentis frangere ſigillum 273. §. *dixiſine*.
An peccatum, quod Confeſſarius vidit, et poſteà in confeſſione audivit cadat ſub Sigillo. ib. 7.
An Confeſſarius poſſit manifeſtare crimen penitentis recuſantis ad impediendum damnum innocentis. 274. 8.

Ex qua confeſſione oriatur obligatio Sigilli. 276.1.
An Laicus ex errore audiens confeſſionem teneatur ad Sigillum. ibid. 2.
An Confeſſarius teneatur ad Sigillum ſi aliquis ei dixit, dico ſub Sigillo confeſſionis. 277. 3.
An in dubio præſumatur quid cadere ſub ſigillo. ibid. 4.
Quæ cadant ſub ſigillo. 277. 5.
An cadat propoſitum committendi aliquod mortale 278. 6.
An ſi pænitens dixit eſſe eunuchum, vel ſpurium, cadant hęc ſub ſigillo ibid. 7.
An cadant incidenter dicta in Confeſſione ibid. 8.
An cadant ſub ſigillo ſacramentali quæ manifeſtantur cum proteſtatione ſigilli Confeſſionis. 279. 9.
An cadant ſub ſigillo peccata publicè confeſſa. ibid. § quæres 6.
Quomodò violetur ſigillum 280. à 1. ad 11.
Sacerdos an teneatur dare Schedulam illi, quem non abſolvit. 282. 11.
An Confeſſarius loqui poſſit cum pænitente de auditis in confeſſione. 283. 12. 13.
An liceat uti ſcientia habita in confeſſione ad externam gubernationem. 284. 14.
Quid debet facere Confeſſarius qui ſcit ex confeſſione parari ſibi venenum in miſſa, et ſimilia. ibid. 15.
Qui teneantur ad Sigillum. 288. 1.
An confeſſarius ex præſumpta voluntate pęnitentis loqui poſſit de auditis in confeſſione. 289. 3.
An pænitens teneatur ſub ſigillo ſervare ea, quę ei dixit Confeſſarius. 290.4.5
Pænæ

Pænę contra violantes ſigillum. 274.§.Pænę
Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum pænitente,qui tenetur aliquid revelare,nec vult. 290 in fin.

Simonia.

Quid ſit. 359 29
Quotuplex ſit ibid.
Simoniaci quas pænas incurrant. 360. 30
Propoſitiones damnatæ circa materiam. ibid
An ſit ſimoniacus dicens collatori -- ero tibi gratus, 566 25
Alia propoſ.damnata. ibid.
An gratuita donatio pro ſpirituali ſit ſimoniaca. 567 26

Societas

Quid ſit. 212 21
Quid requiratur. ibid.
An liceat contractus Societatis dictus trium contractuum. 213 21 22

Sodomia

Explicanda eſt in confeſsione circumſtantia perſonæ cum qua commiſsa eſt. 412.8

Solemnitas

Quę requiratur ad ferendam excommunicationem, & interdictum. 60.28.29

Sollicitatio.

Quomodo fiat reſponſio ad varia dubia. 605.& ſeq.
Verba Bullæ explicantur. ibid.

Spes

Quid ſit. 302.1
Quando obliget 303 2
Titius volens ſemper vivere in terra, & Cælum relin-

linquere Deo, an peccet. ibid.3
Quid ſi hoc faceret ex timore Inferni. ibid.4
Qui ſtatuit perſeverare in peccato, & poſteà facturus pœnitentiam an peccet. ibid.5
An cui facta eſset revelatio dānationis deberet ſperare. 304
An liceat ſperare in homine. ibid

Sponſio.

Quid ſit, & quid requiratur ad illam. 212.20

Stuprum.

Quid ſit 175.10
Stuprator ad quid teneatur ſi virgo cōſenſit. 176.12
Et quid ſi ſequatur damnum. ibid.14
Ubi varii caſus, & 414.12
Quid ſi per metum reverent ialē, aut prèces importunas conſenſit. 177.15
Ad quid teneatur qui virginem defloravit ſub ſpe matrimonij. 179. 16. & 413.11
Et quid ſi vir eſset valdè nobilis. ibid.17
Et quid ſi deflorator haberet votū caſtitatis. 180.18.
Ad quid teneatur qui filium ex aliena muliere ſuſcepit. ibid.19
Stuprator de quo interrogandus. 480.48
An quando liberè virgo conſenſit ſit ſtuprū. 175.10
An qui defloravit Bertam pro Virgine habitam teneatur ad eius damna ſequuta ex manifeſtatione copulę ab eo facta. 482

Subdiaconatus.

Quid ſit. 514
Quæ eius materia, & forma. ibid.
Olim an eſset Ordo Sacer. 516.
Subdiaconus, & Diaconus an peccent mortaliter pro-

prium munus exercere ſolemniter in mortali. ib.
Veſtis propria Subdiaconi quæ. ibid.
De quibus ſoleat interrogari Subdiaconus ī examine. 517
Ad quæ teneatur. ibid.
An teneatur continentiam ſervare. 515
An peccata ordinatorum in Sacris contra caſtitatē contineant duplicem malitiam. 515

Subditus

An teneatur inquirere de iuſtitia belli. 463

Superbia

Quid ſit. 332.1
Qui aliqua bona deſiderat ut aliis excedat an ſit ſuperbus. 333.4
In quo differat à magnanimitate. ibid.7
Gradus,& ſpecies Superbiæ quot ſint. 322 4
Introducentes in Civitate novos habitus an peccent 334
An peccetur contra humilitatē per defectū. 579.40

Superſtitio.

Quid ſit,cui virtuti opponatur, & quę ſint eius ſpecies. 355 15
Perſonę ſimplices utentes ſuperſtitionibus quandò excuſentur à mortali. ibid.16.
An modus medicandi vulnera per pulverem ſympaticum ſit ſortilegium. 611.77
An talis effectus ſit naturalis. 612.78

Suſurratio

Et deriſio quid ſint. 185 28.
In quo ad invicem differant. 186 30
An qui leviter deridet,ſed deriſus graviter id fert, peccet mortaliter. ibid.31

Su-

Suſpenſio

Quid,& quotuplex ſit. 93.1
Quid obſervandum à Confeſſario in abſolutione à ſuſpenſione. ibid.2
Quid requiratur ad eius validitatem. 94.2.9
An,& quę culpa requiratur. 96 7
An & quale peccatum ſit violare ſuſpenſionem.95.4
Quæ pęna incurratur. ibid.5
An poſſimus communicare cum ſuſpenſis. 95. 6.
An poſſit incurri pro aliena culpa 96.7.
De abſolutione à ſuſpenſione ibid. 10.
Clericus notoriè concubinarius, an ſit ſuſpenſus antè declaratoriam. 94. 3.
Clericus ſi committat delictum, cui ſit annexa ſuſpenſio an privetur fructibus omnium beneficioum, quæ poſſidet 97. 10.

Temperantia.

Quid operetur. 320. 1.
Partes integrales illius. ibid.
Species illius quæ ſint. 321. 2. 3. 4.
Regula temperantiæ 324. 5.
Propoſitiones dannatę. ibid.

Teſtamentum.

Legata profana relicta in teſtamento ad pias cauſas an valeant ſi valeat teſtamentum. 552. 15.
Quæ ſolemnitates requirantur in teſtamento ad pias cauſas. 551. 14.

Teſtis.

An, et quando teneatur quis teſtari 90. 16. 17
Ad quid teneatur qui falſum teſtatus eſt. 91. 18.et ſeq.
Quibus modis peccet teſtis. ibid. 21.

Quan-

Quando teneatur veritatem fateri, vel occultare. 429. 7.
Quomodo teneatur ad reſtitutionem famæ. 196.53.
An adhibendi ſint teſtes in reſtitutione famæ 193. 46.

Theſaurus.

An poſſit emi ager, in quo quis ſcit latere theſaurus. 203. 12.

Prima Tonſura.

An ſit ordo. 508.
Tonſurati quibus privilegijs fruantur. 509.
Beneficiati, vel ordinati in ſacris, aut in dignitate conſtituti an peccent non deferendo Tonſuram. 510.

Vanagloria.

Quid ſit, et an ſemper ſit mortalis. 333. 2.
Eius filiæ, quæ ſint. ibid. 3.

Venditio.

An ſi venditor ſciat rem pretio minuendam poſſit pretio currenti vendere. 211. 17.
An ſi res vendita pereat, cui pereat antè traditionem. ibid. 18.
Vendentes res in parva quantitate ā poſſint carius vendere. 210. 15.
Vendens veuenum, et alia prohibita an peccet 471.

Veſtes.

Sacerdotales quot ſint. 535.
Quid ſignificent. ibid.
Sacerdos nequit ſine illis celebrare. ibid.
Quomodò debeant eſſe. ibid.
Stola quid ſignificat. 521.
Dalmatica à quo dicta. 522.

Novos habitus introducentes an peccent. 334.
Qui veſtem donatam bona fide attrivit ſuperveniente Domino ad quid teneatur. 197. 1.

Virtutes.

De virtutibus Theologalibus. 298.
De Cardinalibus. 308.

Votum.

Quid ſit 382. 33.
Simplex an differat à ſolemni. 155. 4. 383. 34.
An poſsit commutari ab ipſo vovente ibid. 35.
Factum in magna maris tempeſtate an valeat ib. 36.
An ſit melius aliquid facere ex voto, quam ſine ibid. 37.
Qui vovit ieiunare ſingulis diebus veneris ad quid teneatur ſi dies Nativitatis Domini cadat illa die 384. 38.
Qui violat votum an peccet ſacrilegè 386. 40.
Quis poſſit irritare vota. ibid.
Qui dubitat de voto ad quid teneatur. 387. 41.
An ceſſante fine voventis, aut iurantis ſua propria culpa ceſſet obligatio voti, et iuramenti ibid.

Vſura.

Quid ſit, et quotuplex 208. 10. 470. ſub n. 38.

FINIS.

Errata	Corrige
ſuam decretum pag. 17.	ſuum decretum
Inſt. 38.	Inſtruc.
Decreto 48.	Decretum
privat criam 52.	Privat etiam
in luræ 53.	in iure.
iu habitu 68.	in habitu
lib. unic. 6. 73.	l. unic. ff.
Irem 88.	Item
Fæti 129,	Fætus
Vequè 137.	Nequè
Par. 2. 168.	punct. 3.
Manifectentur 279.	Manifeſtentur
ptout 279.	prout
requirunt 281.	requiruntur
perturbant 288.	perturbat
reddituturus 292	rediturus
vctus 348.	actus.
quid 380.	qui
Chriſtiaui 389.	Chriſtiani
eſſet præſens 528.	eſſe præſens
Choronide 542.	Coronide
Munuale 546.	Manuale
Soſtituitur 551.	Subſtituitur
Lus etiam 594.	nullus etiam

Pagina 636. iunge ſimul tertiam, et quartam lineam.

Regiſtrum

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo
Pp Qq Rr Ss Tt Vu

L'Opera è fogli 44.

Digitized by Google

Digitized by Google

005677204

Digitized by Google